UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den

Antverpiæ, M. DC. XLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73071

Visual Library

Th. 442a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M
v
4

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RESPONSA DE IVRE CANONICO PRÆSERTIM NOVISSIMO.

AVCTORE
FRANCISCO ZYPÆO
I. C. PROTONOT. APOST.
ARCHIDIACONO ET VICARIO GENERALI
Antuerpiensi.



ANTVERPIÆ,
Apud HIERONYMVM VERDVSSIVM.
M. DC. XLV.
Cum gratia & Priuilegio.



ADMODVM REVERENDIS,
NOBILIBVS, ET CLARISSIMIS DOMINIS

DECANO
ET
CAPITVLO
CATHEDRALIS ECCLESIÆ
ANTVERPIENSIS,
ET SINGVLATIM

R.D. FRANCISCO DINGHENS I.V.D. Protonotario Apostolico, Domino de Westdorp, Decano,
R.D. MATTHÆO LEERMANS I.V.L. Cantori,
R.D. CHRISTIANO VOOCHTS S.T.L. Archipresbytero,
R.D. THEODORO VOOCHTS S.T.L. Pœnitentiario,
R.D. IOANNI HEMELARIO,
R.D. IOANNI CRANENDONCK I.V.L. Proton. Apost.
R.D. IOANNI ANTONI S.T.B. Thesaurario,
R.D. PETRO COENS S.T.L. Librorum Censori,
R.D. GREGOR. MAX. HAPPAERT I.V.L. Prot. Apost. de Oratorio Regio, Officiali,
R.D. AVBERTO VANDEN EEDE I.V.L. Proton. Apost. Scholastico, Sigillifero,
R.D. HENRICO VVALRAVENS S.T.L. Protonotario Apostolico Decano Christianitatis,
R.D. ANTONIO TASSIS I.V.L.
R.D. BALDVINO NIEVBORCH S.T.L.
R.D. SALOMONI HAECX S.T.L.
R.D. GVILIELMO VAN HAMME I.V.L. Proton. Apostolico,
R.D. ANTONIO VAN BERCHEM I.V.L. Actuario,
R.D. GVILIELMO BREVGHEL S.T.B. Plebano,
R.D. ROBERTO SWERTIO S.T.L. Plebano,
R.D. ZEGHERO ZEGHERS I.V.L.
R.D. GVILIELMO BOLOGNINO S.T.L. Librorum Censori,
R.D. MELCHIORI VANDEN BOSSCHE S.T.L.
R.D. HENRICO VAN HALMALE I.V.L.

ANtuerpiensem Ecclesiam labore B. Eligij sub ann. IↃCL. plantatam, sudore B. Amandi post paulò, & B. Willebrordi ann. IↃCCXXV. rigatam, Persona dumtaxat & Presbytero iam olim instructam, Godefridus Antuerpię Marchio,

Bullonij Dux, & postea Hierosolymorum Rex, bellum sacrum auspicaturus anno CIↃXCVI. auxit Collegio Præpositi, & Canonicorum duodecim: in dotemque dedit duos manipulos decimarum, quos eo loci, & per vicinos aliquot pagos obtinebat: residuo manipulo, personatu per Ordinarium extincto, presbyteratu coniuncto, in Collegium cum omni iure parochiali transeunte. Decorata etiam fuit Ecclesia sanctissimo Domini Præputio, per Henricum Noese, presbyterum, ortu Antuerpiensem, sacellanum antè eiusdem Regis Godefridi; ac tunc Episcopum Ierosolimytanum: sub Balduino Godefridi fratre ac in regnum successore, labentibus illic ac iam desperatis penè rebus, huc misso. quod ad nostra vsque tempora seruatum, ab hæreticis, Dei hostibus, deperijt. etsi nihilominus spectabilis Confraternitas ad honorem sanctissimæ Circumcisionis iam olim instituta, & peculegijs etiam Pontificijs, Indulgentijsque donata etiam-nunc deuotè hîc perpetuatur. Emersit paucis post Godefridum annis quidam Tanchelinus, Adamiticam sacramentariamque sectam tam verbis prædicans, quàm armis stabiliens. trahebat enim secum exercitum aliquot millium. in idemque tempus, cùm excitasset Deus spiritum Sancti Norberti, opere & sermone potentem; hunc Præpositus & Capitulum in auxilium de bellandi hæresiarchæ aduocarunt: & adfuit ille promptè, & auxilia præstitit: quibus illa tum hæresis profligata, ac tandem extincta est. eam in rem Præpositus & Capitulum Norberto & auxiliaribus socijs ecclesiam Sancti Michaelis cum aliquot capellis, fundum omnem adiacentem, quatuor præbendas, seu bonorum trientem, cesserunt: parochialium tunc ministeriorum, obuentionumque consortes fecerunt; in perpetuamque quasi fraternitatem adsciuerunt. migrarunt porro ipsi ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, quæ iam votis, præsertim nauigantium, miraculisque Virginis claresce ceperat. Vbi postea ann. CIↃ.CXL. Henricus, *Dux Lotharingiæ, & Marchio Romani Imperij ad constructionem claustri & vsum canonicorum* dedit, quicquid inter vtrumque fossatum cum ecclesia interiacet. vbi nunc cœmiterium vndique, & canonicorum ædes sunt, vel olim areæ in censum fuere datæ, seu aliàs alienatæ. Hîc ergo vt diuinus cultus solemniùs iterum perageretur, præbendas suas mox à transitu suo secuerunt; & ad pristinum numerum duodenarium reduxerunt: ac sæculo dein altero an. CIↃCCXL. dissectis iterum præbendis, canonicorum numerum ad XXIV. produxerunt. ex

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

eis meritò quadrare possit, quod Tiberius de Curtio Rufo aliquando pronuntiabat; *videtur mihi ex se natus esse.* Omitto intra ambitum parochiæ suæ matricis, liberaliter ad populi accrescentis commoditatem, cõcessisse erectionem nouarum parochialium Ecclesiarũ S. Georgij xv. Maij CIↃCCCCLXXVII. S. Iacobi III. Iulij CIↃCCCCLXXII. ac S. Walburgis I. Martij CIↃCCCCLXXVIII. (pleniorem hic quam ante ceperat) S. Andreæ XXIX. Maij CIↃIↃXXIX. Vocarunt etiam in subsidium, admiseruntq́ue in partem sepulchralium obuentionum, quibusdam sub pactis conuentis, S. Dominici, reliquorumque Ordinum religiosos. Præter hæc singuli legata ac pias donationes fecerunt non exiguas. sed ex quibus Collegium honestè nunc (demersis scilicet per vim hostilem agris, pagisque penè omnibus, vbi decimæ Fundatoris colligebantur) se exhibet; præter iura parochialia; caque bona, quæ Archiduces Albertus & Isabella, Principes incomparabiles, largiti sunt ad Sassum Gandauense, & paludem in Morinis exsiccatam, probante exinde Rege Catholico. quæ tamen ipsa magnis suis sumptibus Collegium à mari vindicauit, aut meliorauit. Sed quorsum hęc tam latè? vt secundùm monitum Ecclesiastici *laudemus viros gloriosos, & parentes nostros* c. 44. *in generatione sua.* maiores, inquam, nostros: quorum generatio est insignis nunc illa Abbatia S. Michaelis; triens deinde nouus præbendarum; atque alter assis primitiuo præbendarum numero insuper duplicato: varia denique beneficiorum, piarumque fundationum accessio. quippe vnde prodierẽt multi, laudatique hactenus in Dei ecclesia ministri. Dedit siquidem hoc Collegium iam olim Adrianum VI. Pontificem maximum: & sub eo Guilielmum Enkeuortium Cardinalem. vt & habuit paulò antè Cardinalem de S. Seuerino anno CIↃIↃV. S. Georgij ad velum anno CIↃIↃVIII. S. Petri ad Vincula anno CIↃIↃVIII. Anconitanum an. CIↃIↃXXI. & Episcopum Feltrienſem an. CIↃIↃL. Dedit eadem Ecclesia Franciscum Busleydium Archiepiscopum Bisuntinum, Franciscum Sonnium primum Episcopum Buscoducensem, ac deinde Antuerpiensem; Petrum Damantium Episcopum Gandauensem, Carolum Masium Episcopum Iprensem, mox etiam Gandauensem. Sed & cùm populi multitudo, & temporum iniquitas exigeret nouorum in Belgio Episcopatuum erectionem, etiam Episcopalis cathedra in hac Ecclesia est collocata: & quidem primo post Archiepiscopatus loco, in bullatis literis à Pontifice nominata. vti & iam pridem in

literis Ioannis XXIII. datis ad postulationem Antonij Ducis Brabantiæ, pro vnione quorundam beneficiorum ad officia vicariorum huius ecclesiæ, narrat idem Dux, annuit Pontifex, quod illa sub Cathedrali tunc Cameracensi *inter alias honorabiliores putatur in partibus illis.* Ad hanc ergo Cathedram assumpti fuere Philippus Nigri, prænominatusque Franciscus Sonnius, Liuinus Torrentius, Guilielmus à Bergis, Ioannes Mireus, Ioannes Malderus, omnes doctrina, pietate, scriptis, rebusue gestis quam eximij! Habuit idem Collegium viros etiam alios pridem, atque nuper doctrina, atque scriptis claros: Henricum Somerenum, Guilelmum Hedam, Conradum Goclenium, Tilmannum Bredenbacium, Petrum Vorstium Rotæ Romanæ Auditorem, Ioannem Liuinæum, Laurentium Beyerlinck, Aubertum Miræum, Cornelium Motmannum Rotæ etiam Romanæ Auditorem, alioque. ad quorum consortium vocandus etiam est Petrus van Dale Berlariæ, Gestelæ, Berselæ toparcha: quippe qui famosum in Louanienſi studiorum Vniuersitate collegium construxerit. quod ab eo Dalense nuncupant. Principum etiam nostrorum, si quando Louanium venerint, diuersorium De Per$^{illust.}$ & R^{mo} D^{no} Gaspare Nemio, qui ex Duacena cathedra Doctorali ad hanc Episcopalem assumptus, Antecessorum vestigijs ita insistit, vt laudes omnium sibi communes fecerit, nihil dicam. Parcam etiam modestiæ vestræ, & meæ verecundiæ ad^{am}. RR. Nobiles, & Clar^{mi}. D^{ni}. neque, quod adulantium est, inos hic laudabo, quos vel nominasse solùm; laudasse est: frontispicio nomina inscripsisse; totidem obscuritati nostrorum laborum lumina prætulisse. sed audiatur dumtaxat Ecclesiasticus; *qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: &, mortui sunt patres, & quasi non mortui: reliquerunt etenim similes sibi post se. fortes creantur fortibus, est & in equis patrum virtus.* Iure igitur, meritoque Ecclesia hæc iam pridem *insignis* audijt: atque olim violaceo habitu Collegas induit: quem colorem etiamnum in biretis retinet. estque illa, seu Collegium multis, magnisque à S. Pontificibus, Imperatoribus, Principibus ornatum priuilegijs, atque exemtione imprimis, & amplissima iurisdictione. quæ etsi instituti hic Episcopatus authoritatem nunc non excludat; suorum tamen, tertiorumque respectu, prærogatiuam non amisit. Quam etiam insigniter ornat ipsa cathedralis ecclesiæ fabrica, turris, aliaque intus, & extus vestibulorum, altarium, picturarumque decora, orbis miracula, in qua

Æde

Sic honoretur, quem Rex voluerit honorare. Ester. c. 6.

d. c. 44. c. 30.

Æde habita sunt penultima, quæ Philippus II. Ordinis Aurei vellĕris comitia in Belgio solemniter celebrauit. Accedit magnæ Vrbis huius splendor, atque amplitudo: dignitas Senatus, Populíque virtus; in Deum pietas; cleri obseruantia. quæ illi congenita iam olim in posteros successit. nepotes enim sunt eorum, quos Godefridus Bullonius in societatem belli sacri adlegit. Vt enim ille Prępositum hic & Collegium duodecim canonicorum instituit; qui pro sacro successu perennes ad Deum preces funderent: ita simul ex nobilitate duodecim militum tribunos delegit: & primos manipulos Cruce signatos ex hoc Populo conscripsit; qui secum arma ferrent in Terram Sanctam. vnde tam qui postliminio sunt reuersi, quàm qui ad sarcinas cum clero manere sunt iussi, hanc vrbem multa exinde prole beauerunt. quorum ergo maiores ex ijsdem incunabilis cum Canonicorum collegio surrexerunt, mirrum non est, *attendentes ad petram vnde excisi sunt*, successisse in illorum virtutes; ac more maiorum cleri amantes esse, atque reuerentes. Sed excedit præconia omnia patrocinium Magnæ Virginis, huius Ecclesiæ, vrbisque Diuæ tutelaris. quæ, vt meritorum suorum verticem super omnes Sanctos erexit, *vt multæ filiæ congregauerunt diuitias, illa supergressa est vniuersas*; ita ipsa *quasi terebinthus extendit ramos suos, & rami eius honoris & gratiæ*: Ecclesiam hanc, clerum, ciuesque sibi deuotos protexit semper; sub chlamyde sua conclusit; honorabiliter & gratiosè fouit: & cum adoptato filio suo ita contestatur; *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare*. Suppari etiam hic deuotione colitur Archangelus Michael. cuius ecclesiam etsi Collegæ Mariani cesserint S. Norberto, eiusque religiosis; non tamen dimisere cultum. Princeps ipse militiæ cælestis pugnauit cum Dracone, eiectusque ille cœlo insidiatur calcaneo Virginis; & *facit prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei*: Michael autem, vt canit Ecclesia, *constitutus Princeps super omnes animas suscipiendas venit in adiutorium populo Dei*. ita singulatim anno ciɔiɔxxix. cùm hìc Sudor Anglicus, quem vocabant, ita grassaretur, vt triduo vno quingentos homines absumeret; subitò malum desijt cùm Clerus, Senatus, Populusque supplicationem sollemnem ipso D. Michaelis die placando Numini instituisset. eoque in memoriam beneficij quotannis eodem die processionem obit. Iure is ergo chlamyde Virginis protectus, & illius Armigeri gladio defen-

Isaiæ c. 51.

Prou. 31.

Ioan. ep. 3.

Apoc. c. 12.

sus, in auitæ fidei ab Eligio, Amando, Willibrordo acceptæ, à Norberto defensæ sanitate, hæresum anathemate, & cultu diuino iugiter perseuerat. Hæc sanctissima decora; Fundatoris gloria singularis; magna glorioſorum virorum nomina; tam inusitata, quàm laudatissima Parentum nostrorum in generatione sua liberalitas, perpetua antecessorum in Ecclesiam & rem-publicam merita, atque laudes; quem ad eandem virtutis, honorisque viam ineundam non accendant? quem non delectet me-
1. Machab. 2. minisse *operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis?* quem non

——— repetentem exempla suorum,
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector?

His itaque virtutum honorumque vestigijs insistentibus ad^m R^dis. Nob. & Clar. Dominationibus vestris dicatum dedicatumque venio librum hunc Responsorū: quæ occurrentes aliquando à me occasiones exegerunt. Cui enim magis debeam? clericus ecclesiæ suæ operas debet; socij opera societati, collegiove iure communicatur. Rogo igitur vt illi comitas vestra benevolum det accessum; benignitas, placido lumine videat. Ita Deus Opt. Max. Virgo Deipara, Michael Draconis debellator, eandem hanc vrbem, Ecclesiam, & Collegium ad^um. RR. Nobilium & Clarissimarum DD. VV. aduersus omnia Draconis molimina perenniter tueantur. Antuerpiæ die ipso D. Michaelis. CIↃIↃCXLV.

Admod. Reuer. Nobil. & Clar. Dom. Vestr.

Obseruantissimus collega, & cliens

FRANCISCVS VANDEN ZYPE.

INDEX

INDEX TITVLORVM RESPONSORVMQVE LIBRI PRIMI.

De summa trinitate, & fide catholica. 1.
Responsum 1. De certa fidei professionis formula. 1.

De rescriptis 3.

Resp. 1. De triennali possessore, & Concordatis Germaniæ, omissa mentio, an vitiet rescriptum? 3.
Resp. II. An Iudex rescripto datus, cũ clausula de attentatis ante omnia reuocandis prout iuris, cognoscat de renuntiatione, quæ hinc sponte facta dicitur, inde per carceres extorta, post appellationem? 5.
Resp. III. De sub & obreptione in rescriptis.
Resp. IV. An Iudex cui commissum super reuocatione attentatorum iudicare, cognoscat etiam de electione, & in locum resignantis per attentatum subrogatione, aduersus electam? 8.

De electione 13.

Resp. I. An concursui subsint parochiæ Melitensibus competentis. 113.
Resp II. De abbatissarum, præsertim exemptarum confirmatione. 14.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum. 15.

Resp. I. De priuilegijs regularium adeundi alienos Episcopos. 15.
Resp. II. An minores ordines & subdiacnoatus simul suscipi possint? 17.

De ætate & qualitate præficiendorum. 18.

Resp. I. An religiosus, qui ob excessus incarceratus, & secundùm statuta Ordinis inhabilis ad dignitates factus erat, tamen Prouincialatum alibi gessit, ad suos reuersus prærogatiuis Ordinis frui debeat, quæ defunctis Prouincialibus deferuntur? 18.
Resp. II. De Ordine præbendæ annexo, non mox, sed intra annum residentiæ suscipiendo ex statuto. 19.

De maioritate & obedientia. 20.

Resp. I. De exemptione Ordinis S. Saluatoris, & in quibusdam subiectione. 20.
§ I. Quæsitum est 1. An hi regulares sint exempti? an obedire teneantur? 20.
§. II. Quis erit d.c. 26. (quod retulimus) & horum verborum pater, visitator, & Iudex sensus? 22.
§. III. Quæritur, an Ordinarius regularibus hù leges ferre, seu statuta præscribere possit? 24.
§. IV. De Confessoris confirmatione, & alijs ab Ordinario postulandis. 26.
§ V. De vsu, aut abusu contrario. 26.
§. VI. De Regularium confessione, promissione, renuntiatione contraria. 27.
§. VII. De Nouitiarum receptione. 28.
§. VIII. De modo probandæ exemptionis. 30.
§. IX. An ex approbatione Confessariorum resultet subiectio? 31.
§. X. De priuilegijs huiusmodi quid Concilium Trid. decreuerit, aut posteriores Constitutiones? 31.

De officio Archibresbyteri. 33.

Resp I. Quis clerico aduenæ ægro sacra ministret?

De officio Iudicis Delegati? 37.

Resp. I. De Delegato exercitus Bigici. 37.
Resp. II. An in causa appellationis super amotione confessorum, interdicto, & similibus delegatus Episcopus possit subdelegare canonicum Cathedralem, Iudicem synodalem? 40.

De his quę vi aut metus causa. 43.

Resp. I. De subdiaconorum cælibatu, vi & metu in Ordinis susceptione, reuerentiali patrui protestatione, & probatione, sufficientia ex addictione solidæ atque opimæ hereditatis, si nepos sacris se voueritis; comminatione priuationis, si defleserit, pronuntiatione super nullitate, transitu in rem iudicatam, matrimonio, appellatione tanquam à die notitiæ, causa deuolutione, viribus citationis ad domum, retractatione primæ sententiæ in secunda instantia, huius examine in tertia. 43.

De iudicijs 50.

Resp. I. De indicta comparitione ipsorum litigantium. 50.

Resp.

Resp. II. *Summariè decidendas esse causas monachorum, & clericorum.* 53.

De foro competenti. 54.

Resp. I. *Fori priuilegium laicis concessum communicatur clericis.* 54.

De ferijs. 57.

Resp. I. *Quæ festa hodie obligent ex præcepto? & quid circa illa, aliaq; obseruandum?* 57.

De ordine cognitionum. 59.

Resp. I. *De exemptione antè cognoscendum, quàm de crimine inobedientiæ, & infractæ clausuræ.* 59.

Resp. II. *Quæstionem professionis terminandam ante petitionem hæreditatis.* 60.

De exceptionibus. 63.

Resp. I. *De recusatione Iudicis.* 63.

De iureiurando. 65.

Resp. I. *Rectè reo impositum iuramentum aduersus quem non probatum satis, sed aliqua præsumptio est.* 65.

De testibus. 66.

Resp. I. *Singulares an fidem faciant?* 66.

De sententia, & re iudicata. 69.

Resp. I. *Regulæ & priuilegia Ordinis S. Saluatoris in quibusdam Regulares subijciunt Ordinario, in quibusdam eximunt: quid si vrgo Ordinarius pleno iure velit visitare, ordinare, exequi, & Regulares quasi plena exemptione illum excludere?* 69.

De appellationibus. 71.

Resp. I. *Ordinarius quædam in Regulares statuit, & executui est, quæ à iure permittuntur non obstante appellatione, & exemptione: quædam non sic permittuntur: quodnam erit officium superioris in huiusmodi contentione?* 71.

Resp. II. *An sententia reuocatoria attentatorum appellatione, aut inhibitione suspendatur?* 72.

Resp. III. *An Iudex non obstante appellatione & inhibitione procedi possit, qui pronunciauit super reuocatione attentatorum: an superior causam principalem penes se retinere, saltem allegata nullitate?* 74.

Resp. IV. *de Apostolis.* 77.

Resp. V. *An appellanti quasi pro sua defensione apologeticum vulgare liceat?* 78.

De vita & honestate clericorum. 79.

Resp. I. *De delatione rocheti.* 79.

De prebendis. 82.

Resp. I. *An ad præbendas graduatis affectas dignior sit assumendus?* 82.

Resp. II. *De Commendis.* 84.

Resp. III. *De Regula Cancellariæ, de triennali possessore.* 88.

Resp. IV. *A quo tempore computandi sint 20. dies in Reg. Canc. de infirmis?* 94.

De institutionibus. 96.

Resp. I. *Dispensatus super ætate quoad ordinem, an eo nondum accepto promoueri possit ad præbendam, cui ille est annexus?* 96.

Ne Sede vacante. 98.

Resp. I. *Constitutus Vicarius an habeat iurisdictionem contentiosam.* 98.

De feudis. 99.

Resp. I. *De diuersis dominis vnius feudi, & inuestitura.* 99.

Mandati. 102.

Resp. I. *Commissio Apostolica nullatenus est extendenda.* 102.

De rerum permutatione. 104.

Resp. I. *An vicariæ perpetuæ permutatio fieri possit sine assensu Parochi: primitiui.* 104.

De testamentis. 106.

Resp. I. *De translatione monasterij, & hæreditate.* 106.

Resp. II. *De institutione liberorum, & bonorum distributione per testatorem facta.* 108.

Resp. III. *De testamento à notario, testibus, & testibus signato quidem; sed in quo nec subscriptio, nec interrogationis, an scribere possent, est mentio.* 111.

Resp. IV. *Si quis aliquem testari prohibuerit an in eum pœnæ legales obtineant?* 113.

Resp. V. *Si quis aliquem testari prohibuerit, quæ pœna fisco, aut quæstori criminali tenetur?* 114.

De sepulturis. 115.

Resp. I. *Vbi sepeliendi sint coniuges?* 115.

De parochijs. 116.

Resp. I. *An rector aut decimarum possessor, præter summum sacrum, ad aliud populi commoditate?* 116.

Resp. II. *De congrua parochorum & Vicarum portione.* 118.

Resp. III. *De finibus parochiarum.* 122.

Resp. IV. *De Mendicantium prædicationibus in parochijs.* 124.

De decimis. 126.

Resp. I. *An decimæ agnorum sequantur matricem prædij?* 126.

Resp. II. *Hodie decimas in laicos etiam transmutationis transferri non posse.* 127.

Resp. III. *De Noualium immunitate à regularium cultorum.* 133.

De regularibus. 134.

Resp. I. *De Donatis, an sint retinendi?* 134.

Resp. II. *De receptione validâ, à quo inchoetur noviciatus & potestate recipientis.* 137.

Resp. III. *De anno probationis.* 138.

Resp. IV. *De corrupta professione, in abbatissam edita.* 142.

Resp. V. *Ex clausura an abbatissa egredi possit, ex causa inobedientiæ, & incorrigibilitatis?* 142.

Resp. VI. *An ex iusta causa ingredi clausuram liceat?* 144.

Resp. VII. *Licentiam ingrediendi monasterium nouitium quis dare possit?* 145.

Resp. VIII. *De duplicibus monasterijs Ordinis Saluatoris.* 146.

§. 1. *De superioritate, & præfectura eiusdem Ordinis.* 147.

§. 2. *De reuocatione admissionum confessarium.* 148.

§. 3. De dimißione Confeſſorum generalium Ordinis S. Saluatoris. 149.
§. 4. De diſſolutione duplicium monaſteriorum S. Saluatoris. 150.
§. 5. De incommodis diſſolutionis non ritè factæ. 152.
Reſp. IX. De tranſitu ad aliud monaſterium, ſeu Ordinem. 154.
Reſp. X. De fratribus Cellitis. 156.
Reſp. XI. Monialibus ſub conditione, ſi diſpergantur, vt relinqui poßit. 160.
Reſp. XII. De congregationibus regularium. 161.
Reſp. XIII. Profeſſus egreſſus ſi vxorem duxerit, vbi ea de re inſtituenda cognitio? 165.
Reſp. XIV. Teſtator legatum perpetuum reliquit, conſanguineis ſoluendum cum ad ſtatum peruenerint quæßitum eſt, an quæ beginagium ingreſſa, & illius more profeſſa eſt, ad ſtatum peruenerit, & legati capax ſit facta? 165.
Reſp. XV. Mortuo Abbate an Conuentus nouitios ad profeſſionem recipiat? 174.

De religioſis domibus. 174.

Reſp. I. Non ſunt extinguenda monaſteria leproſis ſeruientia, etſi pauci aut nulli nunc ſint, aut non approbati Ordinis arguantur; nec bona illorum alio diuertenda. 174.
Reſp. II. Hoſpitale olim exemtis vnitum, non fieri exemtum. 184.

De iure patronatus. 184.

Reſp. I. De Aduocatis. 184.
Reſp. II. De iure quaſi patronatus per territorium vniuerſali. 186.
Reſp. III. Quid hodie ad acquirendum patronatum requiratur? 189.
Reſp. IV. Cedi ſine ſollemnitatibus non poteſt ius patronatus. 191.
Reſp. V. An regula Cancell. de infirmis reſignantibus obtineat in beneficijs iuris patronatus? 192.

De cenſibus. 196.

Reſp. I. De viſitatione. 196

De baptiſmo. 198.

Reſp. I. De Baptiſmo extra templum non conferendo, niſi magnis Principibus. 198.

De ædificandis eccleſijs. 199.

Reſp. I. De erectione nouarum parochiarum. 199.

De conſecratione eccleſię. 201.

Reſp. I. De ceremonijs poſitionis primarij lapidis non repetendis. 201.

De celebratione Miſſarum. 203.

Reſp. I. De modo rem diuinam peragendi. 203.

De immunitate Eccleſię. 205.

Reſp. I. Miles literas ſalui conductus Principis diſcerpens, an aſylo gaudeat? 205.
Reſp. II. De immunitate homicidarum non proditorium. 206.

De ſponſalibus & matrimonio. 211.

Reſp. I. De matrimonio inuito, nec intelligente parocho, attentato. 211.
Reſp. II. De proprio parocho. 213.
Reſp. III. De milite mutante locum ad tempus expeditionis, non præſidium. 214.
Reſp. IV. De matrimonio contracto de licentia generali parochi, coram alio ſacerdote. 216.
Reſp. V. De putatiuo paſtore. 219.
Reſp. VI. An coniuges citra parentum aut eorum aßenſum coniuncti, inuicem hic alimenta debeant? 223.

Qui filij ſint legitimi. 224.

Reſp. I. De natis ex matrimonio putatiuo. 224.

Qui accuſare matrimonia poſsint. 228.

Reſp. I. Periculum peccati, & fauor matrimonij, facit, ne tam facile ſoluatur contractum, quam impediatur contrahendum. 228.

De diuortijs. 229.

Reſp. I. De ſeuitia. 229.
Reſp. II. De cauſis non ſufficientibus ad diuortium, cenſura tamen Iudicis tollendis. 232.
Reſp. III. De cauſis ſoluendorum ſponſalium. 235.

De ſecundis nuptijs. 242.

Reſp. I. Vt leges non retrotrahantur, & quid in negotio imperfecto? 242.

De accuſationibus. 244.

Reſp. I. De carceratione, & detentione clericorum. 244.
Reſp. II. De tranſlatione captiuorum. 247.

De ſciſmaticis, ſeu de ſeditioſis, & qui plebem colligunt. 248.

Reſp. I. Ad priuilegia communia defendenda an liceat conciuium auxilium implorare? 248.

De magiſtris. 249.

Reſp. I. Non recte citra formam Concilij Trid. ſtatui de contributione ſeminarij, & quis de eo cognoſcat? 249.
Reſp. II. Priuilegia ſtudioſorum an extra vniuerſitates obtineant? 253.
Reſp. III. An ſub nominationem academicam & prouiſionem Romanam cadat præbenda theologalis? 254.

De adulterijs & ſtupro. 257.

Reſp. I. De regulari circa crimē carnis inquiſito. 257.

De

De vsuris. 259.

Resp. I. *De vsuris ex forma chirographi, & re gesta iudicandis, & in sortem imputandis.* 259.

De priuilegijs. 264.

Resp. I. *De exemtione. quibus verbis inducatur?* 264.
Resp. II. *Quæstuationes Mendicantium quæ prohiberi possint ab Ordinarijs?* 268.
Resp. III. *De subiectione ordinaria parochorum regularium.* 270.
Resp. IV. *De arresto sub religioso facto.* 275.
Resp. V. *De Minoritarum priuilegijs quoad sepulturas.* 277.
Resp. VI *De naturalibus & diœcesanis.* 281.
Resp. VII. *De priuilegiarijs regularum monasticarum mitigationibus.* 284.

De excessibus prælatorum. 285.

Resp. I. *De exercitio pontificalium.* 285.
Resp. II. *Vniti beneficij onera, vt ante, explenda.* 286.
Resp. III. *De vnione reuocanda.* 288.

De purgatione canonica. 293.

Resp. I. *Clericus an tortura subijci possit; qua causa & modo?* 293.

De pœnis. 296.

Resp. I. *An obtineant pœna taciti fideicommissi accommodati incapaci; cum alteri relinquatur, quod restituatur monasterio?* 296.

De pœnitentijs & remissionibus. 298.

Resp. I. *De approbatione sacerdotum, ad audiendas confessiones, & reprobatione.* 298.
Resp. II. *Mulieri vt prædicatio sit interdicta.* 300.
Resp. III. *De correptione publica, atque priuata.* 301.
Resp. IV. *Literæ Iubilei tribuunt electionem confessarij ab Ordinario approbati: quæritur quis is sit?* 307.
Resp. V. *De altari priuilegiato.* 309.

De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti. 311.

Resp. I. *Non facile consulendæ censuræ, sed circumspectè, & non nisi in extrema necessitate, cum iuranter probabiliter profuturæ.* 311.
Resp. II. *De clerici percussore, computatum, in excommunicationem incidisse declarato, denunciato.* 319.
Resp. III. *De absolutione pœnitentiali.* 324.
Resp. IV. *De absolutione ad cautelam.* 327.
Resp. V. *De interdicto.* 331.

FINIS.

RESPONSA
DE
IVRE CANONICO,
PRÆSERTIM NOVISSIMO.

LIBER PRIMVS.

De ſumma Trinitate, & Fide Catholica.

RESPONSVM I.

De certa fidei profitendæ formula.

TRADITIO Eccleſiaſtica eſt, Apoſtolos antequàm per orbem vniuerſum diſpergerentur, vt docerent omnes gentes, & euangelium prædicarent omni creaturæ, contexuiſſe fidei, quam docerent, formulam: quod ſymbolum Apoſtolorum dicimus. quo catholica Eccleſia vſa eſt, etiam in miſſa ad plura ſæcula. Cùm autem Arius alijque hæreſes in Eccleſiam inuexiſſent, Concilium Nicænum cõactum eſt, in quo aliud ſymbolum editum eſt, quo explicatiùs aduerſus illos articuli quidam fidei exponuntur. quo nunc Eccleſia vtitur in miſſa. quod etiam Concilium Tridentinum Patrum exempla ſecutum tanquam ſcutum contra omnes hæreſes propoſuit in principio ſuarum actionum *ſeſsione 3.* & ſecundùm temporum neceſſitatem, ſi quæ nouæ hydræ emerſerant, diuerſæ confeſſiones, hæreſum naſcentium reprobatoriæ in diuerſis Conciliis fuerunt propoſitæ. quinimò multi ſingularem ſuam formam vel pietate catholicâ, vt Athanaſius in ſuo Symbolo, quo etiam vtitur Eccleſia Romana in officio diuino; alij peruerſitate hæreticâ, *vt abducerent diſcipulos poſt ſe*, vt loquitur Paulus *Act. 20.* alij ſub impia calliditate verborum conceptam, vt ne viderentur diſcedere à Concilio Nicæno, alijſve œcumenicis, dum incautos deciperent, ediderunt. *vt videre eſt in Annal. Eccl. Baronij, Spondani aliorumq;.* Ipſe etiam Iuſtinianus de aſſenſu Epiſcoporum quorundam ſingularem profeſſionem edidit *in l. reddentes. C. de ſum. Trinitat.* quam *ibidem* confirmat Ioannes

Papa *l. inter claras. & l. liquet. cui confessioni, ac fidei*, inquit, *quisquis contradictor extiterit, alienum se ipse à sancta communione, alienum ab Ecclesia iudicabit esse catholica.* Sic & Innocentius III. in Concilio Lateranensi professionem fidei proposuit *relatam in c. 1. & 2. X. hoc tit.* Gregorius X. in Concilio Lugdunensi *relatam h. t. in 6.* Clemens V. in Concilio Viennensi. *cod. in clem.* Eugenius III. in Concilio Florentino, super Græcis, Armenis, & Iacobitis vnientibus se S. Romanæ Ecclesiæ. denique Concilium Trid. *s. 25. c. 2. s. 24. c. 12.* à promotis ad Episcopatum, dignitates, Cathedrales præbendas, beneficia curata exigit, vt faciant fidei orthodoxæ professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent: & ob hæreses rursus enatas, omnia & singula quæ ab hac sancta Synodo definita & statuta sunt palam recipiant: certa tamen alia forma non præscripta. quare & Bulla cœnæ, nostro sæculo accommodata, pro catholicæ fidei vnitate, atque integritate retinenda, & ne fideles Christi circumferantur omni vento doctrinæ, excommunicat primo loco quoscumque Hussitas, Wiclefitas, Lutheranos, Swinglianos, Caluinistas, Hugonotos, Anabaptistas, aliosque hæreticos, quorum peruersa dogmata à d. Synodo Tridentina damnata sunt. denique Pius IV. obligationem faciendæ professionis fidei extendens ad regulares præfectos, *bulla incip. iniunctum Id. Nouemb. 1564.* decreuit, vt vnius & eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur; vnica & certa illius forma innotescat, publicetur, & vbique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilij, & prædicta constitutione spectat, obseruetur; sub pœnis per Concilium ipsum in contrauenientes latis: quam formam ibidem præscribit, complectentem initio symbolum Nycenum ac deinde plures alios fidei articulos, aduersus præsentium temporum hæreses plenius declaratos, cum illarum anathematizatione. Igitur illi qui à Concilio, aut d. constitutione expressi non sunt, ad formam illam non tenentur. quare & breuior pro aliis proposita à Synodo prouinciali Mechlinensi anni *1607. tit 1. ar. 3. & 4.* fuit à Sede Apostolica approbata, vt in calce apparet.

Quæsitum est igitur an professio fidei facta à canonico cathedrali, non secundùm formulam Pij IV. sed sub generalibus tantùm clausulis *d. c. 12. s. 24. d. c. 25. Concilij Trident.* propositis, ad hoc sufficiat, vt fructus faciat suos, & illi possessio suffragetur? & videri non potest sufficere; vbid. constitutio Pij IV. iuxta Concilium publicata, & recepta est. dum secundum illam professionem fieri iubet, sub pœnis per Concilium ipsum in contrauenientes latis. neque frustra ex dictis apparet certam formam fuisse præscriptam. Nihilominus, si bona fide, & ex vsu iam post Concilium antiquo, præstita est fidei professio; cessare posse videtur rigor ille pœnalis. si non improbabiliter Diana *& alii citati p. 3. & t. 2. ref. 8.* dixerint eandem Pij IV. constitutionem, vel vsu non esse receptam, vel contrario vsu abolitam, quoad regulares, præsertim cùm intentioni Concilij Trid. satisfactum videatur, & generales clausulæ omnes fidei articulos, omnesque sectarum species complectantur: specialis autem expressio, quamuis in modo perfectior sit, in substantia tamen non differat. & d. Cõcilij decretum ipsaque Pij IV. constitutio positiui iuris sit, ac multo magis modus illius, & formula: cui contraria consuetudo possit derogare: non quoad fidem; sed factum ipsum dum-

dumtaxat professionis, ac formulæ. ita tamen vt si formula Pij IV. exigatur, nulla sit in præstandâ tergiuersatio: quippe quæ hodie pro tessera agnoscitur orthodoxorum.

De Rescriptis.

RESPONSVM I.

De triennali possessore, & concordatis Germaniæ, omissa mentio, an vitiet rescriptum.

MVlta rescripto obijciuntur: sed enimverò in rescriptis iustitiæ subreptio & obreptio non ita curatur, quin si rescriptum datum fuisset in forma communi, & delegatus procedat secundùm formam iuris, omissa forma rescripti. *c. super. X. de rescript. l. 1. & 2. C. si contra ius vel vtil. pub.* Itaque si orator nihil aliud dixisset, quàm sibi collatum esse à sua Sanctitate personatum, & aduersarium illum detinere; mandasset Pontifex delegato, vt partibus auditis ius diceret. ideoque erit illud hic faciendũ, cum & illud solum màndatum sit; etsi narrata non vera essent: nec exceptionum obiectio remoratur litis contestationem. *c. 1. de lit. contest. in 6.*

1. In rescriptis iustitiæ cum requiratur ad formam formam, obreptio vitiat.

Duo tantùm sunt ex obiectis quæ remorari possint. 1. quod de pacifica possessione triennali dicitur, vt molestari possessor nequeat, *ex regula 36. Cancellariæ.* contra quam obtentæ impetrationes, & rescripta nulla sunt, nec molestari per eadem possessor potest. vt in eadem regula dicitur, & vsus seruat. etiam in Francia ex Concilio Basilienſi, & pragmatica sanctione. *Rebuff. ad const. reg. de caus. benef. possess. ar. 7. gloss. 1. n. 10. & seqq. & in tract. de pacif. possess. n. 41. & 73.* adeo vt huiusmodi exceptio impediat litis ingressum, perimatque rescriptum. *d. c. 1. in fin. de lit. contest. in 6.*

2. Pacifica triennalis possessio an non obstet rescripto?

Quod autem Concilium Triden. *s. 24. c. 20.* nolit causas beneficiales etiam aliis committi, quam Ordinariis locorum; per exceptionem duorum casuum quam fecit, non exclusit alios casus, in quibus ius vetat Ordinarium esse Judicem. contra ius autem est, vt in sua causa quispiam, qui superiorem recognoscit, Iudex sit. atque ea propter cessat eo casu dispositio Concilij Tridentini vetante iure ne quis in sua causa ius dicat. id quod his verbis exprimitur in rescripto; *quia Ordinarius loci habet interesse*, eoque insinuatur quod Concilij dispositio obtinere hic nequeat.

3. Primæ instantiæ cognitio adimitur ordinario suspecto aut si sua interſit; non obstante Trid. s. 24. c. 20.

Quare *in c. statutum §. 1. de rescript. in 6.* decretum est, vt cui actio dirigenda est aduersus suum Ordinarium, petere is Iudicem possit, extra ciuitatem, & diœcesim illius. ita tamen vt intra vnam dietam: quod iterum extensum ad duas. & ferè Concilium Trident. tum viciniores comlat in aliis casibus, eòque respicit & hæc clausula; *Ordinarius loci, & alij viciniores ad instar interesse habent.* 4.

Ideoque quia Ordinarius in hac causa beneficij à se collati pars est; seu interesse habet; Iudex esse non potest. sicut iis, quos causa primariò tangit, seu ab aliis causam habent, sententia nocet. *c. 25. X. de sentent. l. sapè D. de re iudic.*

Manet ergo resolutum, quod vbi Episcopus pars est, seu illius interest; nec ille Iudex esse possit; nec vetetur à Concilio pars extra ciuitatem & diœcesim Iudicem petere, etiam in prima instantia.

Neque obstat, quod huic casui

5. Quamuis & ordinarius suspectus suspectus prouidere possit.

à iure prouisum sit, vt cum Iudex Ordinarius suspectus est, alium dare possit. *c. 1. c. si quis contra. X. de for. compet. c. cum speciali. X. de appell. c. secundò requiris. §. 3. X. de appell.* ideoque ratio recusationis allegari, & probari debuisset coram Ordinario, & arbitris: *d.c. cum speciali, Rebuff. ad const. reg. tract. de recus. ar. 1. gl. 5. n. 2. 3. 4. 5.* quia hic, vt mox dictum est, Ordinarius non tantum est suspectus; sed pars; ex facto suo; quo concessit idem beneficium reo; quod Papa contulit actori. idem ius, eadem causa est donantis, & donatarij; cedentis, & cessionarij; beneficiarij, & collatoris; ex ijs quæ mox citauimus. deinde loca quæ citantur, vt Ordinarius recusatus Judicem dare possit; non simul vetant, ne tali in casu adiri Papa possit: qui totius orbis est Ordinarius: vel ne ille delegare possit: & quicquid nō est prohibitum, censetur permissum: præsertim Pontifici; cui in beneficijs competit plenitudo potestatis. ac demum quidem successit Concilium Trid. quod *s. 24. d. c. 20.* generaliter vetuit, ne alius in prima instantia Iudex sit, quàm Ordinarius: sed ea generalitas per alia iura temperatur: vt tit. C. *vt nemo in sua causa ius dicat.* & in generali locutione non censentur comprehensa, quæ quis in specie non esset concessurus. *c. in generali. de reg. iur. in 6.* vt non respondissent Patres Tridentini se per *d. c. 20.* decretum generale etiam velle, vt Ordinarius, quamuis pars esset, in prima instantia Iudex esset. Quin imo in casu suspicionis tantum, permittit *d. c. Statutum* in prima instantia alium Iudicem, etiam extra diœcesim, impetrare. vt cùm, non ipse tantum Episcopus, sed vel Capitulum ipsius est conueniendum. *§. cùm verò ibid.* qui casus à Concilio Trid. non sunt excluſi. quomodo etiam accipiendum est *c. 10. s. 25. Conc. Trid.*

6. Non vetitur adiri Papa.

7. Generalis locutio qualiter temperanda?

8. Neque obstent edicta Belgica.

Neque vero edicta Principum turbare nos debent, præsertim post sententiam Concilij Brabantiæ, quæ cassationem, ob illorum quasi neglectum petitam, reiecit. quippe ea sunt exaudienda secundùm iuris dictamen, vt nemo Iudex & pars sit. eoque minus obstant, quia, quod quis iubet, permittit: atqui in placito à Rege Actori concesso super diplomate suo beneficiario fuit eidem iunctum, vt in petitorio Iudicem peteret delegandum in partibus, post primam instantiam coram Ordinario peractam; atque adeo, cùm Ordinarius Iudex esse non potest, vt hîc cum pars est, seu interesse habet.

De cōcordatis Germaniæ queri posse videtur, an obiecta aduersus reſcriptum, subreptitium illud reddere possint, ita vt, litis ingressum impediant? & sanè si liquidum esset ea hoc in casu, & tractu obtinere; adeoque si expressi fuissent, Pontificem neque prouisionis bullas, neque reſcriptum delegationis concessurum fuisse, dicendum esset litis ingressui his obstare, *iuxta d. c. super in verbis, quæ tacitâ vel expressâ nos nullatenus de. disſemus, à Delegato non est ulteriùs procedendum*: at verò vbi concordata Germaniæ liquido obtinent, Pontifex nullas literas contrarias daret: tum quia id promittitur in cōcordatis, quod menſibus Ordinario per illa concessis nullatenus se immiscebit, neque illum impediet, quo minùs illis liberè vtatur: tum etiam quia regula & Cancellariæ, mensium Apostolicorum reseruatiua, diserte excipit beneficia concordatis subiecta: & in fine decretum contraria irritans subiungit. Enimuerò si Papæ expositum fuisset, liquidum nō esse, an quis in loco personatus de W. concordata obtineant; vtique & prouisionis bullas, & reſcriptum Delegationis concessisset, vt Delegatus ea in re faceret, prout de iure esset faciendum, id est, de causa cognosceret.

sceret, partium allegationes audiret, probationes reciperet, & pro iuris dictamine sentẽtiam diceret, adeoque hęc concordatorum Germanię obiectio, quæ illiquida sunt an hic obtineant, non retardabit processum delegati; sed de illis in causa principali permittet illum cognoscere, sicut de cæteris pro sub & obreptione supra allegatis. *d.c.1. de lit. contest. in 6. in verb. licet dicat obiector quod rescriptum non fuisset obtentum si, quæ sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti.*

Id quod eo magis dicendum est, quod d. regula 8. Cancellariæ excipit ab illa quidem concordata; sed non simpliciter; at *per eos*, inquit, *qui illa acceptare, & obseruare debuerant, acceptata, & obseruata*: atqui nec ponit quidem reus, minus quippiam probat, Ordinarium, seu eius antecessores in illa sede, seu olim Cameracensi, quoad tractum personatus de W. acceptasse concordata, & obseruasse; vel impræsentiarum in aliis beneficiis, aut casibus illic obseruare.

12. Acceptata & obseruata.

Concordata quidem Germaniæ per Brabantiam passim non obtinere, sed Niuellæ quidem obseruari, diximus *latè in Consult. can. de præb. cons. 3. & 5.* sed tamen non ponitur hic à reo locum de W. esse de ipso territorio Niuellensi: imo Actor negat concordata obtinere extra muros Niuellenses: per quam inficiationem iterum fit illiquida concordatorum ratio: *c.1. V. nec ad alia de off. deleg. in 6.* vt non obstent delegato, quo minus ad cognoscendam causam principalem procedere, & in ordine ad illam de concordatis & allegationes audire, & probationes recipere possit.

13. Illiquida.

RESPONSVM II.

An Iudex rescripto datus, cum clusula de attentatis ante omnia reuocandis, prout iuris, cognoscat de renuntiatione, quæ hinc sponte facta dicitur, inde per carceres extorta, post appellationem?

MAndato delegati id comprehensum, videtur negari posse; eò quod rescriptum expeditum sit ante huiusmodi renuntiationem: sed dicimus rescriptum secundum ius intelligi, vt non tantùm tempore illius iam attentata, sed & deinceps attentanda intelligantur. Quid enim absurdius dicatur, quàm negare non reuocanda attentata post tempus rescripti? nam ita omni casu posset fraus legi fieri. sed verbum illud *attentatum* præteriti significatiuum, fertur etiam in tempus futurum, quo Iudex ad quem, oblato recripto, fungetur officio, vt & iam tunc erunt attentata & c. non solum *de appell. in 6.* omnia indistinctè attentata post appellationem dicit reuocanda; neque addit, aut alij canones legesue tempus, post quod attentata non sint reuocanda. & in c. dilect. *X. de except.* reuocandum dicitur quidquid attentatum est: & obiectum fuerat vt hic quod excommunicationis in rescripto non fiebat mentio. sed quia post appellationem acciderat; & si non expressa; dicitur illa tamen; & quidquid attentatum fuerat, esse reuocandum.

1. Omnia attentata reuocanda, etiam facta post expeditionem rescripti.

Vt merito *c.2. X. de restit. spoliat.* post spolium renũtiantem, ita pro spoliato habet, vt nolit de spontanea voluntate renũtiantis inquiri, antequam sit restitutus. cum & iuris præsumptio sit renuncia-

2. Adeoque de attentati cognoscens, & de resignatione, & secuta electione cognoscit.

tionem non esse voluntariam *l. super hoc. X. de renunciat.* vnde *in c. venerab. X. de off. deleg.* irritatur processus, Episcopo restitui iusso factus, illo non plenariè restituto. plura sunt apud Gratianum *c. nullus. & tot. q. 2. caus. 2. q. 2. caus. 3. q. 3. caus. 3.* vt linceis hîc oculis Argi, quos aduersarij exigunt, opus non sit; sed sufficiat talpam non esse, vt quis perspiciat quomodo hæc attentata ad iudicem appellationis pertineant.

3. Quoniam igitur de attentato, de spolio, de coactione debet cognoscere delegatus; de renuntiatione, an spontanea an extorta, inquirere debeat; an carcer non irritauerit illam, *iuxta clem. multorum. de pœn. & c. ad audientiam. X. de his quæ vi vel met.* vel etiam iuratam metus cadens in virum constantem: vt est carceris. *l. 7. D. quod metus caus. Qui in carcerem*, inquit *l. 22. D. eod. quem detrusit, vt aliquid extorqueret; quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti est.* quamuis Iudex fuerit. *l. 3. D. eod.* vnde & Iudices regij taliter spoliatos mox redintegrant in beneficiorum possionem. *iuxta c. 2. & 3. X. de his quæ vi aut metu. Rebuff. de benef. l. 3. de resig. metu extort. n. 5.* quo in negotio & hoc tractandum venit, quod canonica renuntiatio facienda sit coram superiore. *c. admonet. X. de renunt.* coram alijs facta sit irrita. *c. quod in dubijs. c. dilecti. X. eod.* adeoque abbatis exemti resignatio, & alterius electio irrita & inanis censeatur, non facta ex Papæ licentia. *cum*, inquit, *cedere sine licentia nostra nequiuerit; nos tam electionem quàm cessionem prædictas decernentes irritas & inanes; mandamus quatenus abbatem ipsum loco suo restitui faciatis, quo integrè restituto, vice nostra recipiatis cessionem ipsius.* hæc forma est canonicæ cessionis: & nisi seruata sit; restitutionis. agimus autem hîc de exemptis, qui coram Ordinario renunciarunt.

RESPONSVM III.

De sub & obreptione in rescriptis.

ARguitur rescriptum subreptionis. 1. quod subticita sit confessorum amouibilitas ad beneplacitum Episcopi: 2. causa amotionis aduersus c. dilectus *26. X. de rescript. 3.* litis pendentia coram Internuntio: *c. inter. X. de re iudic. in verb. tum etiam quoniam de processu negotij coram primis iudicibus nihil in secundis literis dicatur; quod si fuisset expressum, obtineri minimè potuisset.* 4. res iudicata: *c. exposita X. de arbitr.* 5. submissio & concordia: *ex multiloqui. X. c. de decun.* 5. expressio falsæ exemtionis: *c. super. X. de rescript.* 6. denique conquerentes de interdicto, subticent iam illud fuisse amotum. speciosa hæc sunt omnia, sed speciem tantum habent iuris, non vires. siquidem omnis virtus rescripti eo refertur, quod oratores sint exemti; Ordinarius tamen hæc vel illa fecerit aduersus exemtionem. ideoque nihil huc facit firmitas vel amouibilitas confessariorum; sed tota quæstio est, si sint amouibiles, per quem possint amoueri. præterquam quod beneplacitum ad cuius durationem admissi dicuntur, exigat arbitrium boni viri; neque extendi possit ad causam infamatem, nisi cognitam, & probatam. *vt diximus alibi* neque hæc litis ingressum, progressumue impediunt. *c. 1. de lit. contest. in 6.*

Quoad ad subticitam causam amotionis nihil etiâ pertinet ad non habentem amouendi potestatem & volunt aduersarij hîc arbitratores, & causam amotionis exprimere; quam amouens ipse non expressit, sed in mente retinuit: *ob causas*, inquit, *animum nostrum mouentes.* porro c. dilectus. *X. de rescript.* non ob quamcumque amotionis causam subticitam rescriptum irritat: sed, *si ita est*, inquit, seu *si preces*

preces veritate nitantur, & narrata sint vera: narratum autem ibi sic erat; amotionem factam in visitatione; per visitatorem apostolicum (ecce iudicem competentem) & *ob graues*, inquit, *ex cessus, & manifestos*: ecce causam sufficientem, & euidentia sua probatam) at hic nihil simile: Arguitur iudicis incompetentia, negatur iurisdictio, causa nō proferetur: si ergo visitator ille Apostolicus nō ob illos graues, & manifestos excessus processisset aduersus amotos; sed vsus tantum fuisset hac præfatione, *ob causas animum nostrum mouentes*; non irritasset Pontifex rescriptum in forma communi concessum: sed imo iussisset spoliatos restitui: quæ est forma communis. *gloss. in d. c. cum dilectus in fin.* & communior adhuc nostri rescripti, vt super narratis & petitis delegatus *faciat, prout de iure fuerit faciendum.*

3. Lis pendentia. Quod attinet ad litis pendentiam coram Internuntio; non fuit ibi actum negotium vt loquitur d. c. inter, causa aut lis: solum hic erat petita delegatio, seu iudicum deputatio, & Internuntio cunctante, petitio delegationis Romam translata; ibidemque disputata. vbi si super hac litis pendentia exceptum non fuit; renuntiasse censetur Ordinarius, aut sibi imputandum habere: sin autem exceptum fuit, nihilominus rescriptum concessum; damnata est exceptio, dum concessa delegatio. dum interim & ab Internuntio nihil est actum, & acerrime obstitit Ordinarius Romæ, ne rescriptum daretur.

4. Re iudicata. Quod spectat ad rem, vt volunt, iudicatam; vtique non cognita causa, sed ex simplici confessione, seu voluntaria condemnatione, cum ea solo consensu, seu confessione nitatur; non alias habet vires, quàm ipse consensus, aut confessio. *l. si conuenerit. D. De re iudic.* si ergo consensus cōactus metu carceris, aut censuræ, aut alias, irritus est; si confessio falsa, irrita est sententia. *l. 1. & 2. C. si ex fals. instrum.* atqui non obstante professione subiectionis, promissione obedientiæ, & fide interposita, seu iuramento, eiusmodi promissio non tenet: *c. 13. de maior. & obed. in 6. d. c. cum tempore. X. de arbit.* ergo nec sententia, aut res iudicata, quæ confessioni æquiparantur. Vt omittamus confessionem coram incompetēte iudice, vt est ordinarius respectu exemti, nihil operari. *c. etsi clerici. X. de iudic.* præsertim qua iura & libertates minuantur. *c. 2. in verb. recognoscendo seu profitendo. de reb. Eccl. non alien. in 6. Martha & multi quos citat de Iurisc. p. 4. c. 139. n. 19. & seqq.*

5. Submissione. Eadem dicenda sunt de submissionibus. vt omittatur expressas eas esse per interdictum quo tot mensibus tenebantur: cuius metus, & iugum, morti æquiparatur: *c. nemo episc. 11. q. 3.* & vel constantissimum Herculem prosternit.

6. Concordia. Quoad concordiam; vt detur subesse, quæ non subest; tamen rursus repugnabit d. c. cum dilectus. *d. c. cum tempore. d. c. 13.* adeoque etiam hac conuentione exposita, non rescriberet Pontifex eam seruandam esse: vt in *c. ex multiplici. X. de decim.* quia priuilegiatis quoad decimas licet componere cum parochis, super priuilegio: *c. super. X. de decim*: non autem exemtis super exemtione, seu libertate. *d. c. ex tempore in verb. cum etsi sponte volueris, de iure tamen nequiueris renuntiare priuilegiis, & indulgentiis libertatis.*

7. Exemtionis allegatione. Quæ de falsitate expressa exemtionis dicuntur, solutione alia non egent, quam quod principium petant; & controuersiam spectent principalem; de qua contenditur. *si talis*, inquit d. c. super *literis. X. de rescript. expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamuis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus in forma communi literas dedissemus; delegatus, non sequens formam in literis ipsis appositam, secundum ordinem iuris in causa procedat.* non ergo hic posset viri-

bus vacuari reſcriptum, quamuis daretur aliqua eſſe ſubreptio; quin in vim illius delegatus ſecundùm iuris formam procederet. *c. ſuper. X. h.t. l.1. & 2. l. ſi contra ius vel vtil. publ.* adeoque attentata ante omnia, vt forma iuris eſt, reuocaret.

8. De interdicto. Quod pertinet ad interdictum; non conſiſtit illud in nuda verborum forma; ſed in ſua cauſa, origine, ac iure. cauſa huiuſmodi magis attenditur quàm factum. *c. occidit. 23. q. 8. c. fin. X. de reſtitut. ſpoliat.*

9. Eiuſque cauſa. Quamuis ergo amotum dicatur interdictum; vt executio eſt, & effectus; non tamen cum cauſa ſua, ſeu præcepto de recipiendis, & obſeruandis ſtatutis; ſub pœna interdicti: propter quorum recuſationē ob exētionem illa indicta; inflictum hoc erat. quamdiu ergo non amouetur præceptum iſtiuſmodi; non poteſt dici amotum eſſe interdictum: cuius cauſa non tranſiuerat in iudicium; nec finita erat, vt iuſtitia: *iuxta c. forûs. X. de verb. ſignif.* quæ vtique exigit reſtitui omnia in ſtatum priſtinum. *reſtituere autem is videtur, qui reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controuerſia ei facta non fuiſſet. l. reſtituere. 75. D. de verb. ſignif.* quomodo ſpoliator damnaretur ab eodem Iudice ad rem cum omnibus acceſſoriis. *c. grauis. de reſt. ſpol.* non igitur amotum hîc cenſetur interdictum, niſi illius decretum, & ſententia, quæ cauſam complectitur, amoueatur.

Deniique, quidquid ſit, debuiſſet coram delegato allegari quæcumque prætenditur ſub vel obreptio. *d. c. ſuper. in verb. delegatus poſtquam ſibi ſuper hoc facta fuerit fides*, & partium altercatione audita, deſuper decerni, quod iuris fuiſſet. non verò licuit vel ipſi Internuntio quicquam inaudita parte ſtatuere. quod nec Imperatori licuiſſe vult clementina paſtoralis *de ſent. & re iudic.* & de ſe ipſo Pontifex *in c. 1. X. de cauſ. poſſeſſ. & propriet. nec nos*, inquit, *contra inauditam partem aliquid poſſumus definire*: quo ergo iure poſſit Internuntius; ſi non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum?

RESPONSVM IV.

An Iudex cui commiſſum ſuper reuocatione attentarum iudicare, cognoſcat etiam de electione, & in locum reſignantis per attentatum ſubrogatione, aduerſus electam.

QVæri poteſt an eligentes & electa cenſeantur attentare, & ab illis acta, nomine attentatorum, ex ea clauſula ſint reuocanda? idem quidem vocabulum tertio, quod parti, & Iudici tribuit c. Romana. *§. in alium. de appell. in 6.* negat tamen Iudici ad quem in tertium ob id competere iuriſdictionem. & pro regula iuris eſt, vt res inter alios actæ aliis non præiudicent. ſed regula quidem hæc eſt; patitur vero illa ſuas exceptiones. vt in l. ſepè *D. de re iudic.* vt cum vna quæſtio vnum primariò, alterum ſecundario tangit; cum vnus ab altero, ſeu per alterum cauſam habet; ex eodem iure actio ſeu defenſio competit. & propterea *gloſ. in d. c. non ſolum in verb. reducendum. quod de tertio dicimus, de tali tertio*, inquit, *intelligas, qui cum parte vel Iudice nihil attentat illicitum, nec ab ea cauſam capit habere. c. ad hoc decuperei Iud. &c.* & in terminis docet Ioan. Andreæ *in d. c. non ſolum*. ſi quidem à quo priuat aliquē dignitate, vt v.g. abbatia, & alium eligit, confirmat, benedicit; nomine attentatorum omnia reuocari. quia communis eſt actio, & non iam tertij, ſed initiata potiùs ſimul proſequentis, & cauſam habet à priori attentato. non enim poteſt eligi, confir-

confirmari, aut benedici, nisi in vim priuationis, spoliationisue iam factæ. non enim aliter vacat. vna igitur vtriusque est actio; vnum fit vtriusque, seu commune attentatum. nisi enim in d. renuntiatione se fundaret electa; iam incurreret excommunicationem, infamiam, aliasque pœnas, quas canones infligunt his, qui in beneficia viuentium instituuntur. *c. audimus. 3. q. 6 c. 1. & tot. tit. X. de conces. preb. vel eccl. non vacant.* fures & latrones vocant. *c. non furem. 7. 41.* quemadmodum lite super aliqua dignitate aut beneficio pendente procedi prohibetur, sub pœna nullitatis, ad aliam electionem, collationem, seu prouisionem. *c. 1. & 2. vt lite pendent. in 6.* & secus factum vocat attentatum d. c. 1 *attentata*, inquit, *electio iure viribus non subsistit.* lis autem pendere incipit etiam per solam citationem. *c. gratum, X. de off. deleg.* sic & *in c. tanta. X. de excess. prælat. c. cum vniuers. X. de rer. permut.* quæ ex principali causam trahunt simul eodem iudicio comprehenduntur. eadem nullitas attētatæ electionis liquet *ex c. considerauimus. c. cum nobis. c. quod sicut. X. de elect. c. 1. c. bonæ. c. 23. 45. 46. X. de appell.*

Quin imo, quamuis annexa, connexa, incidens, dependens, vel emergens tantum esset huiusmodi electæ causa; ad idem rescriptum spectaret. *d. c. 1. c. significauit. X. de off. deleg.* quare *in c. tanta X de excess. prælat.* amoto Episcopo, qui censuras Ecclesiæ contemserat, & sibi adhærere nolentes beneficijs spoliauerat, iubet Pontifex amoueri simul omnes in huiusmodi beneficia intrusos; irritam simul declarans omnem huiusmodi destitutionem simul & institutionem. quem admodum adeo & in omnibus rescriptis apostolicis, quibus mandatur alicui prouideri, inseri solet hęc clausula, *amoto exinde quolibet illicito detentore.* sicuti *in c. cum vniuersor. X. de rer. permut.* vbi querela erat vnius permutantis ab altero decepti: & tamen eâdem operâ, eodemque rescripto mandatur consanguineo decipientis auferri præbendam, cui alter renuntiauerat; & quam cōpermutans in tertium illum consanguineum transtulerat. quod scilicet causam ille habebat ab eodem decipiente, & ex dicta permutatione. simile est *in c. 1. & 2. X. de alien. Iudic. mut. c. 1, X. de off. deleg. c. romana, de pœn. in 6. c. nuper c. si concubinæ. X. de sent. excomm. c. proposuit. de conces. præbend.* vbi ad rescriptum, imo sententiam pertinent non nominati in illis. quemadmodū rectè à philosophis traditum est axioma; vt quidquid est causa causæ, sit etiam causa effectus. quin & in iure receptum est, vt à causa pendeat effectus. *l. sed etsi quis. §. interdum. D. de vsufruct. l. 1. & ibi DD. C. per quas person. nob. acq. l. rem nouam C. de iudic.* & inspicimus principium, quādo finis pendet à principio. *l. damna. la 1. §. Sabin. D. de dam. infect.* vt pendet hic electio à iusta vel iniusta depositione, spontanea, vel cōacta resignatione prædecessoris. &, cum quid à lege prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. *c. cum quid de reg. iur. in 6. l. non dubium. C. de leg. §. sed & si quid.* vt, inquiunt, infecta causâ primitiuâ, infecta etiam censetur deriuatiua. *c. cum quid prohibetur. de reg. iur. in 6.* & *vt dicit Baldus in l. 1. D. de senat.* extincta radice, ramos exsiccari oportet: siue eadem infecta, inficiuntur & palmites: neque maiores vires habent, quàm ab illa receperunt. non tantùm ergo citari potuit electa; sed etsi nec citata quidem fuisset, sed causa tantùm processisset aduersus Ordinarium, à cuius actis gestisque illa causam habuit, cum sciret illum in lite consistere, sententia aduersus illum lata, huic etiam præiudicasset: quamuis in lite non fuisset. *quamuis regulariter*, inquit Gregor. X. *in c. 25. de sent. aliis non noceat res inter alios iudicata; attamen, qui cum sibi*

4 Eidem resignanti competit, & habet.

§. Imo sententiam.

sibi primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem agere, ac illi etiam qui passus est eum, à quo causam habuit, experiri; est præiudicium generatum. vt omittam quod correlatiuorum eadem sit ratio. *Euerard. in loc. leg. loc? à correlat.* eoque, dum citari ac inhiberi potest benedicturus, potest & benedicenda.

6. Delegatio spectat ad omnia ad causam pertinentiæ.

7. Sorites huius quæstionis.

His accedit quod Iudex *ex eo, quod sibi causa committitur*, inquit c. cum *præterea X. de off. deleg. super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem*: ad causam verò benedictionis pertinet quæstio, quomodo huc intrasti? & responsio; per electionem & confirmationem: rursus; quomodo in beneficium viuentis? per cessionem: at qualiter, & vbi factam? in carcere; sed sponte; imo per vim & metum; qui in spoliato præsumitur. *c. super hoc. X. de renunc.* ideoque *de renuntiatione*, inquit *c. 2. X. de rest. spol. sponte facta, antequam spoliata restituta fuerit, testes non admittas*: viden' vt per soritem tota hæc benedictionis, superinductionis, & resignationis causa ad delegatum pertineat? neque causa principalis tantum, sed & quæcumque accessoria in reuocationem attentatorum cadant? c. *dilecti. 55. X. de appell.*

8. Soluuntur obiecta.

Superest solutio obiectorum. 1. c. quia *nonnulli. X. de rescript.* quod cum rescripta sint strictè accipienda, perperam ad futuras trahantur controuersias, quæ nondum fuerunt tempore impetrationis: 2. c. *P. & G. X. de off. deleg.* quod non possint prorogari ad personas in illis non nominatas: 3. c. cum *dilect. X. de rescript.* quod processus contra formam rescripti factus declaretur irritus: 4 c. cum *olim* X. *de off. deleg.* quod ad delegatos non pertineat damnorum cognitio, quorum in rescripto nō erat mentio; eoque excommunicationem ab eis latam nullam esse: 5. clementina *literas. de rescript.* vbi mādatum de prouidendo non porrigitur ad beneficium pòst creatum: 6. decisio Rotæ 157. quod rescriptum super causis motis, & mouendis, non extendatur ad alias, etiam mox postea exortas: *Abbas in d. c. cum etiam. n. 3. si Iudex*, ait, *procedit super aliis rebus in rescripto non comprehensis, cautelam esse, vt contradicatur, & appelletur*: & *n.* 7. extendi tantum ad accessoria ex contractu ad interesse; ex possessione ad fructus; ex spoliatione ad restitutionem spoliationis, & damnorum; quippe accessoriorum ad interdictum: c. grauem *de restitut. spoliat.* aut nil ex natura actionis principalis veniant: *ex Euerad. loc. legal. 15.* mandatum ad litem, & iurisdictionis æquiparari; & in neutro veniri id, quod non exprimitur: sed hæc omnia facilè soluuntur. siquidem d. c. quia nonnulli tam inuehitur in eos, qui eosdem aduersarios ad quos diuersos Iudices trahunt, quam qui diuersas res aut personas ad eundem. multo magis iura illis indignantur, qui continentium causarum cupiunt diuidere. *l. nulli. C. de Iud.* præsertim, vbi hic, cum ex iisdem causis, & principiis decisiones desumunt, vt hic ex subiectione, vel exemtione. & multo maximè si quid ex causa principali nascatur, vel dependeat; vt attentatum. adeoque decisum est *in. dilect. X. de except.* post appellationem rescriptum impetrantem non teneri mentionem facere de excommunicatione postmodum lata sed illam, quandocumque post latam per delegatum irritari. & *quicquid*, inquit, *post huiusmodi appellationem inuenerit attentatum.* qui dicit omnia, seu quidquid, nihil excludit. & rectè dicit Panormitanus ex eo capite posse colligi regulam, quod de innouato post appellationem non est necesse in rescripto facere mentionem. &, Viuianus *in Rotali iuris pontif. ad d. c. dilecti.* rationem assignat; quod, quæ post appellationem fiunt, nullius sint effectus

fectus. *c. cum speciali X. de appell.* nec præstet impedimentum quod de iure non sortitur effectum. &, qui per appellationem à Judice recessit, non teneatur curare, quid ille postea faciat. *c. bonæ. de confirm. vtil. vel inutil.*

10. Et personas in illis non nominatas.

Porrò quod secundo obiicitur, quod rescriptum non extendatur ad personas in eo non nominatas: pro regula quidem traditur: *vt diximus*: sed fallit in iis, quorum eadem est causa. *iuxta l. sæpè. D. de re iudic.* vt antecessoris & successoris: *l. 1. C. quando libell. princip.* & specialiter decisum est in iis, qui succedunt in eiusdem rei vitium. *c. quia. X. de iudic. vbi DD. & late Butrius.* Quâ

11. Formam à aliis literis expressam.

ratione etiam soluitur, quod tertiò obiectum fuit, quod processus contra formam rescripti, sit irritus: quippe *in d. c. quia*, expressè deciditur formam in prioribus literis præscriptam extendi, & seruandam esse etiam in illis, qui succedunt in vitium.

12. Damna.

Quod 4. de damnis *ex d. c. cum olim. X. de off. deleg.* adfertur; nihil vrget. quia de rebus statuit omnino separatis, quam vel rescriptum Papæ, vel rei mandatum procuratorium exprimeret, videlicet de damnis in nemoribus & aliis rebus datis: cùm illa tantùm de stagno, molendino, & domo loquerentur. quod si autem damna in his accidissent; vtique ex causæ continentia, & vt accessoria ad eosdem Iudices spectasset cognitio. *d. c. gratis. arg. c. de prudentia. X. de donat. inter vir. & vxor. c. accessorium de reg. iur. in 6.*

13. Nondum confirmata.

Clementina literas 5. loco obiecta, nihil etiam ad rem facit. illius ratio est, quia non entis nullæ sunt qualitates. beneficium ergo, quod in rerum natura non est, non venit in reseruationem: sed effectus attentati, qui in sua causa continentur, commissa causa commissi eidem delegato censentur. *d. c. dilect. X. de except.*

Quod 6. obiicitur *ex decisione Rotæ 157. quæ in impressione Coloniensi 1581. est in nouis 18 de rescript.* fundatur tantum *in d. c. quia nonnulli.* vt rescriptum simpliciter conceptum non trahatur ad causas futuras. tamen, cùm causa iusta est, nihil est dubij, quin Pontifex rescripta ad præsentes & futuras causas possit extendere. vt euidens est in Iudicibus conseruatoribus, & attentatis *d. c. dilecto. d. c. bonæ.* atqui rescriptum, de quo quæritur, præter appellationis, nullitatis, & attentatorum causas, committit omnes, quas Impetrantes habent non tantùm, & mouent; sed & omnes, quas habere & mouere volunt, & intendunt; adeoque futuras. atque ita potius censendum est hanc clausulam rescriptis interseri ad derogationem d. c. quia *nonnulli.* neque enim aliter velle pontifex, aliter scribere dici potest. *L. Labeo. §. Idem Tubero. D. de supell. leg.*

14. Causas futuras.

Cautela verò quæ ex Abbate refertur *obiectione 6.* vt appelletur tanquam à non habente iurisdictionem; & quæ vlterius de accessoriis dicuntur rem nostram, vt eam deduximus, confirmant. vt & auget æquiparatio mandati rem procurandi, & iudicandi. sæpe enim illud extenditur ad res, & personas diuersas, ac futuras. *Specul. tit. de procur. n. 8. & 9. Wesenbec. in parat. tit. eod. n. 9. arg. l. fin. C. quæ res pignor.*

15. Qualiter ab incompetenti Judice appellandum sit.

Aiunt denique citatum, qui citari non debuit, rectè appellare: *ex c. cum olim. c. significantibus c. cum causa. X. de off. deleg. canonist. in c. præterea. X. de dilat. Guido Papæ decis. 436. Sccacia de appell. q. 17. lim. 47. n. 24. Abbas in d. c. cum olim n. 3.* vt si delegatus citet extra comprehẽsa in rescripto; *cautela est*, inquit, *vt contradicatur, & appelletur.* sed contra dicere est comparentis, & in iudicio allegantis, seu exceptionem declinatoriam proponentis. & ita factum erat *in d. c. cum olim*; & reiecta exceptio; secuta appellatio; quæ ibidem probatur. idem accidit *in d. c. cum causa*

16. A citante non citandum.

causa & in d. c. significant. vbi iurisdictionem Iudices resumpserunt, cùm antè declarassent se non esse competentes. nec vspiam horum locorum dicitur vocatum comparere non debere, priuilegium suum allegaturum. cæterùm si euidens est vocatum nullatenus spectare ad iurisdictionem vocantis; tum, quia comparere non tenetur; quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur; *l. fin. D. de iurisdict. om. Iud.* recipi potest, vt vocatus appellet. non si aliquatenus dubitari potest. *l. 1 §. & si dubitetur. D. de iudic. gloss. & DD. in d. l. si quis D. eod. diximus in Consult. can. de appellat. cons. vlt.* qui notoriè ad Judicem non pertinet, legitimè (quo vocabulo vtitur d. c. præterea) vocari non potest. *d. l. fin.* & Abbas *vbi suprà* subiungit, quæ dixerat intelligenda esse iuxta ea, quæ docuerat in c. 1. *eod.* vbi *ad fin.* multam energiam tribuerat notorio. eodem modo citatus ad locum non tutum, comparere non tenetur: appellare potest. *clem. pastoral. §. notorium. §. vt illud. de sent. & re iud.* at hic non dubitari tantùm debuit, ex libello postulatæ inhibitionis; sed euidenter ostensum est hanc causam inhibitionis spectare, & natam esse, & pendentem ex principali; attentatâ scilicet extractione, resignatione, & superinductione in dignitatem, non aliter vacantem.

17. Causæ continentia non diuidenda.

Quinimo electa ab ipso delegato petiit inhibitionis reuocationem: quo iure? nisi quia & ipsa ad illam spectare causam agnosceret? *Neque enim ab eo quæreret salutem, quem non crederet saluatorem*, inquit Gregor. *homil. 28. in Euang.* Causæ continentiam diuidi vetat d. lex *nulli C. de Iudic.* ad causam verò benedictionis pertinere quæstionem, quomodo huc intrasti? & quæ inde sequuntur, mox ostendemus. sed & in materia etiam iurisdictionis, foriq; competentis, non obstante etiam appellatione frustratoria, Iudex, a quo prouocatum est, procedere iubetur *in c. qualiter. X. de Iudic. c. licet. X. de for. compet.* & generalius frimolas appellationes non esse attendendas decernitur in c. *suggestum. c. pastoralis. X. de appell.* & hanc porrò friuolam esse liquet ex eo, quòd friuola habenda sit omnis, quæ sit aduersante iure, vt hic, & sic Conc. Trid. *s. 13. c. 1.* vbi dum vetantur appellationes in causis visitationis, correctionis, & criminalibus, subiungitur vt consequens; *nec Episcopus seu vicarius appellationi tanquam friuolæ (nota) deferre teneatur*, & quidquid demum eius rei sit, semper verum manet, proponi ab appellante coram Iudice debuisse: & tum porrò, si definitiuè super competentia pronuntiatum fuisset, appellari. *d. c. cum olim. de off. deleg.* si probabilis foret appellatio, non si friuola. *d. c. qualiter. d. c. licet.*

Præterquam quod iubeat Conc. Trid. *s. 22. c. 7.* vt in concedendis inhibitionibus Iudices teneantur seruare constitutionem Innoc. III. *c. Romana. de appell. in 6.* quæ vetat eas concedi, nisi constiterit negotium esse ad concedentem deuolutum. *alioquin*, inquit Trid. *inhibitiones, & processus, & inde secuta quæcumque sint ipso iure nulla.* at hic ne quidem proposita fuit declinatoria coram delegato; sed tantum coram notario allegata appellando incompetentia. quomodo ergo ab illo potuit ad Internuntium deuolui? quomodo inhiberi? nisi cùm finali clausula d. c. 7. *si inhibitio & processus, & quæcumque inde secuta sint ipso iure nulla?*

RESPONSVM II.

An concursui subsint parochiæ Melitensibus competentes.

AN commendatarij Melitenses ex priuilegio concursum excludant à suis parochialibus Ecclesiis, inspiciendum illud esset: *c. porrò X. de priuileg.* si quidem aliquod esset post Concilium Trid. impetratum. nam anterioribus priuilegiis, exemptionibus atque indultis qualibuscumque derogauit s. 24. c. 18. *vers. non obstantibus.* Priuilegia Melitensium, sed alio in genere, nonnihil attigimus *in Consul. can. de ædif. eccl. cons. 2.*

1. Antiqua priuilegia derogata, noua inspicienda sunt.

Deinde inspiciendi sunt tituli ex quibus d. commendatarius in d. Ecclesiis parochialibus aliquod ius habeat. si illud sit ius patronatus veri nominis, ei præsentatio veri nominis, & Episcopo institutio competit; sed examinatorum per concursum: quod si alteri competit institutio; tunc Episcopo competit dignioris electio; alioquin commendatario, tanquam patrono. *id. c. 18. §. si verò iuris patronatus eccl.*

2. Tituli.

3. Si iuris patronatus locus vt sit concursui.

Quod si ex titulo apparet commendatarium plenum ius habere in d. Ecclesiis, tam quoad spiritualia, quàm temporalia: *iuxta c. 3. §. in eccles. X. de priuileg. c. visis. 16. q. 2.* admitti quidem debet concursus, examen, approbatio, & electio dignioris: *secundùm præscriptum c. 18.* sed ipsa institutio & destitutio secundùm d. *§. in Ecclesiis*, competens, manet in antiquis terminis: secundùm quos, si commendatario competat institutio, per decretum Concilij tribuitur Episcopo dignioris electio. sed vt hanc nanciscatur exactè debet obseruare, quæ Concilium præcipit. *Azor. Inst. mor. p. 2. lib. 6. c. 22. q. 15.* in quibus sunt omnino multa apud Barbosam, ex quibus ab eo citati, si non obseruentur, nullitates concursus inducunt: qui non præstarent impedimentum liberæ commendatarij prouisioni, si de iure non sortiantur effectum. quæ tamen moderanda existimauimus *in Consult. can. tit. de elect. cons. 1.*

4. Si primo iure competant.

5. Si iure quasi Episcopali:

Quod si commendatario specialiter vel ordini generatim competat etiam iurisdictio quasi Episcopalis; tunc nec omittendus foret concursus; sed videndum an Episcopus, an commendatarius illum deberet instituere. *per ea quæ tradunt authores citati à Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c. 18. n. 46. & seqq.* quod nullibi factum vidi.

6. Si iure primitiui parochi:

Denique si olim d. Ecclesiæ parochiales simplicibus tantùm terminis fuerint vnitæ, vt commendatario ius competat primitiui parochi; tunc an ille deputare tantùm debeat vicarium, quamuis perpetuum; & examinare illum & idoneum admittere sine concursu debeat Episcopus, an verò instituere possit concursum; dixi *in Iur. Pont. nou. anal. præsertim edit. 1641. de elect. n. 15. §. animaduertendum.*

7. Edere titulos debet commendatarius.

Edere autem debet commendatarius suos titulos, vt Episcopus vniones examinare possit; ex decreto Conc. *Trid. s. 7. c. 6.* & priuilegiũ *c. cum personæ. de priuil. in 6.* quod si refragetur, interim videnda est formula secundùm quam consuetum est istis Ecclesiis prouideri; nominationis, deputationis vicarij, an præsentationis vocabulo; & secundùm illud concursus institui aut approbatio dumtaxat dari. quãquam multi, qui ius parochiale incorporatum habent, vt impropriè dicuntur patroni, ita impropriè vtuntur verbo *præsentationis*; eoque subiiciuntur decreto d. c. 18. qui, si tanquam primitiui vterentur vocabulo *deputationis vicarij*, examini quidem, non concursui, subiicerentur. quæ eadem vsu veniunt in Capitulis, monasteriis,

8. Eadem hæc in aliis obtinent.

collegiis, quæ habent vnitas, aut aliter sibi competentes parochiales Ecclesias: imò in Episcopis quibus in alienis diœcesibus prouisio parochialium competit. vt dicuntur Interpp. respondisse. adeoque & idem dicendum in Episcopis antiquarum Sedium Belgij; qui sub nouiter erectis retinuerunt in aliquibus parochiis decimas, & prouisiones parochorum.

De electione.

RESPONSVM I.

De abbatissarum præsertim exemptarum confirmatione.

1. Illa necessaria est.

DEbere Abbatissam confirmari de iure non expressum ait Azor. *inst. mor. p. 1. l. 13. c. 10. q. 3. & sequitur Tamburin. de iur. Abbatiss. disp. 29. q. 1.* at verò generatim sufficit statui in quibus beneficiis locum habet electio, confirmationem esse petendam. *c. 3. X. de elect.*

2. Nisi contratium habeatur privilegium.

quamuis consuetudine induci possit vt confirmatione opus non sit. *Abbas in d.c. 3. n. 5.* vt & quædam religiones habent priuilegium, vt eorum generales ministri, seu præpositi ritè electi confirmatione non egeant. *Rodrig. tom. 2. q. 53. ar. 3.* vt lex quidem & regula sit in contrarium. adeò vt si quis ante confirmationem administret, priuationem incurrat. *c. qualiter. 17. X. de elect. c. anaritiæ. 5. eod. in 6.* vbi generaliter hæc leguntur verba; *vt nullus de cætero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus &c. in spiritualibus &c. se immiscere præsumat.* vbi & vocabulum dignitatis indefinitè

3. Nec ante licita administratio, sub quocumque nomine.

accipitur; & pronuntiatio sermonis in masculino ad vtrumque

4. In dignitatibus.

sexum porrigitur. *l. pronuntiatio. l. iusta. l. si quis D. de verb. signif.* adeo-

5. Vtriusque sexus.

que *in clem. attendentes. de stat. reg.* vt certa præsupponitur Abbatissæ confimatio, in verbis, *in monasteriis in quibus abbatissa sunt solita benedici, intra annum à sua confirmationis nota tempore computandum, munus benedictionis suscipiant.* vbi benedictio non vbique obtinere, sicut confirmatio significatur, excepta vt diximus contraria consuetudine. quemadmodum & generaliter statuitur, vt confirmatio per electum petatur intra tres menses, seu aliàs idoneum tempus. *c. quam sit. 6. de elect. n. 6.* idque sub pœna etiam priuationis.

Porrò electionis confirmatio petenda est ab immediato superiore. *c. indemnitat. §. 1. in verb. per superiorem de elect. n. 6. Hostien. in sum. de elect. in 6. Rodrig. tom. 2. q. 53. ar. 3. de regular.* adeoque à diœcesano per non exemptos; per exemptos ab ipso Pontifice, seu legato. *c. si Abbatem. 3. de elect. in 6.* si quidem immediatè subsint, alioquin à superiore immediato.

Enimverò Concilium Trid. *de regular. c. 9.* monasteria monialium immediatè subiecta Sedi Apostolicæ, ab Episcopis, vt delegatis, gubernari voluit: quæritum est, an, cùm olim soleat Abbatissarum confirmatio peti à Sede Apostolica; per d.c. 9. ad Episcopos sit delata vt delegatos? & refert Barbosa *in Collect. DD. ad Conc. Trid. ex Armendar.* à S. Cong. Interpretum fuisse resolutum d.c. 9. nullum tribuere Episcopo iurisdictionem extra regimen spirituale: at verò cõfirmatio iurisdictionem tribuit in spiritualibus, & temporalibus, *c. nostr. 9. c. transmissam. 15. c. quidem. 17. c. nihil 44. X. de election.* nemo autem potest plus iuris in alium transferre, quàm ipse habet: sicut & omnis confirmatio præsupponit superioritatem. *d. c. indemnitatis. c. si abbat. & tot. tit. X. de confirm. vtil. vel inut.* non ergo poterit Episcopus exemptas confirmare, aut plus tri-

tribuere, quàm ipsi per d. c. 9. sit concessum. quemadmodum etsi per constitutionem Gregorij XV. *incip. inscrutabili* concessum sit, vt possit præesse monialium electioni; declararunt tamen Interpretes nec per hoc ei esse tributum ius confirmationis. quę censura sic indistincta & indefinita vtique præsupponit nec ius cõfirmandi competere per anterius Concilium Trid. & in simili Conc. Trid. *de regular. c. 20.* ex facultate visitandi vetuit aliud inferri, quàm decreto sit concessum. in cæteris omnibus *priuilegia firma sint*, inquit, *& illæsa*. & generaliter veteris iuris correctio inducenda non est, nisi sit expressa in lege noua.

10. Strictè accipiendum c. 9. & 15. de reg. Trid.

Quod eo magis erit dicendum, dum d. c. 9. nullam confirmationis mentionem facit, & vocabulum *gubernatio*, vt metaphoricum est in d. c. 9. ita propriè in naui vsurpatur de eo, qui gubernaculo præest, etsi alius eum præposuit. vt *in l. 1. & ibi DD. D. nautæ caup. Stabul.* & propriè gubernator dumtaxat dicitur qui in puppi; proreta qui in prora præsidet. *Budæus in l. 1. D. De arbit.* vt imperium ei non sit absolutum. atque ita gubernatio per d. c. 9. delegata strictè est accipienda, non de omni superioritate; sed regimine, quale in antithesi in d. c. 9. proponitur de iis, qui à regularibus reguntur; vt sub eorum *cura*, inquit, *& custodia relinquantur*: atque aliò non possit flecti, quàm ad eam directionem, quâ nauis rectà nauiget ad eum portum, quem religionis statuta præscribunt; non vt gubernator aliquid aliud detrahat iuri institoris, seu exercitoris nauis, aut nauigantium: & sic neque Episcopi hîc delegati iuri delegantis, aut delegatorum, extra strictè acceptam gubernationem, curam, seu custodiam hîc dumtaxat delegatam.

Quare rectè censuit F. Nuntius Apostolicus Abbatissam B. immediatè Sedi Apostolicæ subiectam non rectè ab Episcopo A. confirmatam, & iuramenti formam Papæ præstandi non rectè ad Episcopum fuisse translatam: & inposterum à Sede Ap. confirmationem peti iussit.

11. Etiam benedictio ab immediato superiore accipienda.

Quæ de confirmatione diximus, de benedictione etiam sunt accipienda: vt ab immediato superiore accipiatur. allegat Azor. *d. c. 10. q. 4. sub medium* clement. *attendentes verb. per eos ad quos pertinet*: sed ea referuntur ad prouisionem faciendam per eos ad quos pertinet, ipso iure excidente abbatissa, quæ intra annum non benedicitur, vbi benedici solent: ita vt clementina nihil de eo decidat. oportet ergo à confirmante benedici. hæc enim ad ius Episcopale pertinent per veteres canones. *c. duntis. 20. q. 1. in v. viduas autem velare nullus Pontificum attentet. & tot. illa. q. 1. c. consuluit. X. qui cler. vel vou.* in exemptis autem exinde per priuilegia reseruata sunt Papæ, vel translata ad alios superiores. *vide Tambur. d. disp. 29. q.*

De temporibus Ordinationum, & qualitate ordinandorum.

RESPONSVM I.

De priuilegiis regularium adeundi alienos Episcopos.

PRiuilegia omnia regularibus olim concessa, vt promoueri possint ab alieno Episcopo, sublata videntur per Concilium Trid. *s. 23. c. 8. in verb. vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur. quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur.*

1. Vetera sublata sunt per Trid.

Inde Clemens VIII. *decreto quod refert Piacef. in praxi c. 1. n. 14. & L. Miranda in manual. Prælat. tom. 1. q. 38. ar. 3.* sanxit ne Prælati regulares suos dimittant ad alienos Episcopos, nisi diœcesanus absit, aut ordines non sit daturus, eàque causa litteris inserta, sub graui pœna.

2. Nisi absit diœcesanus aut non ordinet:

Sed quid si Sedes vacet? & hunc casum sub prioribus exceptionibus comprehensum esse videtur aliàs respondisse S. Congregatio, quasi speciem sub genere.

3. Sedes vacet.

Sed an etiam primo anno vacationis? in quo Concil. *s. 7. c. 10.* dimissorias vetat dari, & dantes ac sic ordinatos grauibus pœnis mulctat: *ibid & s. 23. c. 10.* verùm ea loca de Capitulis loquuntur, ijsve, qui Sede vacante in iurisdictionem Episcopi succedunt, dimissorias dantibus: & videntur agere de clericis sæcularibus, *d. c. 10. s. 23 in verb. dimissorias aliquibus sæcularibus &c.* seu etiam iis regularibus, qui exempti non sunt, seu quoad ordines priuilegiati; vt quoad illos futuro diœcesano reuerentia quædam seruetur, cuius ratio tum in regularibus non priuilegiatis æqualis videtur: priuilegiati autem si sede vacante, quamuis primo anno, ordinentur, nihil decedit diœcesani successoris reuerentiæ, non magis quàm prædecessori viuo debuisset exhiberi: quippe, eo ordines non habituro, poterant priuilegiati alienum adire.

4. An & primo anno?

An porrò hoc casu seruanda erunt interstitia, quæ Concilium Tridentinum præscripsit? s. 23. quoad minores c. 11. quoad subdiaconatum c. 13. quoad diaconatum & presbyteratum c. 14. & omnino dubitandum non est: nisi aliud pro necessitate aut vtilitate Ecclesiæ expedire videatur. *dd. cc. Miranda vbi suprà ar. 5. & 6.*

5. An his seruanda interstitia?

6. Nisi Ecclesiæ expediat.

Sed cuius arbitrio? Miranda *vbi sup. ar. 7.* negat huiusmodi interstitiorum remissionem Prælatis competere; citatque S. Congregationis declarationem: præsicta Concilij loca tribuunt diœcesano proprio ordinandorum, & *citati à Barbos. in Collect. DD. ad Concilium Trid. d. c. 13. n. 7.* vel Sede vacante post primum annum Capitulo, seu ei qui illius vice iurisdictionem episcopalem exercet *n. 8.* & Miranda *vbi sup.* in sæcularibus: *d. ar. 7. concl. 2.* in regularibus autem non exprimit cui competat, nisi quod superiori regulari non competat. *concl. 1.*

7. Sed cuius arbitrio?

Nec videtur ex priuilegio adeundi alienum Episcopum quis ordinare possit, sequi facultas remittendi interstitia: cùm Sixtus V. *in ea bulla quam moderatur Clemens VIII. constitut. incip. Romanum aud. Quarant V. Ordo.* graues etiam pœnas inflixerit ordinantibus sæcularem, vel cuiusuis Ordinis regularem non seruatis interstitiis: quod in proprio non obtinet iudicante id Ecclesiæ expedire: & Clemens quidem pœnas Sixti sustulit; non tamen decreta Concilij: adeoque videri potest priuilegia ante Concilium obtenta regularibus quoad interstitia non suffragari; nec post Concilium data aut confirmata, nisi expressè ea facultas sit inserta. præsertim cùm confirmationes post Concilium solent habere clausulam restrictiuam quatenus decretis Concilij Tridentini non obuietur. & ideo refert Barbosa *in Collect. ad s. 23 c. n. 7.* Congregationi S. Ioannis Euangelistæ Portugalliæ concessum à Clemente VIII. vt ordinari possint sine interstitiis: idemque existimo permissum Societati Iesv Indulto Gregorij XIII. *de quibus n. 6.* & illis competere qui communicationem habent priuilegiorum, dum suberit æqualis causa. In aliis porrò non immeritò videri possit Capitulum, quodin arctandi adeundũ tis dimissorias dare potest *d. c. 10. s.* quod quamuis in rigore verborum loquatur in arctatis ratione beneficij, etiam regularis; vt si quis idoneus

neus constituatur rector Ecclesiæ regularis, remitti ei interstitia possunt & debent, vt intra annum recipiat ordines omnes necessarios; tamen ex identitate causæ, recipi posse videtur etiam in arctatis ratione portionis, aut præbendæ monachalis: cùm scilicet conuentus defectum patitur ministrorum. tunc enim regulares, quos superior delegerit, arctari videntur ratione beneficij, id est status, portionis, aut præbendæ monachalis: adeoque ei dimissorias dari posse à Capitulo, ex iudicio superioris regularis quoad arctationem seu necessitatem Ecclesiæ. cùm etiam ipsum diœcesanum huiusmodi superiorum iudicio deferre competeret. *Miranda d. ar. 7. in fin. 1. concl.*

11. An in arctatus ratione port. omnis monachalis?

Idem tamen *in fin. concl. 2.* sub dubio existimat, quoad minores, qui à Prælatis regularibus suis conferuntur, interstitiorũ remissionem competere iisdem, quasi cui competit quod est maius cõcessum videatur quod est minus. eo denique argumento videtur quibusdã concessa facultate vt regulares possit ordinare Episcopus alienus, cõcessum videri, vt & is super interstitiis possit dispensare: sed sequela non est necessaria; ideoque dubius mansit Miranda; & à nemine resolutum ait: verius sanè videtur vt regulares, qui priuilegium super interstitiis non habent, nec viuo Episcopo, nec sede vacante aliter ad alienos Episcopos mitti possint ordinandi, quàm seruatis interstitiis. nec Clemens VIII. *in d. decreto* vlteriùs eorum priuilegia vltra dispositionem d. c. *8. s. 23.* extendit, vt supra diximus. etsi sciam ex epikeia quadam aliter aliquos esse vsos aliquando.

12. Qui potest ordinare in minoribus suos regulares interstitia potest remittere.

RESPONSVM II.

An minores ordines & subdiaconatus simul suscipi possint?

Assero, inquit Barbosa, *in Collect. DD. ad Conc. Trid. s. 23. c. 8. n. 9. citans scipsum p. 2. alleg. 11. n. 15. cum Henrique concedere etiam consuetudinem receptam, vt feria sexta vespere præcedente sabbatum in quo de iure ordines sacri conferuntur, Episcopis fas sit ordines minores dare, quasi in hoc officio censeatur incipere dies Sabbati prædie vesperi.* quod quidem minùs decere existimaui, quàm si feria sexta quatuor temporum minores; Sabbatho maiores dentur. *In consult. canon. de temporib. ordinat. consult. 1.* nihilominus Barbosa tamen consuetudinem exigit; quæ in his valet. *c. cum H. X. de eo qui ord. furt. susc. in verb. iuxta consuetudinem patriæ, gloss. in c. de eo. in verb. ad minores. X. de temp ord.* alioquin de iure non admittitur huiusmodi computatio. *c. literas. vers. si enim. X. de temp. ord.* neque extra tempora sacri ordines conferendi consuetudinem admittit c. 2. *X. de temp. ordin.* vbi tamen & multitudo, & antiquitas à pœna excusat.

a Vt ordinum dies computandi?

Duo ordines sacri eodem die ne conferantur vetat Concil. Trid. *s. 23. c. 13.* vnde videtur *arg. à contrario sensu*, non sacros posse: quod detur vt verùm sit *ex c. de eo. vbi gloss. de temp ord.* quamuis verius sit nõ licere. *c. 1. 2. 3. 8. d. 77.* nisi ex consuetudine. *d. c. 2. de eo qui ord. furt.* aut aliud Episcopo expedire videatur *Concil. Trid. s. 23 c. 11.* sed non sequitur vnum vel plures ordines minores simul cum sacro eodẽ die suscipere licere *d. c. 11. in fin. præter Bonacin. citatũ à Barbos. in d. Collect. ad c. 13. n. 15. s. 23.* id negat Cucchus *in Inst. maior. lib 4 tit. 13 n. 17.* citatque Innocentium & Hostiensem *in c. dilectus. d. tit. Silues.* in sum.

2. Eodem die duo sacri non possunt suscipi: an ergo vnus plureſve nõ sacri cum sacro?

in sum. verb. ordo. 2. q. 7. qui cõtrariam tantùm videtur admittere dispensationem Papæ. & arguit pœnam depositionis. *ex c. qui in aliquo. dist. 51.* quod tamen id disertè non dicit; sed tantùm punit ordinatores, & ordinatos, qui gradus Ecclesiasticos non obseruarunt. gradus autem sunt, quos dicitur *in Breuario Rom.* instituisse Caius Papa, ab ostiario vsque ad presbyteratum; & D. Ambrosius *in eodem Breuiario* seruatis omnibus ex instituto Ecclesiæ ordinum gradibus 8. die, qui fuit 7. Id. Decem. Episcopale onus suscepisse. vtique omnes gradatim suscepit ordines: sed extra ea tempora, quæ hodie vsurpantur: non tamen nisi vnicum in dies. nam interstitia maiores seruasse docetur *dist. 77.*

In proprioribus terminis loqui videtur c. cùm h. *lator X. de eo qui furtiuè ordin. suscepit in verb. iuxta consuetudinem patriæ sibi quatuor minores ordines contulisti: quibus non contentus, subdiaconatum temerario ausu recepit: quia verò idem clericus in hoc facto multum excessit; mandamus &c.* vbi glossa, *nota*, inquit, *quod omnes minores ordines vna die possint conferri: item eodem die non debet quis accipere minores ordines, cum ordine sacro; ita glossa.* tametsi textus disertè non dicat eodem die clericum illum ordines minores, & subdiaconatum suscepisse. quamuis & id, quasi ad furtiuã subreptionem idoneum, accidisse sit verosimile, & insinuat illa coniunctio, *quibus non contentus.* sed vt, quod dici solet, nigrum cum rubro conueniat, arguit omnino clericum quod furtiuè subrepserit. sed & meminisse oportet argumentum à contrario sensu non procedere, vbi est contrarium in iure dispositum; vt dicendum est *d. c. 2. aliisque* suprà citatis reperiri. ideoque argumentum suprà propositum non concludere. si tamen dicamus disertè non reperiri in iure prohibitum, ne quis minores & subdiaconatũ eodem die recipiat, vbi Episcopus super interstitiis dispensat; conformiter dicetur permissum ex iusta causa. quia quod non reperitur prohibitum censetur permissum. anni tamen seruari interstitium inter vltimũ minorẽ ordinem & subdiaconatum voluit Trid. *d. c. 11. in fin. nisi*, inquit, *necessitas aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.* vbi non libera tribuitur dispensatio, sed valdè restricta: & licet neque hoc exactè seruetur; non tamen frequentatur, vt vno die & minores simul & subdiaconatus conferatur.

De ætate & qualitate præficiendorum.

RESPONSVM I.

An religiosus, qui ob excessum incarceratus, & secundum statuta Ordinis inhabilis ad dignitates factus erat, tamen Prouincialatum alibi gessit, ad suos reuersus prærogatiuis Ordinis frui debeat, qua desunctis Prouincialibus deferuntur?

SI talis ad officium electus à Generali Ordinis, qui potestabolere huiusmodi facti infamiam, & non pœnam inhabilitatis tollere, scienter confirmatus est, sustulisse censebitur confirmans. *l. 57. in fin. D. de re iudic.* & eligentes etiam, & consentientes de eo queri non possunt. *ead. leg. vers. etsi forte.* si autem per ignorantiam excessum electus confirmatusque est, acta quidem ab eo valent. *d. l. 57. l. 3. D. de off. prætor. l. 1. C. de testam.* ipse tamen statum non mutat. *l. 11. l. 35. C. de liber. caus. l. 10. D. de decurion. l. 2. C. si seruus*

seruus aut libertus ad decurionatum aspirauerit. l. 10. vbi seruus ædilis factus conditionis suæ conscius grauiter punitur; errore lapsus domino suo subiugatur.

2. Per subreptionem priuilegium non mutat.

Itaque per subreptionem prouincialis creatus conditionem suam non mutauit: imò grauiter puniri potest. nec per huiusmodi subreptitiam promotionem adeptus est priuilegia, & prærogatiuas rectè constitutis prouincialibus ab Ordine concessas: sed imò in pristinum ordinem redigi potest. neque eius culpæ pœnæque sublatæ sunt. Et suffragatur ratio; ne fraus sua, dolus, atque subreptio cuipiam optuletur, ob quam potiùs carere debeat impetratis. *c. super. x. de rescript.*

3. Si in officio præclarè se gessit, aliquatenus æquum est retinere dignitatem.

Quod si tamen in officio præclarè se gessit, vt non tantùm culpas emendarit, sed & virtutibus præluxerit; huiusmodi emendatio mereri videbitur, vt quasi culpis obliteratis, obitæ dignitatis gradum aliquatenus retineat. vti nouit ipse Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. *c. nouit de pœn. d. 1. DD. in c. peccati venia. de reg. iur. in 6.*

Præsertim si superiores prouinciæ ipsius promotionis conscij, superioribus alterius prouinciæ, seu iis ad quos spectat, vbi ita subrepsit, defectus illius non indicauerint. argumento eorum, quæ statuta sunt *c. 2. 6. & tot. tit. X. de seruis non ordinand.* vt si scientibus & conniuentibus dominis ad sacros ordines fuerint promoti, statum mutẽt, & libertatem cõsequantur. itidemque quoad ciuiles honores cautum est *l. vlt. & pen. C. qui militare poss. l. 12.* vbi nisi intra triginta dies Iudicem domini adierint, dominium amittunt, serui liberi fiunt, nec vllus, honor, aut ius patronatus dominis seruatur: libertate autem concessa deliberat Princeps, *si oportet eos habere dignitatem, vel ea quasi indignos spoliari,* inquit *d. l. vlt.* vtique, vt inquit d. l. pen. *siquidem vtiles ad militiam eis datam fuerint; in ea durare: sin verò minimè idonei, priuari.* Adeoque idem statuendum videtur de nostro religioso, vt emendato & virtutibus prælucenti dignitatis obitæ prærogatiuæ seruentur: sin minùs claruerit, denegentur.

RESPONSVM II.

De ordine præbendæ annexo non mox, sed intra annum residentiæ, suscipiendo ex Statuto.

STatutum Ecclesiæ collegiatæ A. editum an. 1249. exigit, vt prouisus de canonicatu iuret se ordinem suscepturum præbendæ annexum intra annum à die primæ suæ residentiæ. adeoque immemorabili vsu minores ætate prouisi quidem sunt; sed post residentiam ad ordinem incipiebant astringi. Quæsitum est an illud hodie per Conc. Trid. sit mutatum? videri potest in defectum pœnarum Clementinæ, *vt ij. de ætat. & qualit. præfic.* tunc nondum latæ, exactum fuisse illud iuramentum. nam priuatio ipso iure ad parochiales Ecclesias restringitur. *c. licet canon. de elect. in 6. Boerius decis. 223. Weyms. ad constitut. 24. Conc. Trid. innouat. ad const. 3. n. 15.* priuatio autem infligenda multas remoras pati potest; & causas speciales, contumaciam &c. requirit. *c. quæris* (quod etiam in non annexis ordinibus loquitur) *c. 1. & 2. X. de ætat. & qualitat. præficiendor. Weyms. vbi sup. n. 17.*

1. An ea dilatio per Cõcil. Trid. sit restricta?

Enimverò quamuis *Conc. Trid. s. 24. c. 12. §. neminem* admitti velit ad canonicatum, qui ordinem annexum habet, nisi is ordinem habeat, aut ætatem, vt intra tempus iuris eo initiari possit: & *s. 25. c. 5.* vt huiusmodi qualitatibus, vel

2. Vbi de annexis ordinibus disponit.

ordinibus in prouisione nihil detrahatur, aliàs ea subreptitia censeatur: & *s. 22. c. 4.* vt iusto impedimento cessante, intra annum ordines prouisus suscipiat, sub pœnis Concilij Viennensis; atque etiam irritæ prouisionis: tamen Conc. Trid. loquitur de præbendis simpliciter affectis; non autem in collegiatis derogat affectionibus conditionatis, modum aliquem, aut moram temporis admittentibus. vt est hic annexio ordinum, non simpliciter suscipiendorum intra tempus iuris; sed demum intra annum cessurum post ceptam primam residentiam. & quamquam d. c. 4. s. 22. loquatur etiam in Ecclesiis collegiatis: & d. c. 5. s. 25. generaliter de affectis iam ante: tamen d. c. 12. *§. in omnibus s. 24.* affectos quidem deinceps esse voluit canonicatus aliquo sacro ordine; sed exinde designando: sed & disertè loquitur tantùm in Cathedralibus; adeoque in collegiatis antea non affectis canonicatibus obtinet c. 6. s. 23. vt ab anno ætatis 14. possint obtineri, nec ad vllos ordines prouisi teneantur de iure; aut in vim Concilij Trident. obligari possint: affectionum etiam conditiones aut admittentium instituta, in collegiatis Concilium non abstulit, aut in absolutos, aut simplices mutauit, quia vnius expressio est alterius exclusio: *c. nonne. X. de præsumpt. c. qualis. d. 25.* nec priùs ius corrigitur, nisi posterius diserte exprimat. *c. statut. de elect. in 6. l. sancimus C. de testam.*

3. Nihil mutatum est in collegiatis.

Dicendum est igitur à Concilio Trid. statutum huiusmodi in Ecclesia collegiata non esse mutatum, & prouisum ad ordinem annexum non magis hodie, quam olim, teneri ante residentiam. sed per indirectum aliquid mutatum dici potest per idem Conc. Trid. *s. 24 c. 12. §. præterea.* quo hodie sublata sunt statuta & consuetudines residentiam laxantes: vt sic residentiam incipientes incipiant annum

4. Nisi per indirectum ex consequentia imperatæ residentiæ

in quo ad ordines debeant promoueri. quid de Cathedralibus Ecclesiis huiusmodi statuta habentibus æstimandum sit, *diximus resp. 1. de Institut.*

De maioritate & obedientia.

RESPONSVM I.

De exemtione ordinis S. Saluatoris, & in quibusdam subiectione.

ORdinarius Regularibus his præcipit, vt ordinationes suas recipiant, & obseruent: illi exemtos se esse ab illius legibus respondent: & *in Additionibus Regule. ar. 50.* disertè declaratum esse, à diœcesanis non posse eis præscribi statuta, & ordinationes: eoque se religione prohiberi, ne eas recipiant, & à regula recedant: cui consonet c. luminoso *in V. nec aliquam ordinationem. 18. q. 2.* mandat ille vt recipiant, obseruentque, sine exceptione super regula; nî pareant, minatur interdictum; & non parentibus infligit.

§. I.

Quæsitum est I.

AN sint exemti? an obedire teneâtur? Magnum est Apostoli Petri præceptum, *obedite præpositis*: sed tamen non ait, quibuscumque; sed *vestris. Vid. Innoc. III. in c. solit. X. de maiorit. D. Tho. 2. 2. q. 104. a. 5.* vnde & ei, qui vel superior non est simpliciter, vel quâ in re superior non est, sine crimine negatur obedientia. & è contrario grauis peccatum est vsurpare iurisdictionem sibi non competentem, & iudicia peregrina. *c. peregrina. 3. q. 4. c. nullus, inquit Calixtus, c. nullus 9. q. 2. alterius terminos vsurpet, nec alterum*

pere-

parochianum iudicare, vel excommunicare audeat per alienam, inquit Gregorius *c.1.caus.6.q.3. messem transiens falcem mittere non debet. falcem ergo iudicij non potest mittere in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa.*

Monasteria quidem omnia Episcopo subsunt: *c. monasteria 2.q.3.* nisi doceantur exempta. *c. cum dilectus. X. de relig. dom.* vbi censuræ Episcopi declarantur irritæ, si aut regulares doceantur esse exempti, aut ad Sedem Apostolicam appellasse. at hîc tabulæ erectionis tribuunt libertates, immunitates, & exemptionem Ordini S. Saluatoris competentes; adeoque illæ tanquam relatæ omnimodo insunt referenti. *l. esse toto. D. de hæred. instit.* Ordini autem concessæ sunt tam amplis, multis, ac claris verbis, iisque ferè omnibus, quorum singulis illam energiam tribuit c. si papa. *de priuileg. in 6.* vt nullus cauillus sufficiat illis negandis, quibus sanè nō integrè lectis, iudicio Celsi *in l.24.D. de legib.* inciuilis fuerit, qui quippiam responderit. & id si hîc faceret pars vtraque, neque totum, neque nihil Ordinario deberi facilè intelligeret; modò & cæcutiens affectus abesset. eoque Episcopo Ambianensi priuilegium controuertenti respondit Pontifex *in c. porrò. X. de priuileg. inspice, & secundum quod inueneris, ita obserues. Priuilegia*, inquit Leo Papa, *Martiano Augusto Ecclesiarum & monasteriorum, Sanctorum patrum authoritate instituta, nulla debent improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. c. priuilegia 25. q. 2.*

3. Monasteria subiecta nisi doceantur exempta.

4. Vt hîc.

5. Longè exponenda priuilegia.

6. Ex obseruanda.

7. Quale hîc.

Priuilegium ergo Ordini concessæ exemptionis liquidum est: sed habet exceptionem hanc; *per prædicta autem, aut aliquod eorundem*, inquit, *non intelligatur aut possit in aliquo derogari Capitulo d. regulæ, & ordinis S. Saluatoris præfati, per quod disponitur, quod diœcesanus sit pater, & Iudex in omnibus casibus & causis, sorores & fratres d. ordinis tangentibus; & visitator monasteriorum, & locorum præfatorum; & procurator ad hoc, vt huiusmodi regula in omnibus seruetur: saluis tamen declarationibus, modificationibus, & limitationibus, & ordinationibus infrascriptis, de* modo visitationis diœcesanorum tractantibus atque disponentibus.

Illud autem capitulum Regulæ est vigesimum sextum, & ita habet; *Episcopus in cuius diœcesi monasterium est, erit tam sororum quàm fratrum pater, & visitator, nec non & Iudex in omnibus causis, seu casibus, fratres aut sorores tangentibus. ipsum denique oportet continuè sollicitum & diligentem speculatorem esse, si regula in omnibus punctis obseruetur, ne contingat ipsius salubria statuta ab aliquibus sororum aut fratrum parui pendi. Princeps regni seu terræ, in quo est monasterium erit eis responsalis, & defensor in omnibus necessitatibus: Papa verò super vtrumque scilicet Principem terræ, & Episcopum, erit eorum tutor charitatiuus, si eius adiutorium postulauerint, necessitate aliquâ compellente.*

8.

Modificationes autem, declarationes & limitationes d.c.26. multimodæ ibidem proponuntur; sed quæ ad rem præsentem faciat inprimis hæc; *Cæterùm prohibemus, ne qui diœcesani aut alij antistites, qui ex forma regulæ S. Saluatoris, aut præsentium constitutionum huiusmodi monasteria visitarint, possint & valeant vigore officij huiusmodi visitationis, vel quacumque alia causa correctiones facere de personis vtriusque sexus, quos visitarint, aut eis pœnitentias aut pœnas aliquas iniungere, nisi solùm & dumtaxat in monasteriis & locis huiusmodi quæ visitauerunt, & eas correctiones, pœnitentias, vel pœnas exequendas committere teneantur, & debeant Abbatissis, Confessoribus, aut vtrisque conuentibus, si commodè per Abbatissas & confessores fieri nequirent, & per nullos alios possint tales correctiones, & pœnitentiæ, siue pœnæ, executioni mandari. qui diœcesani nullam habeant aut exercere possint iurisdictionem, aut potestatem in monasteriis & locis, atque personis ordinis præfati, nisi circa correctiones & emen-*

9.

emendationes excessuum & transgressiones regulares, quæ per huiusmodi personas fierent.

10. Vt illud examinandum?

Hanc cluasulam exemptionis huius domus examinauimus *in Consult. can. de priuil. cons. 3.* De illa ergo exceptione, & capite 26. Regulæ ab exemptione reseruato qui respõdet, primò meminisse debet, vt posteriores leges abrogare, derogaréue prioribus *l. 102. D. de verb. sign.* ita & de his quæ primò constituuntur, aut interpretatione, aut constitutione Principis certius statuit: *l. 11. D. de leg.* adeoque sicuti qui falsas constitutiones allegat, obligatur pœna falsi; *l. vlt. D. ad leg. Cornel. de fals.* sic in eandemque incidit qui citat leges abrogatas. *l. vn. §. tunc igitur. C. de Codic. Iustinian. confirmand. l. maiorem. C. ad legem Corn de fals. & vbique DD.*

11. Secundùm variationem temporum, & constitutionum.

12. Secundò; vt lex posterior non crudè obiiciatur, sed secundùm totum tenorẽ: *d. l. 24. d. c. porrò.* adeoq; & hæc exceptio secundùm omnes modificationes; & regula prioresque constitutiones iuxta posteriores priuilegiarias accipiantur, & allegentur oportet.

13. Quod eò magis hîc dicendum est, quod in eo ipso c. 26. iubeantur inquiri *aliqui*, inquit, *deuoti fratres de regulis Benedicti vel Bernardi, qui huic regulæ inscribant* (addant) *quomodo excessus emendandi sunt, & qualiter visitabit Episcopus, & omnia alia necessaria, quæ in his verbis non narrantur, ad huius regulæ roborationem assumantur de regulis suprà dictis.* Inquisitionem huiusmodi, fratrum inscriptiones, seu additiones factas esse dubitandum non est; & ex illis natas constitutiones, & bullas Ordini concessas; (vt singulatim ad id assumptus dicitur Petrus de Aluastro Cisterciensis) & has, vndecumque sint natæ, earumque interpretationes, concessiones, restrictiones, modificationes, seu declarationes Apostolicas esse seruandas: & d. c. 26. regulæ non aliter, quàm sub illarum præscripto.

Adeoque heteroclita quidem admodùm est hæc exemptio; nec scio an in alio ordine similem reperias. non minùs quàm heteroclita iurisdictio à d. c. 26. reseruata, & modificata. sed sicuti generatim multi sunt casus cessantis cuiuscumque exemptionis, vel per veteres canones, vel per Concilium Trident. Gregorij XV. const. *incip. inscrutabili*, vel alias extrauagantes; *vt illos indicauimus in Iur. Pont. an. tit. de priuileg.* nec tamen illi impediunt, quo minus alij ordines dicantur exempti: sic neque nominationem hanc per d. c. 26. impediri dicendum est, dum ita nominant Pontifices, exemptionemque re ipsâ concedunt, d. cap. 26. restringunt, & modificant, *vt suprà retulimus.* vt denominatio sumatur à maiori parte, seu regula; non à minori, aut exceptione. manet tamen, *vt diximus*, præter cæteras heteroclita valde hæc exemptio, tam quoad d. c. 26. quàm etiam c. 14. Regulæ: quo electus Confessor generalis à diœcesano accipit ligandi & soluendi potestatem, & corrigendi: quam vt iure det, quasi præsupponitur ipse habere. *c. nemo. de reg. iur. in 6.* & ab eodem confirmatur: & confirmatio non nisi à superiore solet fieri. *c. nihil. c. cùm monasterium. c. cum dilectus X. de elect. c. 2. X. de transl. Epis. c. fin. d. 64. & ibi DD.*

§. II.

QVis igitur erit *d. c. 26.* (quod suprà retulimus) & horum verborum *pater, visitator, & inter* sensus?

Improprium esse sensum merito dixeris, si conferas cum aliis d. c. 26. verbis, quibus Princeps patriæ illorum dicitur *responsalis*; & quia Papa *tutor charitatiuus.* Responsalis in decretalibus sæpè legitur pro procuratore, syndico, agente: tutor charitatiuus in iure non ita notus est: metaphoricus ergo horum verbo-

verborum sensus est. illa ergo etiam verba, quæ Episcopo tribuuntur, citra iuridicas acceptiones intelligi possunt. vt non malè illa substantiua appellatiuè miscenda quidam censeant. quâ tropica locutione dictum sit *pateris litamus, & auro*; pro pateris aureis: sic Iudex paternus hic accipiendus sit. sicut *c. 8. sess. 21. Trident.* Episcopus paternis admonitionibus agere iubetur cum monasteriis commendatis: & visitatio paterna committitur *in c. visitandi. 18. q. 2.* vt *sic*, inquit, *charitatis officium impleat Episcopus, ne grauamen aliquod monasterium incurrat.* Pater naturalis intelligitur is, quem nuptiæ demonstrant. *l. quia. D. de in ius vocando.* sed accipimus hîc spirituales nuptias, & spirituales patres. nec hos oppugnat exemptio; nec illos emancipatio: quamuis per hanc patris potestas soluatur. Visitatores etiam non necessariò comitem habent iurisdictionem, vel executionem: vt patet in iis, qui deputari iubentur *in c. in singulis. & seq. X. de stat. monach.* quod innouat *Trid. s. 25. de Reg. c. 8.* vbi quæ corrigenda inuenerint denuntiare iubetur Episcopis respectiuè, & Abbatibus, seu superioribus. vt in huius ordinis priuilegio Episcopi *ex d. c. 26.* visitantes ipsi Abbatissæ, seu confessori, & conuentibus respectiuè reformanda denuntiare iubentur; vt illi exequantur, ipsi exequi prohibentur. de his non iterum absimile Conc. Trid. *s. 21. c 8. s. 25. de reg. c. 20. & 14.* teneantur qui monasteriis præsunt *visitatores*, inquit d. c. 20. *recipere, & illorum ordinationes exequi.* cuiusmodi executionis denegatio œconomicam magis facultatem, quàm veram iurisdictionem inferre videtur. *c. pastoralis. 28. X. de off. deleg.* vt facultas visitandi non ex iurisdictione, sed Regulæ concessione nasci videatur. eoque nec committi alteri posse, vt in iis quæ iure ordinario competunt, delegatio permissa est; loci autem Episcopus hîc non nisi personaliter visitare potest. At dices illusoriam remissionem fore, colludentibus hisce inter se regularibus, nec quidquam exequentibus: at ego idem obiectabo incommodum d. c. in singulis, & Concilio Trid. illud innouanti: & contentus ero responsione Concilij œcumenici, cui præsedit Innocentius III. *author. d. c. in singulis. in verbis, quod si non fecerit; ipsi visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.*

Sed & vocabulum, Iudex, sæpè impropriè sumitur. *vt in l. antepenult. & tot. tit. D. de arbit.* vbi & iudicare arbiter, & sententiam dicere sæpè refertur. qui pater est, Iudex non est. *l. si filius. l. congruentius. C. de patr. potest. l. qui iuris. D. de iurisd. om. Iud.* at hic idem pater & iudex.

Si enim iuridicè hæc vocabula accipi velis, cõsequenter ex verbis adiunctis etiam propriè tunc accipiendis interpretationem capient. inquit ergo *d. c. 26 in omnibus casibus, & causis fratres & sorores tangentibus*: casus est, determinata facti assertio, seu hypothesis: *Spigel. in Lex. in V. casus.* causa autem à casu, est negocium; quod dum proponitur, causa est; dum discutitur, iudicium; dum finitur, iustitia. *c. forus X. de verb. signif.* erit ergo sensus iuridicus; vt in quacumque facti specie fratres aut sorores forense iudicium habent, Episcopus sit Iudex: id quod iterum iure verum non erit; sed demum, si vel inter se litigent, vel ipsi ad iudicium vocentur. non enim vt quoscumque coram Episcopo in ius trahere possint; sed sequi debeant forum reorum: nisi iterum pro manifestis iniuriis Episcopus Iudex conseruator dari intelligatur. vt olim solent omnia ferè collegia & monasteria aliquem habere. sed conseruator propriè Iudex non est; sed eius officium cessat, vbi iniuria negatur esse manifesta.

2. Pater.

3. Visitator.

4. Iudex.

c. 1. de off. deleg. in 6. Iudicis autem proprium est cognoscere de iure & iustitia partium controuersa.

5. Quod si dicas, quia coniunctiuè ponuntur casus & causæ; in omni facti specie seu casu diœcesanum hîc iudicem esse; & sic non tantùm in causa iudiciali, sed etiam voluntaria iurisdictione, adeoque etiam pœnitentiali; Respondebo istiusmodi acceptionē nunc impediri à priuilegiorum repugnantia. impossibile enim est exemptum quem esse, & omni tamen casu subesse Ordinario. & sic omnia illa, & tam operosa exemptionum priuilegia, Ordini & monasteriis ad Regum & Principum postulationes concessa, nihil nisi fallacia verba continerent: quod à ratione, more, & intentione Romani Pontificis esset quam maximè alienum. *Non arbitror*, inquit l. Labeo. *§. idem Tubero. D. de supell. leg. quemquam dicere quod non sentit.* minùs Summum Pontificem à Regibus & Principibus rogatum bullatis diplomatibus scribere quod non sentit. argumentum autem ab absurdo, vt in actionibus humanis, ita in iure validissimum est. *Euerard. in loc. leg. ab absurdo.*

6. Quidam ergo iudicem ibi conseruatorem volunt intelligere; vtique extraordinarium, & quasi defensorem: vti patrem ac œconomicum; cùm eiusmodi paterna & œconomica potestas nihil commune habeat cum gladio Magistratus, aut pedo Episcopi. Sed quia Regula loquitur de omnibus causis fratres & sorores tangentibus; adeoque videri possit & de causis illorum passiuis intelligi; vt coram Episcopo conueniri possint; & ipse in illos statuere; per me licet, vt etiam propriè Iudex dicatur, ad finem quem d. c. 26. describit: atque etiam competens, seu Ordinarius: quasi ab origine Regula S. Saluatoris suos sectatores exemptos non fecerit: nec primi Pontifices illam confirmantes, exemptionem adiecerint: sed demum qui subsecuti fuerunt. horum ergo nunc priuilegium inspiciendum seruandumque est. *c. porrò. X. de priuileg.* adeoque restrictiones & modificationes per illud expressæ. neque porrò nominalibus nūc argumentis, etymologicisque coniecturis locus est, vbi verba priuilegiorum clara sunt, & liquida.

§. III.

Quæritur igitur, an Ordinarius regularibus his leges ferre, seu statuta præscribere possit?

EVm quidem qui iurisdictionem habet, posse regulariter placuit. *l. eum qui. D. de iurisd. omn. iud.* *l. 1. eod. l. necessarium. & ibi gloss. in lib. Legistuent. D. de orig. iur.* sed hic iurisdictio Ordinarij valde, vt diximus, heteroclita est, tributa per d. c. 26. Regulæ, ab exemptione reseruata, sed restricta per posteriora priuilegia ad correctiones, & pœnitentias: vt suprà est relatum, & sine executione visitanti competente, at regularibus ipsis seruata, potestas autem condendæ legis absolutam videtur requirere iurisdictionem, & potestatem: vt proconsulis, prætoris, & prouincias regentium. vt illa exempla proponit d. l. *eum qui. & strictim eorum Malder. de legib. q. 90. ar. 3. d. 1.*

Sed & illud caput Regulæ emendationes, & visitationes Ordinarijs non pro libitu facere permittit; sed secundùm fratrum Dominis S. Bernardi aut Benedicti additiones, & præscripta: secundùm quæ visitabit, officiumque exercebit Episcopus; aliaque, quæ de regulis Bernardi aut Benedicti assumentur: aut à Pontificibus interpretatione aut constitutione decernentur. quæ adeoque, vt appendices Regulæ, erunt obser-

uanda:

uanda: & secũdùm illa emendationes decernẽdæ ab Episcopis visitãtibus, & ab Abbatissa, cõfessore, vel cõuentibus respectiuè exequẽdæ.

Quæ agendi ratio admodum alludit ad c. in *singulis & c. ea quæ X. de stat monach.* à Conc. Trid. *de reg. c. 8.* innouata. vbi ex Ordine S. Bernardi seu alio capitula generalia celebrare assueto, aliqui ad illa assumi; & visitatores designari iubentur; qui visitationes quidem obeant, correctiones faciendas decernant, sed exequendas per Abbatem loci, secundùm regulam; & cum ea solemni clausula, atque hîc valde notanda, vt ex visitatoribus *nullus*, inquit *d. c. in singul. ex hoc sibi authoritatem prælationis assumat.*

Ad eum ergo modum d. c. 26. Regulæ peritiores ex aliis Ordinibus eligi voluit, qui præscriberent quomodo diœcesani emendare; quomodo visitare deberent: & d. bulla emendationis & correctionis executionem, non diœcesanis; sed superioribus, vel conuentibus committit: & nullam illis iurisdictionem aut prælationis authoritatem assumere, aut exercere permittit. quemadmodum in monasteriis ordinationem facere non permittit *c. luminoso.* 18. *q.* 2. vt & figura iurisdictionis, & apparẽs magis est, quam vera iurisdictio illa; cui negatur executio *c. past. 28. X. de off. iud. del. in verb. eo quod iurisdictio illa nullius videretur momẽti, si coërctionem aliquam non haberet.* Sed & illud notandũ est quod Saluator Regulam dictãs si quid deesse videretur iussit vt sumerẽtur ex aliis ordinibus qui supplerent. Porrò cùm quid fieri per aliquem iubetur, alius prohiberi censetur. *L. eum prætor D. De iudic. glos. ibid. in V. videtur.* adeoq; quod per religiosos fieri iussit, Ordinariis prohibuit.

3. Vt cui negatur executio.

De modo autem eadem bulla statuit, vt suprà retulimus; vt fiat visitatio 1. de triennio in triennium; non ante, cum annuam & frequentiorem admittat c. non semel. 18. q. 2. & ante omnia vocat *visitationis officium* ad Episcopum spectans. vtique iuxta *d. c. in singulis. c. ea quæ.* non iurisdictionem, aut authoritatem prælationis. 2. permittit intrare cõuentum fratrum, non sororũm; quod deinde per aliam mitigatum est; sed rursus per Conc. *Trid. de reg. c.* 25. reuocatum, nisi ad effectum fortè visitandæ clausuræ. 3. ante crates, & in conspectu sororum; vt videri, non audiri debeat, cum cæteris circumstantiis. quas si monitus non seruauerit, præter pœnam excommunicationis, officio visitatoris vt perpetuò sit priuatus, & ipsi regulares alium Antistitem eligant, qui visitationis officium faciat. ecce quàm heteroclita authoritas. 4. vt pœnitentias aut pœnas aliquas iniungere non possit; *nisi solùm*, inquit, *in monasteriis, & locis huiusmodi, quæ visitauerit.* vt extra visitationem nulla sit authoritas. *l. cum prætor. D. de iud. & ibi pot.* rursus ad prototypon visitationum *de quibus in d. c. in singulis & c. ea quæ.* quibus nulla ob visitationis officium conceditur prælationis authoritas. *ibid.* consequitur ergo per d. priuilegia non esse tributam diecœsanis veram iurisdictionem; quæ liberam habet decernendi & exequendi potestatem: sed neque Diœcesanum quomodo & quando lubet huiusmodi regularibus posse sua mittere mandata; statuta condere; leges ferre: sed intra cancellos priuilegiorum, restrictionesque quoad materiam, formam, tempus, locum, modumque manere debere. supra iurisdictionem sic commissam aut extra restrictiones ius dicenti parendum non esse. *d. l. fin.* & sanè qui considerat tam verba regulæ d. c. 26. quomodo excessus emendandi sunt, & qualiter visitabit Episcopus; quod in vim d. priuilegij modificatorij, *nullam habeant iurisdictionem, nisi circa correctiones, & emendationes excessuum, & transgressiones regulares; item & eas correctiones, pœnitentias, & pœ-*

4. Ex libera potestas, sed admodum restringitur, vt hic.

nas exequendas committere teneantur Abbatissis, &c. satis animaduertit officiū visitationis, & correctionis Episcopi non versari circa condendas leges; sed excessus vel defectus in particulari; seu in indiuiduo corrigendos, & emendandos. correctionis enim pœnæ, & pœnitentiæ, quæ habeant executionem, quæ committenda ibi dicitur Abbatissis &c. iam decretæ esse debent aduersus hanc vel illam personam: sic enim correctio visitantis in promptu fit in notoriis, & liquidis; & quasi ex facto, & in arena. *vt diximus in Iur. Pont. nou. anal. de accus. n. 9.* pœnę & pœnitētię impositæ executio mox præsto est, censorio, & ædilitio quodam iure: ita hic tamen; vt negetur ipsa visitanti, sed regularibus reseruetur; multo magis negetur legum latio. *d. c. luminoso. 18. q. 2.*

§. IV.

De Confessoris confirmatione, & aliis ob Ordinario postulandis.

1. Heteroclita exemptio quoad Cōfessarios.

HEteroclita iterum est hæc exemptio ex confirmatione Confessoris generalis, facultatis concessione ad soluendum & litigandum; & si qua sint alia. Sed hæc aut per subsecutum priuilegium exemptionis sublata sunt: *d. §. per præmissa.* vbi ab exemptione tantùm excipitur d. c. 26. *arg. l. cum prætor. D. de Iud. c. nonne. X. de præsumpt.* aut pertinent ad illas Martini V. literas, quibus iterum ab exemptione hæc fit exceptio; *exceptis illis*, inquiunt, *dumtaxat, in quibus eadem B. ipsius Ordinis fundatrix in suis regularibus institutis, & constitutionibus expresiè subiecit, subiecimus, volumusque subesse; & ab omni iurisdictione superioritate, & potestate, & dominio cuiusque alterius quauis etiam authoritate Apostolica, eximimus, & totaliter liberauimus*: an non sufficiunt ad claram exemptionem, & totalem, illis exceptis, liberationem verba hæc Apostolica; an sunt vani fine mēte soni? *d. l. Labeo.*

§. V.

De vsu, aut abusu contrario.

QVo autem plures sunt exceptiones, magis quidem heteroclita est exemptio; sed magis firmatur in non exceptis regula. *Auth. de non alien. §. vt autem.* quæ sæpe in aliquo vitiata perdit officiū. *l. 1. D. de reg. iur.* vnde omnis definitio & vniuersalitas in iure periculosa dicitur. *l. omnis. D. eod.* quamuis tamen eius causa dicatur potior, pro quo est regula. *gloss. vtrobique.* eoque grauior incumbit probatio iis, qui per actus cōtrarios oppugnant exemptionis possessionem, quia in nullis plurium exceptionum comprehensos fuisse illos docere debent; sed directè per priuilegium non permissos: eosque authoritate ordinariâ, & nullos delegatâ exercitos. nam eo modo alioquin capiunt interpretationem, quo priuilegio aut iuri communi non derogetur, *c. cum dilectus. §. cæterum. X. de consuet.* & quo sunt liciti: *l. merito. D. pro socio.* & quo fœminæ simplices non sint deceptæ; dum excipiunt diœcesanum sub qualitate patris, qua eis regula illum dedit: & argumentantur, vt illi, *l. 1. Regum c. 7. homo sacerdos, de semine Aaron natus, non decipiet nos*: sed scientes prudentesque passæ sint illum præscribere per eos actus, quos per priuilegium sciant non licere: quibus non designantur in specie aliquis & multo minus vllæ vnquam latæ leges, statuta, aut ordinationes per prædecessores diœcesanos imperatæ, proferuntur. quas quidem nec amicabiliter ad montum & normam c. cum persone *de priuil. in 6.* proponere fuit visum, nec iudicialiter coram delegatis de his hiscere; sed nunc demum vulgantur quædam testimonia:

quæ

quæ tamen nihil in ſpecie de non permiſſis per dicta priuilegia aſſerunt. vel ſunt eorum, qui ſimilem cauſam cum ſuis exſpectare poſſunt. quibus aduerſatur c. cauſam. *18. X. de iud.* vbi gloſſa id exemplificat in materia exemptionis. qui & interrogari deberent an iuxta decretum *d. c. porrò* fundationem & priuilegia inſpexiſſent; & iuxta c. 1. ſ. *25. de regul. Conc. Trid.* omnem curam & diligentiam adhibuiſſent, vt *ab illis*, vt inquit. *non recederetur*? quod primùm mandatum eſt in lege de regularibus viſitandis, aut quomodocumque regendis. Quæ omnia, aliaque *de quibus in d. c. cum perſonæ verb. poſſeſſione non violenta, non clandeſtina, & c. ſi ſacerdotes. 16. q. 3.* vt ſi qua aliqui contra patrum regulas definierint non à die definitionis, ſed mortis illorum demum incipere præſcriptionem, pluraque alia quæ de illa tradit Gratian. tot. q. 3. *quæque alia retigimus in Conſult. can. de priuil. conſ. 3.* in diſquiſitionem venire oportet, ſi quando coram Iudice hæc proponentur. quamuis enim Iudex quilibet cognoſcit an ſua ſit iuriſdictio: *l. ſiquis. D. de iudic.* tamen cùm iam per appellationem ob defectum iuriſdictionis in partem deuocatur, non ampliùs ſibi ius dicere, neque in exemptos poteſt: *tot. tit. C. Ne quis in ſua cauſ.* ſed ſeruanda eſt forma d. c. *cum perſona*: vel cùm dubium aliquod occurrit, ad ſolam Sedem Apoſtolicam interpretatio pertinet. *c. cum veniſſent. X. de iudic. l. ſi imperialis. C. de leg.* eaq; diſertè illi in priuilegiis huius ordinis reſeruatur. ſed & cùm non friuolè appellatur ab eo, qui negatur eſſe Iudex, non poteſt is in cauſa progredi, ac minimè ad cenſuras. *c. cum olim. de off. deleg. c. cum dilectus. X. de relig. dom.* multò minus Ordinarius potuit præfari monaſterium ei tamquam Ordinario eſſe ſubiectum; & pro ſumma cauſa interdicti aſſumere, quod regulares declararint ſe nec poſſe, nec velle ſtatuta illius obſeruare; imò & ordinariam ipſius iuriſdictionem, & ſuperioritatem negarint. vbi tãquam læſæ maieſtatis crimen, ac ſummum malorum recitatur id, quod crimine vacat. allegare, inquam exemptionem, ſaluâ reuerentiâ, & Apoſtolicum priuilegium. quod ne quidem negligere, ſaluo iuramento de conſeruandis monaſterij iuribus, exempti poſſunt. Et porrò ſi præſcriptum erat aduerſus huiuſmodi priuilegium, & fundationem; replicare id oportuit; non ordinariam iuriſdictionis & ſuperioritatis negationem, quæ competere non poterat obſtante priuilegio, in cauſam interdicti aſſumere: præſertim tam crudis verbis. cùm in materia præſcriptionis quoad exemptionem aliam formam exigat d. c. cum *perſona*: neque mox præſcriptio ius ipſum, priuilegiúmue perimat, ſed exceptionem tantùm tribuat.

4. Itaque quos?

§. VI.

De Regularium confeſſione, promiſſione, renunciatione contraria.

QVod porrò obiicitur regularium confeſſio ſubiectionis, & obedientiæ promiſſio; parum momenti adfert. quippe nec expreſſa abbatiſſæ obedientię repromiſſio valet, ſi modo de exemptione conſtare poſſit. *c. cum dilectus. X. de relig. dom.* cùm etiam huic fides data non noceat. *c. cum in tempore. X. de arbit.* quin nec iuramentum. *c. 13. X. de maioritat. & obedien.* nullas enim confeſſio vires habet, quæ veritati repugnat, aut legi. vt à confeſſis pro condemnatis haben-

1. Si de exemptione conſtat, nihil hæc profitiunt.

dis versiculus antiquus ita excipit; *nisi lex, favor, aut natura repugnet.* adeoque nec contrariari potest priuilegio *c. 2. in verb. recognoscendo vel profitendo. de reb. Eccl. non alien. in 6.* neque confessio mutat statum: *l. liberos. C. de confess.* neq; professione serui constituuntur: *l. parentes. ibi.* neque *factum huiusmodi defensionem libertatis excludit. l. interrogatam. ibid.* debetque semper confessio sociam habere veritatem. *c. fin. X. de confess.* quæ si per diplomata liqueat, nihil confessio obest. sed neque iuri publico ordinis potest priuatus renunciare. *c. si diligenti. X. de for. comp.* sed & in carcere, aut tormentorum metu *l. qui in carcerem. D. Quod metu. l. 1. §. quæstioni. D. de quæstion. Mynsing. 5. obs. 23.* facta nullius sunt momenti. grauissimi autem tormenti, & mortis vicem habent censuræ. *c. cum nemo Episcop. 11. q. 3. Sanches de matr. l 4. d. 5. n. 17.* Quare & Clmētina *multorum de pœnis* actis in carcere, & nominatim resignationibus distertè resistit. & aliàs spoliatus, metu præsumitur renunciare. *c super hoc de renunc.* & non cognoscitur super spontanea voluntate nisi post restitutionem. *c. 2. X. de rest. spol.* & post confessionem sic extortam omnia sunt redintegranda. *c. causam matr. X. de of. del. d. c. super.* Neque verò carcerationis etiam iustitia omnia carceratorum acta iustificat. *DD. in l. 3. D. Quod metu, d. l. qui in carcerem ibid. Tuscus V. carceratus concl. 89.* & hîc fuisse iustam quod aiunt, petitio principij est. Sanè Tridentinum ad carcerem atrocia ferè delicta exigit. *s. 25. c. 6. §. in crimin.* hîc autem summa reatuum est, pro exemptione dixisse. eoque vbi carcerati superioritatem verbis confessi sunt; mox absoluti, dimissi, atque dealbati sunt. praxes eliciendarum huiusmodi per artes confessionum ac scripturarum pulchrè damnantur in c. si *quandoque. 15. q. 6.*

2. An saltem iurantes ipsi obligentur?

Videri quidem possent ipsi iurantes saltem obligari; & renuntiatio in eorum saltem præiudicium valere: *gl. fin in. c. cum tempore X. de arbit.* sed expresè contrà decisum est *in c. cum dilect. X. de relig. dom. in fin.* vbi non tantùm monachi, sed ipse Abbas suo promisso contrauenire potest contrarianti exemptioni. Interest enim Papæ ne subditi sui ab aliis iudicentur, quod interesse ita est correlatum, vt non possit commodè fieri exempti, & superioris separatio, *vt latius in decisione Rotæ 26. Augusti 1641. sub Panzirolo in hac causa dala & Vlissiponensi quam refert Tamburin. de iur. Abbat. t. 3. & idem docet de iure abbatiss. d. 17. quæst. 4* sed indiuisibilis est Papæ superioritas, & subiectio exemptorum. itaque hi illius iuri præiudicare non possunt vt neque clericus in Iudicem laicum consentire: *c. si diligenti. X. de for. compet.* nec Ecclesiasticum, nisi de proprij Episcopi assensu. *c. significasti. eod. alia item citat Tamburin.*

§. VII.

De Nouitiarum receptione.

OBiicitur 2. virginum nouitiarum admissionem ab auctoritate ordinaria pendere; sed contra iterum, si hæc per bullam priuilegiariam excepta sunt, in aliis firmant exemptionis regulam. & discuti oportet iura iuribus concordare; sic & has priuilegiarias constitutiones. *c. cum expediat. de elect. in 6.* vt hæc pro exceptione, pro regula autem exemptionem recipere, & ferè talis forma regulæ & exceptionis, seu generis & speciei *ex c. quia propter. & c. cum dilect. eod.* inter se pugnare videbatur: & etiam Hostiensis, vt *gloss. in d. c. cum expediat* contrarietatem esse censebat: Respondit tamen Bonifacius VIII. rescripta illa inuicem esse sic concordanda.

Sed

Sed neque receptio virginum ad arbitrium pertinet Episcopi; sed superiorum ordinis, & conuentus. Episcopus autem illo præuio, *iuxta verba c. 11. regulæ* consentit tantùm in recipiendam. *iuxta Concilium Nicenum c. 14.* & in omnibus Concilium Trident. illarum examen exigit *s. 25. de regul. c. 17.* sed quoad exemptas non de vniuersis ad ordinem spectantibus, sed libertate ingressuræ, vestiendæ, seu professuræ. formulæ autem & professarum & inauguratarum relatæ, si veteres sunt, accipiendæ sunt secundùm regulam per bullas declaratam, modificatam, restrictam: si nouitiæ, euertuntur à d. c. cùm dilectus *d. c. cùm tempore. d. c. 13. X. de maiorat.* nouitias esse conuincit mentio matris Ecclesiæ sancti B. quippe mater illa centum annis nata esset post filiam. præterquam quod formulam veterem adeo vetuit mutari Greg. IX. vt si præter formam canonicam (atque adeo contra exemptionem) exactum fuerit obedientiæ iuramentum, nec obligare illud, nec vllas vires habere rescripserit. *d. c. 13. X. de maior. & obed.* vt exclamare tanquam in periuros non tam altùm oporteat; ne simul iudicium Pontificis Romani *in d. c. 13.* in damnationem vocetur.

2.

Sed & longè differunt consensus & authoritas. neutrum exigunt bullæ Ordinis. *Liceat*, inquiunt, *abbatissis, aut vicem gerentibus earum, Confessoribus generalibus monasteriorum & locorum præfatorum clericos & laicos & absolutos, & alias personas vtriusque sexus, etiam virgines & mulieres à sæculo fugientes, ad conuersionem in monasteryis & locis ipsis recipere, & ad professionem admittere: post annum tamen probationis, pro ipsorum beneplacito voluntatis. ipsorum*, inquit bulla, non diœcesanorum. qui ea propter quod per Pontificem licet, non possunt impedire: neque priuilegio à superiori concesso derogare. *c. dilect. de temp. ordin. clemen. 2. de elect.* per huiusmodi ergo facultatem cessat d. decretum Concilij Niceni. *cap. 14.* vt ad monachatum nemo recipiatur, nisi de licentia Episcopi: vt cellas nouas aut congregatiunculas monachorum absque notitia Episcopi nemo instituat: *c. cellulas 18. q. 2.* (præterquam quod hæc congregatio, & monasterium duplex pòst institutum sit à Paulo II.) denique Concil. *Paris. 6. c. 48.* quo docetur contra religionem christianam esse, & à diuina abhorrere authoritate, quod Abbatissæ quædam inconsultis Pontificibus virgines viduasque velarent: hæc enim Abbatissis & confessoribus, & patribus monasteriorum hîc à S. Pontifice conceduntur: vt ritu congruo fiant. in quo peccasse Abbatissæ Parisienses videntur, suo marte, atque per se velando: quod ceremonia exigit fieri manu sacerdotis: si non & Episcopi; si de velo consecrationis accipiatur. nam & hæc regula *c. 9.* tam fratres eremitas, quàm sorores consecrandas, ab Episcopo iubet consecrari. quidam enim consecrantur & clauduntur; quidam nec clausi sunt, nec consecrati; sed religiosi, & professi tantùm. quæ consecratio aliquando simul cum professione contingit; aliàs professio & receptio per Confessorem generalem fieri solet. de quibus bulla Pij II. *6. Kal. Oct. 1461. anno*, inquit, *probationis integrè elapso, tibi Priori monasterij, fratres & sorores nouitios probatos atque profiteri sponte cupientes ad professionem Ordinis admittendi authoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus, ac etiam facultatem.* & quamuis vni loco illud rescriptum dirigatur; Martinus tamen V. omnia quorumcumque priuilegia locorum concessa & concedenda communia facit. & singulatim bulla Pauli II. eandem communionem tribuit monasterio T. Sed & iterum d. bullæ, *liceat*, inquiunt, *Confessoribus generalibus & patribus supradictis*

3. Ad regulam hîc pertinet.

4. De velatione virginũ.

5. Professione.

ctis, & eorum cuilibet, personas utriusque sexus volentes religionem ipsam suscipere, quæ ordinem alium intrare voluissent, à tali voto absoluere, ac etiam liberare authoritate præfata; illasque ad professionem tali voto non obstante recipere: dummodo in tali religione, de qua vouissent professionē non emiserint; seu intrare religionem Carthusiensem non vouissent. hæc ergo sine diœcesanis possunt hi regulares. sed nec ipsis quidem diœcesanis concessa sunt: multo minùs, vt vsu suorum priuilegiorum priuare illos possint, aut Apostolicæ concessioni aliquatenus derogare, aut per censuras impedire.

6. De consensu conditionali in receptionem.

Sed & consensit Ordinarius in quendam, etsi sub conditione, *si remanerent patres*: quam non admittit Regula iuris; *actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem. c. actus. de reg. iur. in 6.* & in electionibus & similibus actibus pro non adiectis habentur conditionalia suffragia. *voce*, inquit c. 2. *de elect. in 6. eorum, qui non purè consenserunt, ea vice, in alios recidente.* vt admissio Abbatissæ, & aliorum purè consentientium, traxerit vocem diœcesani conditionalem, & pro legitimè, & purè professo sit talis habendus. in quo vel vno, istius virilis monasterij ius omne subsistere, & conseruari potuit: vt vllatenus dimitti nequiuerit. *l. si. ut. D. Quod cuiusque vniuersitat.* omitto dicis causa diœcesani consensum postulari, vbi priuilegia liberam tribuunt recipiendi nouitios facultatem.

§. VIII.

De modo probandæ exemptionis.

1. Non verbis narratiuis.

Aiunt denique exemptionem non probari verbis narratiuis: *c. si papa. de priuileg. in 6.* vt nec illius nominatione aliquod honoris, dignitatisve priuilegium: *c. si summus. de sent excommun. in clement.* delegatumque ideo huiusmodi narrationem non magis moueri debuisse, quàm delegantem: *c. super. X. de rescript.* attamen d. c. si papa *in fin.* tollere se negat alios probandi modos: & clem. *liter. de probat.* ait, quando papa narratiuam facit rei à se gestæ, *super qua*, inquit, *gratia vel intentio nostra fundatur; censemus super sic narratis fidem plenariam adhibendam.* fundatur autem hîc rescriptum, præter appellationem, super exemptione vt illius causa, quam à se & prædecessoribus concessam narrat. & quamuis plenam fidem non faciant sic narrata; non negat tamen vllam facere: nec d. c. si *summus* aliud ait, quàm per huiusmodi nominationem nihil noui iuris tribui: præsumptionem fieri non negat. ideoque & Delegatus responderi iusserat ad huiusmodi exemptionis allegationes, & diplomata, & deinde per sententiam designari excepta, seu quæ non obstante delegata appellatione, vel exemptione, licuisset exequi: & tamen tacuit d. Intimatus. vt contumacia ipsius debuerit pro confessione accipi. *l. 11. §. qui tacuit. D. de interrog. act. c. 2. de confess. in 6. c. 1. & ibi, cui. 15. q. 6. c. tuam. c. vlt. X. de cohabit. cleric. c. nullus. c. nonne. X. de præsumpt. c. ibi. eodem. 15. q. 3. c. sanè. 24. q. 3.* ex eaque confessione, fictione iuris poterat exemptio tanquam simpliciter agnita haberi; & contumax tanquam simpliciter confessus condemnari, quia in confessum nullæ dicuntur aliæ iudicis partes, quàm vt condemnet. *c. præterea. X. de transact. sicut. de confess. in 6.* imò confessus in iure pro iudicato habetur. *l. vn. C. de confess.* vt & ob hanc contumaciam benificium appellationis denegetur. *l. 1. C. quorum appell. non recip. l. 23. §. fin. de appellat. Sanctis Clementis VIII. an. 1600. ar. vlt.* & quæ in contrarium dicuntur ad contumacias in principiis iudiciorum commissas, pertinent.

Denique oblata fuit inspectio diplo-

diplomatum ex professo exemptionem concedentium: iuxta d. c. cùm *persona. de priuil. in 6. d. c. porrò. X. eod.* vt superfluum sit circa ambigua vagari.

5. Oblata inspectio diplomatum.

§. IX.

An ex approbatione Confessariorum resultet subiectio?

REsumendo etiam, quæ de confessariorum approbatione, confirmatione, & facultate audiendi confessiones obiiciuntur; quæritur an ratione officij subiiciantur? *iuxta c. cùm capella. X. de priuil. & c. 11. s. 24. Conc. Trid.* at verò d. c. cùm *capella* loquitur de cura parochiali, vel alia causa, quæ iurisdictionem Episcopi respiciat: vt non est cura regularium exemptorum. sicuti videmus in omnibus Mendicantibus vtriusque sexus Ordinibus obseruari: & Conc. Trid. *d. c. 11.* loquitur de sæcularibus non regularibus; vt patet *in verb. nec non alios cuicumque monasterio oblatos & c. & vers. exceptis tamen iis qui prædictis locis, aut militiis actu seruiunt; & intra eorum septa, ac domos residēt; subque eorum obedientia viuunt; siue iis qui legitimè, & secundum regulam earundem militarum professionem fecerunt.* regulares ergo curam monasterio annexam exercentes, quoad sæcularium personarum curam, & administrationem sacramentorum dumtaxat subiicit *d. c. 11.* visitationi, & correctioni Episcopi.

1. An officium excipiendarum confessionum Ordinario exemptum subiciat?

2. Sit cura animarum?

Neque obstat quod d. Regula præscribat; vt confessor generalis ab Abbatissa & regularibus electus accipiat à Diœcesano potestatem absoluendi (nam alios ipse sub se constituit) quoniam is ritus antiquus est Ecclesiæ, etiam in exemptis. vt patet in clem. *dudum, de sepult. § statuimus etiam in verb. vt de Episcoporum licentia, gratia & beneplacito, confessiones confiteri sibi volentium audiant, pœnitentias imponant salutares, & beneficium absolutionis impendant.* & pergit inferius; vt non simpliciter, sed si *Episcopi huiusmodi*, inquit, *exhibere licentiam recusarint; nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentium liberè licitè, audire valeant, & eisdem pœnitentias imponere salutares, atque eisdem beneficium absolutionis impertiri; gratiosè concedimus, de plenitudine Apostolicæ potestatis.* neque tamen ex huiusmodi concessione Ordinariorum, Mendicantes, quoad illius exercitium, Ordinariis vlterius subiiciuntur. nisi quod ex nupera Gregorij XV. *const. incip. inscrutab.* confessores monialium qualitercumque exempti ab Episcopo approbari debeant; & amplius subiaceāt. sed & in priuilegiis ordinis S. Saluatoris facultas audiendarum confessionum Mendicantibus concessa, ei communicatur.

3. Concessio huiusmodi facultatis?

§. X.

De priuilegiis huiusmodi quid Concilium Trid. decreuerit, aut posteriores Constitutiones?

COncilium quidem Tridentinum multis in casibus per viam delegationis apostolicæ exemptiones regularibus concessas viribus vacuauit; nullibi tamen generatim abrogauit. adeoque firmauit regulam in casibus non exceptis. & ita habet omnium Mendicantium, aliorumque exemptorum praxis vniuersalis. An autem abrogata saltem sint omnia regularium priuilegia Concilij Tridentini decretis contraria, *iuxta c. 22. s. 25 de Regul. Trid.* an illa tantùm vbi additur, *non obstantibus quibuscumque priuilegiis?* Vide Rodrig. *tom. 1. q. 8. art. 6. Mirand. tom. 2. q. 42. art. 3.* nuncupatim hic quæri possit, an

1. Multis casibus regularium exemptio restricta, non ex integro sublata.

2. Priuilegia regul. Concilio Trid. contraria an sublata?

abrogata sit ea restrictio, qua diœcesanis non nisi singulis trienniis visitare monasteria huius Ordinis permittitur? cùm Trid. *s.* 21. *c.* 8. singulis annis demandet: an d. c 22. tantùm agat de decretis *in sessione eadem 25. de regular. habita* editis, ex eo magis controuerti potest. statuit autem Concilium *Trid. speciatim s. 25. de regul. c. 9.* vt monasteria sanctimonialium sanctæ Sedi immediatè subiecta, ab Episcopis tanquam illius delegatis gubernentur: quæ verò *ab aliis regularibus*, inquit, *reguntur* (vt hîc) *sub eorum curâ, & custodiâ relinquantur.* consonat illud Innocentij III. *in c. 5. X. de relig. dom. quàm diu monasteria per regulares manere potuerint ordinata; non sunt ad sæculares clericos transferenda: sed si regulares defecerint.* &c. *c. decima.* 18. *q.* 2. *Trid. s.* 14. *c.* 10.

3. An in hoc Ordine sine restrictione priuilegiaria iam visitatio sit libera ex Conc. Trid.

4. Regularibus subiectæ moniales nō commissæ Episcopo vt aliæ immediatè Sedi Apost. subiectæ.

Insuper *s. 25. de regul. c. 8.* iubetur Innocentij III. constitutio, *quæ incip. in singulis, & habetur c. 7. X. de stat. monach.* obseruari, & iuxta illam monasteria in congregationes redigi: ad visitationes *in d. c. in singulis & seqq.* præscriptas faciendas, & statuta: & certas regulares personas deputari, *quæ*, inquit, *de modo & ordine de prædictis congregationibus erigendis, & statutis in eis exequendis deliberent & statuant.* per causam tamen visitationum *in d. c. in singulis* nullam nanciscuntur iurisdictionem visitatores. *nullus*, inquit, *ex hoc, sibi authoritatem prælationis assumat.* quod innouat Trid. *d. c. 8.* Ad hæc clausuram monialium Concilium Trid. strictissimè etiam appellatione postposita curandam præcipit Episcopis, etiam quoad quomodolibet exemptas: sed tum vt delegatis. *Trid. ibid. c. 5.*

5. An exemptio cesset ob omissas congregationes, quas Canones & Conc. Trid. exigit?

6. Exemptæ quoad clausuram subiectæ.

Denique Gregorius XV. *const. incipit inscrutabili* etiam in exemptas Episcopis tribuit authoritatem, circa administrantes curam animarum, aut sacramenta, approbationem confessorum, interuentionem in electionibus præfectarum, rationes audiendas administrantium bona temporalia, & prædicationes: circa in omnibus istis delinquentes, & præsertim circa clausuram; *etiam extra visitationem*, inquit Gregorius, *per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas* vti *eiusdem sedis delegati procedere, omnemq; iurisdictionem exercere liberè, & licitè valeant.*

7. Quatenus nunc moniales subiectæ.

Igitur Episcopi in clausura seruanda *in vim d. c. 5 Conc. Trid.* & puniendis circa illam delinquentibus, *in vim d. Gregoriane*, non obstante exemptione, aut appellatione cognoscunt, & exequuntur: de aliis etiam in Gregoriana hac expressis cognoscunt, & iurisdictionem exercent; adeoque exequuntur. nam illa concessa, id accedit. *c. significauit. X. de off. & potest. Iudicis deleg. c. præterea. eod.* quamuis *in eam c. 26. Regulæ S. Saluatoris* cognoscere; non exequi possint: iuxta priuilegij bullas, *de quibus sup.* priuilegia inspici, & tenorem seruari iubet *c. porrò. X. de priuileg.* & grauari vetat regulares aduersus priuilegia c. minùs *iniqua. X. de excess. prælat.* & singulatim illud damnat, quod *ex de locis*, inquit, *in quibus dominantur, simulantur, fatagunt amoueri, nisi eis obediant.*

Sed obijci hic potest *ex d. c. 5. s. 25. de regul. Concil. Trid.* quod monasterium, de quo quæritur, non subsit alicui Capitulo generali; ideoque dicendum videatur subesse immediatè Sedi Apostolicæ, & regendum sub gubernatione Episcopi *per d. c. 9. in princ.* eoquemagis quod nullam habeat congregationem aut visitatores ordinarios, quorum defectu etiam Trid. *s. 25. c. c. 8. de regul.* Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis huiusmodi monasteria vult subiici: sed respondēdum anno quidem 1552. Coloniæ fuisse indictum capitulum generale; sed iniquitatem temporum vsum illius interrupisse quidem, ius tamen non mutasse *c. prima act. 16. q. 6.* ac d. c. 8. decretum illud tum demum obtinere, vt

vt ibi dicitur, cùm Metropolitanus institerit, vt in congregationes redigantur, & regulares neglexerint. de ea autem instantia nihil hic adfertur. d. autem *c. 9. in fin.* excipit monasteria à regularibus, etiam aliis, quàm à Capitulis deputatis, regi solita: & monasterium hoc à regularibus regi est solitum: neque immediatè subest sanctæ Sedi, vt exigit prior pars d. c. 9. sed Cõfessario generali: qui in spiritualibus est caput; cui etiam subsit Abbatissa. & quid ni tales designent illa d. c. 9. verba *vel aliis?*

Quod si vrgeas, hoc verbum *reguntur* in d. c. 9 non accipiendum tantùm de immediato regimine patris, & Confessoris; sed alicuius superioris: ob connexionem c. 8. & 9. d. s. 25. de reg. cùm & illa quæ immediatè subsunt Sedi Apostolicæ, regantur tamen etiam à patre aliquo, seu Confessore, & tamen in his Cõcilium deferat Episcopo gubernationem: Respondendum est confessarios non vbique regimen habere: quod externam sacram politiam maximè respicit: sed tantùm ligandi, & absoluendi internam facultatem. at Confessores generales in hoc ordine esse prælatos, veros superiores, & qui etiam externum spirituale regimen habeant. quod d. c. 9. sufficit. *vide quæ diximus, de Regul. de duplic. mon. §. vlt. & penult.* præsertim si addas remedium, quod in commendatis tribuit Trid. *s. 21. c. 8.* denique si Confessor habeat vtrumque regimen, tum Confessarij ad sacramentum pœnitentiæ qualificati, tum superioris ad regimen externum; vtroque munere rectè fungetur. sicut Interp. Concilij responderunt quando dicitur *s. 25. de reg. c. 19.* vt qui professionem suam irritã dicere vult, deducat causam coram Episcopo, & superiori; si idem sit Episcopus & superior; eum vtramque personam posse sustinere. *citati à Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c. 19.* præterquam quod & hic Ordo olim congregationes habuerit, quas, *vt diximus* iniquitas temporum interrupit. præsertim monasterio Capite Ordinis, & pluribus aliis sub iugum hæreticorum lapsis. cui rei quantum tempora patiuntur per Metropolitanum *iuxta d. c. 8. s. 25. de regul. Conc. Trid.* prouideri. per monitiones ibidem demandatas, optandum esset.

De Officio Archipresbyteri.

RESPONSVM I.

Quis clerico aduenæ ægro sacra ministret?

QVæritur quis Clerico peregrino, seu aliunde aduenienti ægro, ac mortuo sacramenta pœnitentiæ, ac viatici administrare; exequias, ac iusta facere debeat; decanus Capituli, an Christianitatis, seu Archipresbyter districtus?

1. Sacramenta vt à proprio sacerdote administranda?

Pœnitentiæ ac paschalis communionis sacramenta à proprio sacerdote, seu parocho, vel altero de ipsius licentia accipienda sunt, *c. omnis X. de pœnit. cum alter*, inquit, *illum non possit absoluere vel ligare*: & sepulturæ in parochia. *c. ex parte cum seqq. & tot. tit. X. de sepult.* saluis priuilegiis mendicantium, & electione morientium. *tot. tit. ibid. & in 6. & Clement. eod.*

2. Decanus cleri suæ Ecclesiæ tantùm, Archipresbyter totius districtus curam habet.

Porrò Decanus chori iurisdictionem internam & externam, seu curam animarum tantùm habet in eos, qui sunt de choro, seu collegio, & suppositos, seu ministros chori: Archipresbyter autem vniuersalem habet iurisdictionem in omnes, qui sunt de suo districtu: cathedralis quidem, ciuitatis; ruralis autem ruris, seu agri sibi assignati. vt sicut Episcopi parochia dicitur tota diœcesis: *c. bonæ: 12. q. 2. c. Apostolicæ. X. de donat. c. fin.*

fin. X. de paroc. sic Archipresbyteri suo modo & sub illo, totus districtus per Episcopum ei assignatus. vt hanc comparationem instituit cap. finale *X. de officio Archipres. in verbis. Et sicut ipse matrici Ecclesiæ præest, ita Archipresbyteri præsint plebibus.* & vt rectè dicimus parochiam rectoris, & parochiam vicarij eandem esse; sic & parochiam Episcopi eandem esse, quam vicarij ipsius, qua parte vicarius est. adeoque Episcopi parochiam, & districtum Archipresbytero cuilibet assignatum, qua parte illius vicarius est, eandem esse: sicut & in foro externo Episcopi, & officialis illius idem dicitur auditorium. *c. romana. de app. in 6.*

3. Et in eo Episcopi est vicarius.

Quamuis idem c. fin. loqui videatur de inspectione externa, non de foro pœnitentiæ: tamen etiam in hoc ministerium Archipresbyteri dicitur cõsistere *in c. 2. X. de off. archipres. Prouidere cuncta*, inquit, *quæ in sacerdotum ministerio perfici debent, infirmum oleo perungere, pœnitentiam cunctis aliis sacerdotibus iniungere.* & *in c. 3. ibidem confessiones peccatorum qui à foris veniunt recipere.*

4. Officium exercens in spiritualibus.

5. Etiã quoad aduenas.

Licet etiam hoc c. 3. arguatur procedere in Archipresbytero cathedrali; eadem est tamen ratio in rurali, quoad hunc casum, vt aliunde venientes infirmi & morientes ei subdantur, qui eo in rure seu districtu vniuersalem habet iurisdictionem. *Siluest. in sum. V. Archipresbyter. q. 4.* præsertim vbi Archipresbyteri cathedralis iurisdictio restricta est ad ciuitatem; reliquis suain suo districtu eadem concessa. vt in Bulla erectionis Episcopatus Antuerpiensis, *§. ac in eadem Ecclesia, § cæteræ. quam refert Aub. Miræus in Cod. Donat. Belgic. c. 146.* & licet dictũ c. finale, quod loquitur tam de sacerdotibus quàm laicis, & animarum curam, administrationemque sacramentorum tribuit, *Azor. inst. mor. p. 2. l. 3. c. 15. q. 5.* & iurisdictionem quadantenus ordinariam, *ibid. q. 6.* non vniuersaliter hodie obtineat in foro pœnitentiali quoad laicos; viget tamen quoad sacerdotes.

Vnde in synodo prouinciali prima Mechlinien si *tit. de decanis Christianitatis* dicuntur decani pastores esse pastorum, & ex horum regula obligari ad residentiam, & officium præstandum. & alibi sacerdotum sui districtus cura, sacramentorum administratio, & funerale officium expresè committitur.

Agitur quidem disertè de subditis, non peregrinis; sed vt sui etiam fiunt externi per acceptum ibi domicilium, moram semestrem, aut ægritudinem ac necessitatem, ob defectum proprij, recipiendi parochi quoad laicos; *c. 1. de celeb. miss.* sic etiam sacerdotes externi per easdem causas subiiciuntur Archipresbytero, qui Ecclesiasticorum in suo districtu sunt pastores, sicut parochi secularium. præsertim cùm etiam ex mente interpretatione mandatum ad certos actus, extendatur ad æquipollentia. *L. fin. § fin. D mandat. Tabb. V. mandat. concl. 42.* in ratione autem mandati officij Archipresbyteri; eadem est ratio in sacerdote incola ab Archipresbytero administrando, quæ est in aduena; qui ex aliqua causa forum spirituale loci, vbi versatur, sortitur.

Quinimò propter vniuersalem iurisdictionem Archipresbyterorum, quæ quoad suos præualet speciali parochorum, etiam in sua Ecclesia; inferendum est authoritatem in clericos peregrinos vniuersali iurisdictioni accrescere, non singulari parochorum. *vt in c. 3. de off. Archipresbyt.* propterea in sacerdotes aliunde venientes ei tribuitur iurisdictio pœnitentialis. sicut dum instituitur quis hæres simpliciter, & alius in re certa, pars vacans accrescit illi, nõ huic. *l. quoties C. de hæred. instit.* eique iurisdictio specialis cui vniuersalior in loco competit, seu per motum

vni-

vniuersi. *Tuschus, V. iurisdictio. concl. 547. & quos ibi cit.* & expressus est textus *in c. cum cõtingat. X. de for. comp. in ver. ad te, vtpote ordinarii*ũ, cui per modum scilicet vniuersi cõpetit iurisdictio. vt ne quidẽ Decano aut Capitulo in suos cõpetat, nisi ex priuilegio, aut cõsuetudine. *d. c. cum cõtingat.* vt capitularis iurisdictio sit odiosa, adeoq; restringenda tãquam cõtra ius; ordinarij autem, seu eius vicarij, fauorabilis, atq; amplianda.

9. Eius imitatur decanus.

Decanus autem chori respectu sui collegij & accessoriorum ministrorum sui chori, curam habet animarum tantùm, sicut quilibet singularis parochus respectu suæ Ecclesiæ, & parochię: cuius etiam respectu tantùm, nec vlterius, à Rota *decis. 451. 443. 442. in nouis* cõparatur Archipresbytero, seu ei surrogatus esse dicitur. sicut ergo parochus singularis Ecclesię nõ est impedimento, quo minus Archipresbyter pastor sit sacerdotis in eius parochia commorantis, eiq́ue pastoralia ministret; sic nec erit Decanus chori.

Consequenter sicut si rure contingeret aduenam sacerdotem infirmari, officium esset Archipresbyteri, non parochi pagi istius ei extrema ministrare; sic dicendum hic de Decano chori: siue respicias curam ei ex officio Decani competentem, siue ius parochiale in populum olim fortè incorporatũ. quia parochi successorem eodem iure vti oporteat. *c. 16. de Reg. iur. in 6.* Igitur videamus quæ hac in re difficultatem facere videantur.

10. An hic præsumi consuetudo?

In primis aduersus Archipresbyterum in casu præsenti pro decano chori obiicitur consuetudo immemorialis cõtraria, cuius visit maxima. *L. omnes. C. de præscript. 30.* specialiter etiã cõmuni calculo in materia sepulturæ. *arg. c. de vxore. §. vtrum. & ibi Panorm. & alij X. de sepult. Siluest. in sum. v. sepultura.* sed præterquam quod huiusmodi consuetudo non minor quàm centum annorum ad tribuendam authoritatem parochialem recipiatur; defendiq́ue tantùm possit ex præsumpto Episcopi consensu curam animarum sic tribuentis: *Cucch. in inst. maior. l. 2. c. 15. n. 5.* & is in huiusmodi dubio dissentire possit, & voluntatem aliam declarare: non creditur quod sufficienter ea hic poterit probari: adeoq́ue manendum erit in terminis iuris communis. vt est casus *in c. 9. X. de off. Archid. non fuit sufficienter*, inquit, *probatum, quod Cancellarius ex officio suo exerceat spiritualia memorata; cum ea potiùs de iure ad Archidiaconi spectent officium.* &c.

Supposita ergo insufficientia probationis propriæ cõsuetudinis, præsertim post Bullam erectionis nouæ Episcopatus; quæ cõtinet decretum irritans omnium illorum, quæ fierent aduersus ea, quæ in illa disponuntur: adeoq́; ea quę ibidem de Archipresbyteris traduntur: non esset deflectendum ad consuetudines aliarũ vrbium, nec solicitè inquirẽdum vnde originem duxerint; sed potiùs commune ius sequendum. *d. c. 9. Mynsing. centur. 6. obs. 42.* vel saltẽ Metropolitanæ aut cathedralis. *c. de ijs. distin. 12.* vt sit concordia morum & disciplinę Ecclesiasticæ, quam decet esse inter caput & membra. *c. nolite. c. non decet à capite mẽbra discedere. ibid.* vt consuetudo tã metropolitana, quã cathedralis hic Archipresbytero fauet.

11. Bullæ decretum irritans.

Quod autem iterum obiicitur, ratione parochiæ, huiusmodi iura parocho competere: *Panor. in c. cum contingit. X. de for. comp. Azor. inst. mor. p. 2. l. 3. c. 12. q. 4.* Archipresbyterum porrò nihil habere eorum, per quæ ius sepulturæ acquiritur: *de quibus apud Siluest. vbi sup. n. 3.* & tam clericos quàm laicos foraneos in loco, vbi notabilem aliquam morã traxerint, quam aliqui semestrem esse volunt, *Cu. chus vbi sup n. 39. post Abbat. & Siluest. Azor. inst. mor. p. 2. c. 3. c. 13. q. 9.* parochiali istic iuri subijci: *Panor. in d. c. omnes. X. de pœnit. gl. in clem. 1. de priuileg.* peregrinos autem atque aduenas à sua parochia præsertim longè absentes receptius esse, vt sepeliantur in parochia, in qua moriuntur: *multis Gemin. in c. 1.*

12. Archipresbyter an habeat ius parochiale?

§.

§. statuentes. n. 4. de sepul. in 6. per c. 16. qui eod. c. presbyter. dist. 91. c. 1. X. de celeb. miss. denique quod ius funerandi sit de iure parochiali, rectori infra suam parochiam competens: *Gemin. & citati ibid.* rectè hęc omnia quidem respectu aliorum parochorum, vt sicut parochiæ sunt distinctæ, sic exerceantur parochorũ functiones in distinctos subditos, neque iurisdictionem spiritualem alter in alterius parochianos vsurpet. *vt Cucchus in instit. maior l. 2. c. 15. n. 2. 18. 20. 21. 23. Azor. inst. mor p. 2. l. 3. c. 13. q. 10.* Tametsi in alie na etiam parochia suis subditis parochialia possit de iure ministrare: *Cucch. ibid. n. 17. post Hostien. Card. Siluest. & sequitur Azor. inst. mor. p 2. l. 3. c. 13. q. 11.* vtpote quæ vel propriè iurisdictionis non sint, vel saltem voluntariam iurisdictionem spectent, quæ in territorio etiam alieno exerceri possunt. *Azor. ibid.*

13. Parochiarũ distinctio non excludit Episcopos eorumue vices gerentes.

At verò huiusmodi parochiarum distinctio nõ est facta ad exclusionem superiorũ: & propterea sicut Papa dicitur concurrere per vniuersum orbẽ cum ordinario, quoad iurisdictionem & functiones spirituales; sic etiã Episcopus in orbe suæ diœcesis, concurrit cum omni parocho; vt diximus totã diœcesim illius parochiam vocari: ita vt parochialia ministrare possit (si visũ fortè illi fuerit Principi vel magnati v. g. alicui ęgro, aut mortuo) ita vt parochus excludere illum non possit.

Vnde & cùm in Conc. *Trid. s. 24. de refor. mat. c. 1.* statutũ esset rigidissimè, etiam sub pœna nullitatis, ne quis matrimoniũ contraheret, nisi corã proprio parocho, vel ab eo deputato; coniunxit tamen & loci ordinarium, vel ab eo deputatum, vt contrahi matrimonium etiam coram illo possit. Adeoque delegare Episcopus poterit ad vices suas supplendas in huiusmodi parochialibus ministeriis.

14. Vt est Archipresbyter.

Enimuerò Archipresbyter in spiritualibus dicitur vicarius Episcopi. *per c. 23. fin. X. de off. Arch. Tuscus in V. Archi, ex Oldr. ad. cons. 230. Bald. cons. 161. Fred. de Sen. cõs. 92.* vt videri possit in his cõmissus, vt eius vices supleat in spiritualibus, vt *in d. c. 3.* Episcopi vices ei in his demãdantur.

Porrò quamuis facultas, quæ tribuitur *d. c. 3.* restringatur ad Archiprebyterũ Cathedralem; & ad ius sepulturæ non pertinere dicat *ex Gemin. & aliis in d. c. 1.* tamen ratio quam suprà allegauimus *ex d. c. fin.* facit, vt etiam in foraneis obtineat, vbi eadem facultas eis quoad sacerdotum curam est concessa.

Pendet ergo hæc quæstio à concedẽtis intentione. neque hic de illa incongruè argumentatus est Archipresbyter, ex amplitudine decretorum synodalium, qua ei inspectio competat in clericos, etiam aliunde aduenientes, vt etiam in leuibus quibusdam culpis correctio, nihil autem huiusmodi Decano chori. quamuis enim forũ pœnitẽtiale & externum valde sint separata; *Panor. in d. c. cum contingit x. de for. competent. Silvest. V. confessor. 1. n. 2.* & ex separatis dicatur nihil rectè inferri; eodem tamen modo argumentatur Adrianus Papa *in c. nullus. X. de paroch. nullus*, inquit, *Episcopus alterius parochianum iudicare prasumat, nam qui eum ordinare non potest, iudicare non potest.* Decano autem chori permissum nõ est aduenam sacerdotem vllatenus iudicare, nõ ergo etiam sacra ministrare, sed Archipresbytero. & porrò iam in diœcesi Antuerpiensi id liquidũ est: facta per Episcopum a. 1639. statuti diœcesani interpretatione, seu mentis declaratione pro Archipresbytero.

Sepulturæ porrò cõsideratio duplex est, respectu parochi & parochianorum, & respectu parochiæ, quod apertiùs liquet in illis locis vbi ad vnũ tẽplum parochiale conueniunt diuersarum parochiarum incolæ, siue parochias per fines & regiones habeãt distinctas, siue populum per familias, aut aliter: nam nec huiusmodi distinctionem excludi à *c. 13. s. 24. de reform. Trid.* censuerunt Interpretes *apud Garciam de beneficiis. p. 12. c. 2. n. 243. Gonsal. ad reg.*

reg.8.Cancell.glos.6.n.96.Barbosa ad d. c.13.in collect. DD. ad Concil.Trid.n.7. omnes enim in eodem templo aut cœmeterio sepeliuntur, & pro sepultura iura aut eleemsyonam persoluunt eidẽ fabricę; singuli tamen à suis distinctè parochis sacranmeta accipiũt, & sepulturæ mandantur; singulis sua iura, & eleemosynę soluuntur. in omnibus ergo parochialibus templis, aliisque sub singulis parochis existentibus, quæ comprehendũtur sub districtu Archipresbyteri, poterit is sacerdotibus suæ curæ commissis iusta persoluere, singulis tamen fabricis sepulturæ iura persolui debent; & sua Archipresbytero, seu parocho etiam iusta facienti.

De officio Iudicis Delegati.

RESPONSVM I.

De Delegato exercitus Belgici.

1. An duret Breue tributum iurisdictionis omnes Copias in Germaniã & Galliam missas?

BReuis Apostolici pro Delegato exercitus fecimus mentionem *in iur. Pont. nou. anal. t. de off. Ordinar. n. 4.* & retulimus *n. 5.* pacta, conuenta illius cum Ordinariis prouinciæ Mechlinien sis. Extensum est etiam Breue per Vrbanũ VIII. an. 1626. ad exercitum in Palatinatũ profectum, vbi par rebellio, & religionis causa. cui fœderata Gallica auxilia illud deinde in ipsam Galliam protraxerunt. adeoq; & intra illius terminos causam: ideoque eo durante etiam effectũ eiusdem Breuis: tametsi nec alij prętextus desierint vulgari. Durat ergo Breue quadiu hoc bellum, atq; Sedis Apostolicæ beneplacitum. Sedis, inquã: nam personale Pontificis beneplacitũ illius morte extinguitur. sedis durat donec disertè reuocetur. *c. 6. & 7. de off. delegat. in 6.*

Tribuitur Delegato facultas in sacerdotes subdelegandos, præuio examine approbatos, omnem iurisdictionem Ecclesiasticam exercendi: ijsdemque sic approbatis, & subdelegatis facultas audiẽdi confessiones castrensium, & absoluendi etiam à casibus Papæ reseruatis, paucis ibi exceptis.

2. Qualis?

Facultas; *perinde ac si sæcularium sacerdotum præsul, regularium superior generalis esset. perinde*, inquam; id est pari potestatis energia. non enim re ipsa præsul, aut Generalis est: quia nec monachus. curam præsulis habet; & pro hac necessariam potestatem; nec tamen superioris verè religiosi: quippe quæ magis ex voto nascitur. sed ad exemplum illius, effectu parem.

3. Omnis & qualiscumque in sacerdotes castrenses.

In hos, inquam, sacerdotes tribuitur omnis, & quæcumque iurisdictio Ecclesiastica Delegato. non voluntaria tantùm, sed & contentiosa, vt mox subnectitur, iudicandi facultas inter eos; & contra eos: si vel inter se disceptent; vel ab aliis vt rei pulsentur: qui illorum sequi forum debeant. vt domum, & ad Ordinarios suos reuocare non possint; sed coram Delegato respondere teneantur.

4. Qualis in laicos per se & sacerdotes approbandos nõ tantùm sed & subdelegandos.

Hac sacra inter clericos militares politia cõstituta, transit Breue ad illorum functionem correlatiuam ad laicos; tribuitque potestatem castrẽses, vt diximus, absoluendi: sed idoneis & à Delegato *approbandis* inquit breuiter ibi quidem, sed, vt paulò superius dixerat, præuio diligenti examine approbandis: atque insuper à Delegato subdelegandis. non enim sola approbatio sufficit, qua quoad mores & doctrinam satisfiat examinanti, & vt idoneum probãti; sed &, sicut quoad Ordinarium, iurisdictionis cõcessio; ita & quoad hic delegatũ, subdelegatio requiritur. cur enim subdelegationis mentio, nisi in ordine ad functionẽ? nam vt Delegato in ipsos sacerdotes tantum tribuatur non opus est examine, approbatione, nec subdelegatione; sed sufficit in castris versari, in exercitu commorari: necessarium porrò est ad illorum actiones examen, approbatio, & subdelegatio. quæ tamen non impedit, quo minus

nus censeantur sacerdotes castrenses immediatè à Sede Apostolica habere facultatem absoluēdi: quia dicit Pontifex se illam Delegato, & presbyteris ab eo approbatis tribuere. vt ea forma à Sede Apostolica procedat quidem, sed non imprimatur nisi materiæ examinatæ, probatæ, & substitutæ; & quatenus approbatur, & substituitur. negandum enim non est quin Delegatus probare quoscā possit & substituere dumtaxat, si videatur, ad quædā munia; quibus ad illius arbitrium sufficiant: ad maiora autem quædam approbare, vel admittere non item; & illa sibi aliisue reseruare.

5. Et quatenus approbantur & subdelegantur.

Omnimodam hanc delegati potestatem in sacerdotes castrenses restringit Breue ad eos, qui in propria diœcesi, sub qua illorum Ordinarij iurisdictionem suam ordinariam exercere possent, non sint: tunc enim cessat in eos Delegati iurisdictio. Propriam clerico diœcesim facit natiuitas, beneficium, vel domicilium ad effectum suscipiendorum ordinum: *c. cum nullus. de tempor. ordinationum in 6.* ad effectum fori; delictum, contractus, vel quasi, vel situs rei, de qua sit quęstio. *c. volentes. de priuileg in 6. l. heres absens. D. de iudic.* dum autē Breue propriam diœcesim, & Ordinarios *suos* allegat; magis videtur spectare rationem d. c. nullus, vt in taliter propria cesset iurisdictio Delegati: non cesset autem in ea, cuius Ordinarius non est simpliciter suus; sed ex accidenti delicto, aut contractu dumtaxat iurisdictionem nanciscitur in alienos. igitur huiusmodi in casu & loco, vt Ordinarius in exterum quemlibet in sua diœcesi delinquentem iurisdictionem ordinariam exercebit, ita in castrensem sacerdotem (neque enim Breue vllo verbo castrensem ab illa eximit) exercebit & Delegatus sibi tributam: prout quisq; præuenerit.

6. Dum sacerdotes non sunt in propria diœcesi.

7. Exterum castrensem sacerdotem punit etiam loci Ordinarius.

Sed quod attinet exercitium functionis sacerdotum castrensium erga milites; vt Breue facultatem faciat absoluendi; Apostolicam facultatem impedire non potest Ordinarius: quæ autem in Breui expressa non sunt, nec per necessariam consequentiam inferuntur; subiacent iurisdictioni Ordinarij, & Delegati. vt vtriusq; decreta castrenses seruare teneantur, quoad actionum suarum præscripta, ceremonias, & ritum. *c. 1. & que ibi traduntur. X. de sponsal.* vt tam diœcesanis statutis, quam Ordinationibus castrensibus conformare se debeant, dum simul poterunt obseruari. quamuis enim peregrinū innoxiè transeuntem dicamus non obligari legibus loci; quoad actiones tamen suas, debet illas loci legibus conformes facere. *d. c. 1.*

8. Vt delegato & Ordinario castrenses subsint in functionibus suis.

Sed quid si pugnent decreta synodalia, & castrensia? si in ipso exercitu agitur, illius dignitas, ipsiusque expeditionis priuilegium, totiusque exercitus conformitas superabit considerationem differentiæ localis: cùm autem numeri sunt diuisi; iustius, æquius est, vt diœcesana statuta præualeant: vt vnumquodque elementum in *suo* loco præualet: & quisq; *domi suæ* Rex dicitur. semper autem id ita intelligo, vt non impediatur quidquid Breue concedit. sed circa functionum modum, & præscripta, & materiam vtrique relictam versetur quęstio: cuius magnam partem concordata, quæ diximus, elucidarunt.

Sed quid si miles sit in diœcesi sui Ordinarij? id est vbi extra militiam suum habet Ordinarium, ad quem adeoque iam nō sit difficilis recursus: quin si & parochum? eadem cōcordata *art. 1. 2. 3.* subiiciunt Ordinario. sed ferè agunt de habentibus fixum domicilium: non tantùm quod quisque, vt priuatus, sibi constituit; sed etiam tanquam miles antiqui præsidij, quod fuerit ante bellum. nam si castelli defensioni quasi perpetuò affixus est, domicilium sortitur. *l. 23. §. 1. D. ad municipal.* quare & quoad alia præsidia, quę plura

plura hoc bellum necessaria fecit, rectores & milites illis quasi perpetuo affixi domicilium pariter fortiuntur: & non minus extra causam finalem d. Breuis esse videtur, cùm iam in domicilio suos habeant Ordinarios, ad illosque & parochum facilem recursum. Concordata tamen permittunt Delegato: art. 3. retenta tamen præuentione quoad delinquentes.

11. Iterum exteros, qui ante hoc bellum domicilium hic non habuerunt, nec suos Ordinarios, quamdiu exercitus consistit concordata *art. 2.* subiiciũt Delegato: *& art. 4.* personas castra sectãtes, & ad exercitũ spectantes aliò negociorum causa se recipiẽtes: vtique ad breue tempus: nam si non quidem domicilium, sed quasi diuturum incolatũ alibi habeant, & morosam mansionem; ferè æquiparatur illa domicilio. *l. hæres absens. §. 2. D. de iudic.* vt si vxorem, familiam, impedimenta ibi relinquant, dum ipsi in expeditionem proficiscuntur; illâ finita eodem reuersuri; proxima est domicilio huiusmodi commoratio; & quasi incolatus. eoque d. art. 2. non simpliciter videtur tales relinquere Delegato; sed *quamdiu*, inquit, *exercitus consistit*: eos autem qui sine huiusmodi laribus, extra exercitum ex causa temporali diuertunt, simpliciter. *art. 4.*

Sed cùm eadem concordata *art. 5.* omnia illa conuenta ita declarassent intelligenda, *vt parochis liberum foret administrare sacramenta, & sepulturas omnibus diuertentibus ad suas parochias, & in eis morientibus*; anno 1624. declaratum est *non licere parochis assistere militibus, seu personis de exercitu matrimonium contrahere volentibus, nisi tanquam præsidiarij in eorundem parochijs resideant.* rectè & cõformiter ad ius commune, Concil. Trid. *c. 1. s. 24. de reform. mat.* Sed matrimonij celebratio cui tribuatur non additur. & quidem initio Breuis non fuit eadem matrimonij mentio, nec fortè intentio, nec omnibus castrensibus sacerdotibus promiscuè tunc commissa facultas vt fere hodie. *qua de re egimus in Consult. can. de offi. ordinar. cons. 2.*

12. Quoad matrimonium.

13. De præsidiarijs.

Rectè Declaratio excipit *nisi tanquam præsidiarij resideant.* quo significetur non tantum veritas, vt Ioannis *c. 1.* sed & quod instar veri sit; ad illudque proximè accedat. nam communiter ea verba *perinde, tanquam, quasi* magis similitudinis sunt: quamquam & aliquando proprietatis. *Spigel. in Lexico v. perinde, v. tanquam, v. quasi. diximus in Hiatu l. 3. c. 5. & c. vlt. in Iud. l. 4. c. 21* sicut *in l. 3. §. 7. D. de re militar.* si quis ad diem commeatus non veniat, perinde in eum statuendum est ac si emansisset, vel deseruisset; adeoque in eadem causa censetur, qui cum commeatu abiit, sed tempus exceßit: & qui sine commeatu deseruit, vel emansit: ideoque dicemus & illos, qui non sunt in firmo præsidio, & quasi perpetuo; sed tamen durare nato, vt hiberno vel æstiuo; nec per modum transitus, & cum mora arbitraria, nec lare fixiore alibi retento, quo post expeditionem exercitus redeundum sit; corã huiusmodi parochis militem còtrahere posse. cuius circumstantiæ omnes expendendæ sunt, cum causa, & fine moræ, vt diximus de milite stationario ad flumen, vnde ad tempus alio in expeditionem ductus sit, reuersuro. *infrà de mat. resp. 2.* de commorante in regione fœderata, quæ mora, inuito præsertim fœderato Principe, magis ad rationem transitus, quàm præsidij pertinet, *in Consult. can. de mat. cons. 13. & 14.* & causa moræ facit etiam, vt peregrinus quis censeatur, vel incola, vt non tam duratio, quam finis attendatur. vt in eo qui nomen militiæ dedit statim atque in numeros relatus est citra fraudem, & libris regijs inscriptus, eodem iure censetur; quo reliqua centuria. *eodem tit. consult. 14.*

Diximus omnimodam iurisdictionem voluntariam & contentiosam

14. Quoad sacerdotes tribuit Breue iurisdictionem omnimodam voluntariam & contentiosam: an & quoad milites?

tiosam Delegato datam quoad sacerdotes castrēses in eos, inter eos, & contra eos: causas etiam cognoscendi & decidēdi. non eadem repetuntur quoad laicos: sed facultas tribuitur à quibusuis excessibus & delictis, paucis vt diximus exceptis, sed *in foro conscientiæ*, inquit Breue, *tantùm*: non in foro externo iudiciali. quomodo ergo (arguunt aliqui) condemnandi? neque enim de reseruatis tantùm agit, sed de communibus, & insuper per voculam *etiam* de reseruatis. concordata tamen *art. 3.* in delictis iudicium externum admittunt, & præuentionem: & *art. 5. iudicialia*, inquiunt, *exercebuntur per superiores respectiuè eorum, de quibus præscriptum est in præcedentibus articulis*. Portò articuli illi omnes egerunt non de sacerdotibus, sed de militibus, aliisque laicis castra sectantibus: in laicos ergo etiam Delegato competit fori externi iudicium diserte ex concordatis, secundùm eosdem articulos: vt in his Delegatus solus, in illis soli Ordinarij, in aliis vtriq; per præuentionem officio fungantur: Breue autem dispositiuè forum contentiosum in laicos expressè non tribuit: in proœmio tamen generaliter non quoad sacerdotes tantùm, sed eos qui in castris degunt, & vèrsantur, *pro cognoscendis*, inquit, *& decidendis inter eos causis, & controuersiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus* opera personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ opus esse præfatur: ad finem tamen facultatem tribuit dispositiuè, *cætera*, inquit, *faciendi in præmissis necessaria, & quomolibet opportuna*. quæ clausula generalis est; relata ad omnia in Breui præmissa: cùm ergo præmissum fuerit de causis ad forū Ecclesiasticum pertinentibus decidendis; conformis debet esse dispositio propositioni, quæ cùm laicos etiam comprehendat; debet & illa. nec illud probat sola locutio Breuis indistincta; sed imprimis hæc verba; *causis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus*. quibus opus non erat, si soli sacerdotes comprehenderentur. quippe illi non ob causam, sed ob personam ad forum Ecclesiasticum pertinent. adeoque sufficiebat facultatē dare exercendi iurisdictionem in eos, inter eos & cōtra eos; & sic illa verba essent superflua: quod in dispositionibus huiusmodi dicitur esse non debere, sed vnaquęque aliquid operari.

Hæc, quam diximus, clausula generalis quidem est; sed & restringitur ad præmissa. adeoque cum expressè & specialiter de matrimonio nihil sit præmissum, aut ad illud non extenditur, aut indefinita illa verba *pro sacramentū ministrandis* ad matrimonium etiam extenduntur, aut Delegato tributa est etiam in laicos omnimoda, & quasi Episcopalis iurisdictio, quæ ad illud se extendit. *quibus de rebus egimus locis suę à citatis.*

RESPONSVM II.

An in causa appellationis super amotione confessorum, interdicto, & similibus delegatus Episcopus possit subdelegare canonicum Cathedralem, Iudicem synodalem?

INprimis generatim Iudex Apostolicus potest subdelegare: *c. super quæst. de off. deleg.* etiam ille, qui datus est cum pluribus aliis, & in solidum singulis: *c. cum plures de off. deleg. in 6.* sed receptum est, vt subdelegādus habeat easdem qualitates, quæ in delegato requiruntur: *c. statutum. § in nullo de rescript. in 6.* si tota ei causa, non vnus tantùm articulus aliquis subdelegetur. *Riccius decis 622. in prax. deleg. Weyms. ad 24 const. à Concil. Trid. innouat. c. 1. n. 20. 21. 22.* igitur hodie præter qualitatem à d. c. *statutum* requisitā exigitur vt delegatus sit tanquam aptus à synodo; aut, si ea non celebretur

bretur ab Episcopo, de consilio Capituli, designatus. *c. 10. s. 25. Conc. Trid.*

An Iudex synodalis huiusmodi in causis criminalibus subdelegari possit, quæsiuimus *in tur. Pont. nou. anal. de off. deleg. edit. an. 1641.* ex Trid. s. 13. c. 2. & temperatum illud esse per c. 10. *s. 25. Trid.* satis probabile esse diximus. quemadmodum in simili quæ s. 5. c. 1. statuerat Concilium, s. 24. c. 4. extendit, illa aptius præsentium temporum vsui accommodando. ad eundemque modum quod Concilium *d. c. 2. s. 13.* statuerat, propter grauitatem causarum criminalium; s. 25. c. 10. generaliùs prouidit; quoad omnes causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes: vt eæ deinceps committi non possint, nisi, præter Ordinarios, personis ad id aptis, & in synodo designatis. indefinita enim hæc verba, *causæ Ecclesiasticæ ac spirituales & ad forum Ecclesiasticum* pertinentes, æquipollent vniuersalibus, & sic sunt accipienda. *l. si pluribus in princ. de leg. 2 c. vnam sanctam. de maioritat. & obedien. in extrauag. commun. in §. Igitur.* V. pasce oues meas, inquit, generaliter, cùm sit tantùm verbis indefinita. *c. quia. 22. X. de priuil. in verb. indefinitè decimas remittendo, cum nihil exceperit, & potuerit excepisse* &c. ita vt omnes illę causę eam Iudicum qualitatem requirat non tantùm; sed & omnes taliter aptis & designatis cōmitti iam posse videantur. *causæ*, inquit Concilium, *Ecclesiasticæ in partibus delegandæ iis committantur.* vt ad effectum delegationis & commissionis, indefinita locutio vniuersaliter sit accipienda. quemadmodum *Tuscus pract. conc. verb. indefinita nominis collectiui* semper æquipollet vniuersali *conc. 87.* adeoque ex d. c. 10. etiam criminales causæ committi nunc posse videantur Iudicibus synodalibus: nec reseruandæ sint metropolitano, viciniori Episcopo, vel eorum Officialibus. id quod iuuant etiam verba d. c. 10. *præter Ordinarios locorum iis etiam posthac committantur*: vbi illud *præter* atque *etiam* Ordinarios & synodales Iudices videtur facere eiusdem considerationis, vt *in l. nullum. D. de diuort.* vt sicut indefinitè & vniuersaliter causæ ad forum Ecclesiasticum spectantes committi possint Ordinariis locorum; ita etiam posthac Iudicibus ita designatis: neque eorundem verborum alia sit acceptio respectu Ordinariorum, alia respectu synodalium Iudicum. Iuuat etiam non minùs ratio, quod causæ, quas præfatur Conc. *Trid. c. 1. s. 13.* pro iis omnibus, quæ tota illa sessione statuuntur, explentur per obseruationem d. c. 10. quod nunc habeantur Iudices vndequaque idonei, per designationem synodalem: quod ait d. c. 10. antè non obtinuisse. & propterea verisimiliter processit inde dispositio d. c. 2. s. 13. cuius ratione per d. c. 10. cessante, meritò cessare & temperari dicatur illius dispositio. *Euerard. in loc. leg. à ratione legis cessante.*

Quin imò si rationem decreti spectemus, causarum vtique grauitatem, & necessariam personarum habilitatem; luculētius remedium allatum est per d. c. 10. s. 25. quippe Officiales in d. c. 2. s. 13. requisiti, tantùm habent pro se iudicium sui Episcopi; at Iudices synodales præter illud, totius etiam synodi prouincialis, seu diœcesanæ, aut saltem Capituli. vt verisimile non sit luculentiorem hanc prouisionē tantùm à Concilio inuentam esse pro causis ciuilibus; non etiam criminalibus; contra c. vbi *periculum. de elect. in 6.*

Sed & indies videmus aduersus etiam d. *c. 2. s. 13.* cùm neq; metropolitanus pronuntiauit, neq; pro suspecto recusatus est, delegationes fieri aliis Episcopis, eorumue Officialibus: quin & Iudicibus synodalibus. vt cùm de mente d. c. 2. disputatur, ille frequens vsus non sit

§. An hæc qualitas sufficiat in criminalibus.

5. Pro Synodalibus militat ratio Concilij.

6. Vsus.

contemnendus. *l. si de interpret. D. de legib.* aliud foret, si vna fortè vice id dumtaxat accidisset, aut paucis: tunc enim importunis artibus id adscribitur. *c. fin. de rescript. in 6. c. vnic. de relig. dom. in 6.*

7. Qualiter lex generalis posterior priori speciali possit derogare?

Præsertim cùm etiam speciales aliquando leges per generales subsecutas censeantur mutari. *Tuscus. V. Statuto. concl. 494. n. 63. 64.* maximè quando ratio legis generalis secutæ causis specialibus sufficienter prouidet. *l. si hominem. D. mandat. Tuscus V. generi per speciem. conc. 36. n. 110. 111. post Sign.* quod hic eo magis dicendum est, quod Conc. Trid. *d. c. 10.* innouat c. statutum *de rescript. in 6.* quod generaliter editum est pro causis non tantùm ciuilibus, sed & criminalibus, pariformiter ergo exaudienda est lex innouans, & innouata. Similiter à Conc. *Trid. c. 1. s. 13. c. 1. s. 22. c. 10. s. 24.* in causis visitationis & correctionis morum decretum est, vt nulla appellatio, aut inhibitio admittatur; & tamen ex c. 20. s. 24. etsi quasi legem tantùm continet generalem, d. autem c. 1. s. 22. c. 10. s. 24. specialem; declarauit Sanctio *pragmatica Clementis VIII. 1600. ar. 9.* non tantùm eas admitti ad effectum deuolutiuum, sed etiam suspensiuum, si de grauamine per definitiuam irreparabili agatur, vel cùm visitator citatâ parte, & adhibitâ causæ cognitione iudicialiter procedit. Sic & Concil. Trid. *s. 25. de regul. c. 15.* derogat c. ad *apostolic. X. de regul.* ne hodie liceat renunciare anno probationis. idque generaliùs admittitur Cùm de mente posterioris legis apparet. *Sanches in decal. l. 5. c. 4. n. 19.*

Insuper cùm Episcopus aliquem delegat non habentem qualitatem quam ei potest dare, censetur dedisse. *l. 57. D. de re iud.* vt non obstet c. si eo. *de rescript. in 6.* quod non habitudine tantùm, sed actu qualitatem requisitam oporteat habere tempore prouisionis. nec vetat eiusdem Episcopi plures esse Officiales.

Denique A. Canonicus Cathed. & Iudex Synodalis subdelegatus semper hic tâquam sigillifer munus subit Officialis absentis, aut impediti: quid ni possit & recusati? comparatur enim impedimentum & recusatio, atque hæc pro illo habetur. *c. 23. X. de off. deleg.* Quin etsi qualificatus non foret; tamen dum partes semel in eum expresè consenserunt, reprobare non possunt. *d. l. 57. D. de re iudic. c. induciæ. §. offeratur. 3. q. 3. c. insinuant. X. de off. deleg. c. statutum. §. in nullo. de rescript. in 6. vbi gloss. in verb. committat.* vbi illa clausula, *nisi partium accedat consensus*, ad vtramque periodi partem referenda est. quin & consentire in Iudicem censetur, qui non excipit de incompetentia. *l. non videtur. l. sed etsi suscepit. D. de Iud.* at in hunc non tantùm consensit hæc pars; sed nominatim dari eum Iudicem petiit. & possunt clerici de consensu sui Episcopi in Iudicem incompetentem consentire; dummodo sit persona Ecclesiastica: *c. significasti. X. de for. compet.* saltem in dignitate: *d. c. statutum*: aut hodie Iudex Synodalis. *d. c. 10.* Nec obstat quod subdelegare non potest is cuius electa est industria: *c. fin. I. de off. deleg.* electaque esse videtur, cùm causæ graues commissæ sunt. *c. is cui eod. in 6.* vt inquisitiones, seu criminales. *d. c. fin.* quod inlequi videtur d. c. 2. *s. 13. Trid.* quoniam reuera non videtur electa specialis grauis personæ industria, quando personæ incognitæ, præsenti, & futuræ committitur. *Sanches de mat. l. 3. d. 7. n. 20. post plures quos citat.* Nunc quod ad rationem electionis attinet, iam synodales Iudices electæ sunt industriæ; non à solo suo Ordinario; sed plena synodo, vt confidentia quæ est de Officiali, se offerat & in Iudice synodali; & pleniori plurium iudicio. neque verò ea verba; *quatenus vos, vel vestrum authoritate nostra faciatis pro-* *ea de*

vt de iure fuerit faciendum, personæ industriam significant: reperitur enim eiusmodi compellatio in omnibus rescriptis. neque tamen subdelegationem impedit. *c. si contra. c. cum plures. de off. deleg. in 6. c. prouidentia. X. eod.*

11. Nullitas in cap. 13. Trid. non apponitur.

Denique d. c. 2. non continet pœnam nullitatis. vt quamuis per d. c. 10. mutatum illud non esset; tamen quod secus factum esset, subsisteret. quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Neque literæ nuper allatæ irritant subdelegationes factas iis, quibus ex stylo fieri non soleant; etsi improbent, & ne fiant, moneant.

12. Et in strictè criminalibus non, correctoriis tantùm est accipiendum,

De criminalibus etiam causis dumtaxat agit d. c. *2. §. 13. Trid.* illudque strictè accipiendum est de iis, quæ verè sunt tales; non correctoriæ tantùm, & visitationum. in quibus solis regulares illi, de quibus quæritur, Ordinario subsunt; & ad pœnitentias dumtaxat imponendas, non autem exequendas. quin nec sententia interdicti, à qua maximè appellatum est, super vllo crimine lata est; sed super contumacia dumtaxat: quod noluerint Ordinarij statuta recipere, aut eius iurisdictionem, & superioritatem agnoscere. nec vllum iota in sententia de alio crimine mentionem facit. sed omnis controuersiæ scaturigo, ac fundamentum est allegatio exemptionis. in qua materia nec canon aliquis est; nec ratio; nec stylus, qui obsit subdelegationi faciendæ canonico cathedrali, Iudici synodali designato.

De his quæ vi aut metus causa.

RESPONSVM I.

De subdiaconorum cælibatu, vi & metu in ordine susceptionis reuerentiali patrui. protestatione & probatione. sufficientia ex addictione solidæ atque opimæ hæreditatis, si nepos sacris se vouerit, comminatione priuationis si deflexerit. pronunciatione super nullitate, transitu in rem iudicatam. matrimonio. appellatione tanquam à die notitiæ. causæ deuolutione. viribus citationis ad domum. retractatione primæ sententiæ in secunda instantia. huius examine in tertia.

ORdo subdiaconorum serò inter sacros relatus est. *c. cum à multis X. de ætat. & qual. ord.* & annexus cælibatus: *c. ante triennium & tot. dist. 31. 32.* anterius sacerdotio, & diaconatui. *ibid.* prisca quidem pœna, vt, si vxores ducerent, officio abstinerent; non tamen cõmunione priuarentur. *Concil. Aurel. 5. c. 4.* etsi hodie quilibet sacer ordo matrimoniis dirimens impedimentum præstet. tametsi cum subdiaconis etiam faciliùs dispensetur. sed nunquam votis solemnibus obligato facultas fuit ad sæcularia transire, aut validè matrimonium contrahere, & in contracto permanenti communionem dari. magno argumento distinctionis vinculi, quod ex voto, & quod ex lege Ecclesiastica pendet. tametsi Greg. I. *in d. c. anterior.* non ordinari iusserit subdiaconos, nisi continere promiserint. sed formula Pontificalis id modò non habet: sed ordinaturus Pontifex ordinandos monet hactenus eos liberos esse, & licere ad sæcularia vota transire; quod si hunc susceperint, non licere à proposito resilire: & con-

1. De subdiaconatus obligatione ad cæliba-tum.

cludit; *si in sancto proposito perseuerare placet, in nomine Domini huc accedite*, propositum vocat & illicitum ad secularia regressum: nec aliud disertè promittitur. de cleri cœlibatu satis in Concilio Tridentino *s. 24. de sacr. mat. can 9. & 10. & d. 31. 32. & DD. passim & nuper Lantmeterus de veter. cler. vict. & disip. l. 2. c. 80.*

2. De vi in ordinatione facta, vt eam impediat?

Inuitum ordinari quem non debere, ordinantem grauiter puniendum traditur tota d. 74. vis præcisa, qua quis citra vllam voluntatem constringatur in adulto ordinis & characteris impressionem impedit. infanti imprimi potest; sed non obligatio imponi ad obseruantiam cœlibatus, nisi doli capax ratificauerit. *Sanchez. de matrim. l. 7. d. 29.* vis huiusmodi præcisa nec allegatur hic quidem. Itaque de vi hic cessat quæstio. sed & de metu tali, qui adimeret rationis vsum, & discretionem. *de quo Sanchez de mat. l. 4. c. 1. n. 13. Layman. Theol. mor. l. 4. t. 4. c. 1. n. 3.* qualis nec hic ponitur.

3. De metu an impediat?

Metus ergo hic allegatur talis, qui in constantem virum cadere possit: qua in re considerandus est orator, ex familia pluribus sæculis armata nobilitate splendida, prognatus; cui præ vulgo generosus animus qui non facile consternari possit, inesse præsumitur si: *nec imbellem feroces progenerent aquilæ columbam.* ideòq; & maior metus causa, & maior probatio requiri hic videtur. cui accedit quòd Ordinis susceptio ab Episcopo, qui iudex ordinarius dicitur, inducit libertatis præsumptionem, cùm propulsare vim ille possit: *huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentia opponere*, inquit Lex *non est verisimile. D. Quod metus.* Interim tali metu ordinatus characterem procul dubio suscipit. *si metu*, inquit l. *si mulier. D. quod met. caus. coactus ady hereditatem, puto me hæredem effici: quia quamuis, si liberum esset, noluissem; tamen cõactus volui.* ergo

4. Aut eius effectum?

voluit, etsi cõactus metu ordinem susciperè, & subdiaconus effectus est. de obligatione autem annexi cœlibatus videbimus postea.

Quoad probationem; non apparet nisi vnicus testis; iisque pauper; olim famulus domesticus, reus etiam domestici cum ancilla concubinatus, sed quam postea vxorem duxerit; cuius etiam dictorum fides aliquantulum eneruatur ex dictis testium ab aduersariis productorum. ex huius tamen testimonio Iudex primæ instantiæ supletorium Oratori iuramentum detulit, super asserto metu. sed in rebus occultis, testes sufficere creduntur aliàs non omnimodo idonei: iisque præsertim quæ in alterius prejudicium non tendunt, nisi per indirectam quandam cõsequentiam: vbi plena probatione opus non esse receptum est. Solo quidem iuramento non probatur, quamuis in animo consitat: *l. 1. in V. mentis trepidatio. D. Quod metu.* sed requiritur facti atrocitas. *L. metum. C. eod. Mascard. de prob. con. 1155. n. 8.* quamuis casus singularis *sit in c. Statutum. §. cum verò eiusdem de rescript. in 6.*

4. Protestatio

Protestatio quidem præuiæ actui, non exiguæ considerationis est, sed eam probare non sufficit, nec per eam metus probatur. *Mainer ad reg. Iur. l. in omnibus Panorm. & DD. in c. 1. X. de his quæ vi vel met.* nec releuat protestatio, *nisi vestita sit iusto timore*, inquit Panorm. *in præsumptione tamen tacita sufficit*, inquit, *qualiscumq; metus ad tollendam illius præsumptionem*: & ordo subdiaconatus quidem tacito quodãmodo voto comparatur. sed tamen ordinis susceptio solemnis est: tacitum an votum sit, alia dissertatio est: Ecclesiæ lex, & conditio proposita est manifestè, sub illius tacita acceptatione susceptus ordo voto aliquatenus æquialet: saltem & sub metu susceptus validus est, vt diximus: sed obligatio cœlibatus an efficax sit in metum passo est vi-

dendum

dendum: & non esse, si metus fuerit iustus, seu cadens in virum constantem, insinuant litteræ Pontificiæ, dum eo allegato iubent declarari quod iuris erit; an orator teneatur ordini, an liberè ad matrimonium transire possit.

7. Diligenter metus qualis fuerit inquirendus.

Igitur *de illato metu*, inquit *c. consultationi X. de sponsi. est cum diligentia inquirendum, & si talis metus inueniatur illatus, qui potuit cadere in virum constantem, erit non immeritò audiendus. neque* enim *sufficit*, inquit *l. 3. D. quib. ex caus. maior. quolibet errore adductum timuisse, sed huius rei disquisitio Iudicis est.* adeoque arbitrium Iudicis est an iustus metus fuerit. præsertim vbi Iure expressum non est. *Bald. in c. 2. de met. ad fin.* & sanè grauis admodum mali metus esse debet, vt pro iusto habeatur. vt in *c. cum dilect. eod. violentia*, inquit, *quæ proponebatur illata, cùm neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, non debuit cadere in constantes.* consonat *l. metum. C. de his quæ vi aut metu. l. interpositas. C. de transact.* vbi videtur alium metum excludere, qui his non æquiparetur. nam dubium non est de metu mortis, armorum, seruitutis, captiuitatis, exilij, carceris, stupri: & addunt amissionis status, honoris, excommunicationis. *vt singulatim deducit Sanchez de de mat. l. 4. d. 5.*

8. Metus amissionis bonorum an hic sufficiat & quibus?

Quoad metum amissionis bonorum, atque infamiæ, qui vterque hic considerari potest ob hæreditatem patrui amittendam, & eiectionem è domo, in qua multis annis ei cohabitauerit, *Sanchez ibid. n. 13. & seqq. & n. 20. & seqq.* & infamiæ quidem iuris est iustus metus: *l. 7. & 8. §. fin. D. Quod met.* etiam facti: *l. Iusta D. de manumiss. vind.* quia *melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Prouerb. c. 22.* harum porrò amittendarum iustus etiam metus est: *c. 2. X. de vi in v. qui eam à domo, & vniuersa possessione expellerent.* vbi casus erat de vniuersa possessione expulsi. alioquin sufficit & maioris partis. *c. 1. de rest. spol. in 6. l. propter D. de excus. tut.* aut saltem magnæ, & notabilis respectu metum passi. *Sanchez n. 25.* nec tantùm rei ipsius propriæ, sed etiam talis ad quam ius aliquod habebat, vt successionis ab intestato. etsi non æquè sufficeret spes data alienæ. *n. 27. & seqq.* quia hæc inuitat tantùm, illius quasi n aturâ debitæ iactura timorem incutit. quare prudenter considerata tâm amittendæ hæreditatis opulentæ patrui, quàm è domo eiectionis non exigua infamia Iudicem non parum mouere potuit, vt causam metus non omnino iniustam existimauerit: nec meticulosam apprehensionem: cùm rei successus docuerit non vanum fuisse timorem. quippe Orator postquam ad libertatem proclamauit à patruo exhæredatus est, institutis aliis ex asse illius fratribus.

9. Reuerentia patrui.

Auxitque hæc reuerentia patrui, cui tanto tempore cohabitauerat, & à quo antè minoris ætatis illius directio, totaque ratio magis quàm à parente pependerat. vt quamuis de metu reuerentiali multa dici possint, *vt apud Sanchez d. l. d. 6. & quos citat Pontius de matr. lib. 4. c. 5.* & ille non inferatur ex potentia ac authoritate; *l. ad inuidiam C. de his quæ vi, & l. si per imprecationem D. eod.* non tantùm consideratur in magistratu, marito, patre, socero, auo, tutore; sed & patruo: *Sanchez n. 24. 33.* aliisque: tamen cum & simul minæ exhæredationis, similesque causæ graues cum reuerentia copulantur; metus energia admodũ augetur: & vt illæ in ciuilibus restitutioni in integrum causam præbent; ita in matrimonio carnali & spirituali ipso iure irritum actum faciunt. *de qua re idem Sanchez d. 8. 12. 13. Layman. & quos citat Theol. mor. l. 3. t. 4. c. 6. n. 3.*

Sed Sanchez *ibid. n. 16. Alia*, inquit, *sacramenta, vt baptismus, confirmatio, ordo, extrema vnctio* suscepta metu valida sunt: *& n. 25. alia*, inquit, *sacramenta ibi enumerata non possunt*

possunt irritari ab Ecclesiastica: at matrimonium, cùm sit contractus, potest: & ita irritauit quando metu contrahitur. & consequenter *d.14.* docet iure naturæ etiam valere, sed solo Ecclesiastico irritari: & cùm Ecclesiasticum tantùm irritarit in matrimonio, & vbi metus est viri constantis; dicendum fore matrimonium valere vbi tantùm est leuis. *idem d.17.* ideoque prudenter Iudex debet omnes rei circumstantias circumspicere, & statera leuis momenti, & grauis metus expendendę sunt, & quis grauis sit respectu metum passi: *Idem l.4.d.3.* Ordinem autem metu susceptum valere quoad sacramentum, sed non quoad annexas v.g. subdiaconatui obligationes, horas recitandi, cœlibatum seruandi. *Sanchez de matr. l.7.d.19.n.5. & authores 30. quos citat Coninck tom.2.de sacr.d.20.d.14. Bonacina de matr. q.3.p.8.n.12. Villalobos & 12. Authores quos adfert & sequitur Barbosa in Collect.L.1.l.3.l.42.c.3.n.18. Diana p.3.t.4.r.193. Henric.de sacr.ord.c.14.n.3. Azor.l.13.c.14.q.8. Sa V.ordon.14. Angel. V.ordo 3.n.26. Rosel. V.ordo 3.n.6. Mercer.in quæst.37.suppl.ar.3.n.8. Ioan.de Friburgo in sum. S.Raymund. l.3.de æt.ordinand.ad §.16. & Diana fatetur esse communem.*

10. Metus iustus tollit obligationes ordinis.

Ex quibus deducitur, quod etsi metus incussi hic causæ non sint censendæ vanæ, aut omnino leues; tamen forma pronuntiandi, qua vsus est primus Iudex, non satis congruè concepta videatur. si quidem narrauerat Orator, quod ipse per vim & metum, qui caderet in constantem, promotus fuerat ad subdiaconatus Ordinem; quod crederet se ordini nullo modo teneri; quod id iudicialiter declarari desideraret: recripserat Pontifex, vt deligatus vocatis vocandis, dummodo Orator ordinem tacitè vel expressè non ratificasset, & vltra tres vices in illo non ministrasset, authoritate apostolica declararet, prout de Iure foret declarandum: atque ex iis quæ diximus liquet essentiam Ordinis metum passo esse collatam, characteremque impressum, subdiaconum effectum: non congrua ergo sententiæ verba sunt *ordinem nullum, irritumque esse, perinde atque si nunquam euenisset.* metu satis probato eoque sufficienter graui, declarari potuisset ordinem quidem valide esse susceptum, cæterum obligationem continentię inuito, seu per metum coacto non imposuisse. *vt tu l.in.4. liena. §.celsus. D. de acquir. hared.* fallens, simulans, ac præsciens se cogendum in contrarium protestans, *vt ibi gloss.* qui metu verberum vel aliquo timore coactus fallens animo hæreditatem, hæres non fit. Et quoniam litteræ nullam sonant dispensandi facultatem, votumue tacitum, seu legem Ecclesiasticam cœlibatus relaxandi; sed tantùm declarandi prout de iure; iuxtaque adeo sunt non gratiæ, cuntè versandum est in hac formula.

Animaduertendum est tamen ex Sanchez quosdam scribentes eo modo loquendi vti, vt dicant ordinem nullum: sed sanè impropriè. nullitas enim tātùm considerari potest circa obligationē continentię &c. & propterea satius restrictio sententiæ addita fuisset quoad nexū cœlibatus, aut vinculū continentiæ, vel potiùs, iuxta verba, literarum *ordini Oratorem non teneri*, quin matrimonium contrahere possit dimissa prebenda.

Sed quoniam huius scrupuli plena excussione opus hic non habemus; videamus de transitu sententiæ in rem iudicatam. Per lapsum decendij citra appellationem ritè lata sententia fit res iudicata, iure ordinario: ab ea tamen regula excipitur causa matrimonialis: *c.lator c.consanguinei c.sæpe. X. de sentent. & re iudicat. c.fraternitatis. de frig. & malef.* sed idem in causis votorum & Ordinum non est expressum: æquâ tamē interpretatione recipi potest, argumēto eorum quæ habet Euerard. *in loc. legal. à matri.*

matrimonio carnali ad spirituale & contra. tametsi in materia beneficiaria, quæ & spirituale matrimonium inter prouisum & Ecclesiam continet, id non recipiat Couuar. *in 4. de mat. p. 2. c. 8. §. 12. n. 28.* rectè, quia peccati huiusmodi perpetuandi causam non inuoluit votum, & ordo sed specialiter in hac causa ideo recipiendum est, quòd tam litteræ apostolicæ, quàm sententia connectant relaxationi Ordinis, facultatem matrimonij contrahendi. qui respectus implicat priuilegium causæ matrimonialis, vt in ea nunquam sententia pro re iudicata habeatur, quin matrimonium de impedimento dirimenti in controuersiam reuocari possit, etiam respectu tertij, qui illo denunciato se opposuit. *Sanchez de matr. l. 7. d. 100. n. 12. & seqq.* quamdiu tamen nemo à sententia appellauit ad superiorem vel apud eundem iudicem questus est, sententia pro veritate habetur; eaque vti, saltem post decendium, licuit. *Sanchez & quos allegat vbi sup. n. 7. Gail cent. 1. obs. 112. n. 12.* & propterea *in c. 2. X. de his quæ vi vel met.* cui ob metum fuit impositum velum, & cessante metu nupserat, non præcipitur mox à coniugio abstinere, aut ad monasteriũ redire; sed demum, postquam probatum foret eã non timore mortis velum suscepisse, aut ratificasse: & mandatur reuocari excommunicatio, quam diœcesanus metum passæ nimis festinanter ideo intulerat. *Vid. Panormitan. in d. c. 1.*

15. In hac causa tanquam matrimoniali.

De matrimonio igitur cùm in vim rei iudicatæ coram proprio parocho cum dispensatione Ordinarij super denunciationibus contracto rectè sentiendum est, in iis qui bonæ fidei sunt, & coniugij authore iudice facti possessores, donec contrarium liqueat. *c. fraternitatis X. de frig. & malef. V. in conspectu Ecclesiæ nupsit; quam diu articulus ille dubitabilis erat præsumi non debet, quod fornicaretur.* &c. secus foret, si sententia non ritè sit lata,

16. Cum possessione bonæ fidei.

contrahens aduersus iudicem contumax, & malæ fidei possessor coniugij. *d. c. tenor. 10. X. de sentent.* cui interdicitur ne ad superinductam accedat priusquam fuerit causa decisa, quibus ex causis etiam liberi ex tali matrimonio ante sententiam concepti censentur legitimi. *c. cum inter. 2. X. qui fil. sint legitimi.*

17. Sententia hic an via querelæ an appellationis oppugnanda?

Sententiæ quasi minùs ritè latæ obiicitur, quod lata sit non citato aduersario ad audiendum ius dici, quodque ideo saltem competat facultas appellandi intra decendium à die notitiæ: & in omnẽ euentum cùm in causa matrimoniali fatalia non habeant locum, cùm sententiæ non transeant in rem iudicatam, possint post dies decem, imò semper oppugnari, & error Ecclesiæ impositus doceri, si non per vim appellationis; saltem querelæ: & quamuis via querelæ adiri non possit Archiepiscopus: *c. 1. X. de off. leg.* possit tamen legatus: *ibid.* cùm sit in tota sua prouincia etiam Ordinarius: *c. 2. de off. leg. in 6.* & quamuis is aditus sit per viam appellationis ex rescripto apostolico, declarabant tamen appellantes se omnia illa, quæ hactenus acta sunt, vertere in viam querelæ, eoque modo proposita omnia esse velle, quatenus opus ita sit, ac non aliàs. Hic causæ præsentis nodus est. Is vt expediatur, separemus membra argumenti. Citatio ad audiendam sententiam necessaria est etiam in iudicio summario: *Clem. sæpè sub fin. de verb. signif.* Citationem hic factam probat relatio iurati nuncij, cui iure statur: *glos. in c. cum parati V. nuncius X. de appell.* nec satis est dicere, & offerre iurare, quod ad eum non peruenerit citatio; cùm *vt in c. bonæ. 23. X. de elect. singuli tales quamuis plures essent in testimonio suo singulares, & pro his quæ à iudice sunt acta, præsumitur quod omnia ritè fuerint celebrata, quamuis & quod citati non fuerint non possit de facili comprobari.* &c. *& versic. nos igitur.* decisionem Pontifex elicit ex hac præ-

18. Citatio in summario iudicio etiã necessaria.

19. Vt probetur facta?

præsumptione, etsi & aliam causam assumat. Igitur assumpta est contentio super viribus citationis, quæ non ad personam fit, sed ad domicilium, domesticos, ex consuetudine &c. & producti sunt vtrimque testes inuicem contrarij: vnde conficitur vniformem ibi non esse vsum, sensumue consuetudinis, si qua sit: adeoque non sufficere ad Iuri derogandum, inducendamque contrariam Iuri consuetudinem, in qua omnino actuum vniformitas requiritur, & vnanimis populi consensus, qui cum difformitate non cōstat. *Mynsig. 6. cent. obs.* 42. ergo redigenda res est ad rationem Iuris communis: *citati ibidem*, adeoque casum legis *ab eo C. Quomod. & quando Iud.* vbi formatur casus sententiæ post litem contestatam &c. latæ contra absentem, citatur tamen, & dicitur ab eo iudicato recedi non *posse, si vbi primum cognouit, non ilico de statutis querelam detulit*, seu intra decendium. *Auth. hodie C. de appell. & ibi glossa, verb. à sententia. c. quoad consult. X. de re iud. appellauit.* facit *& c. concertationi V. intra decem dies postquã sciuerit de appell. in* 6. quãquam propriè loquatur in extraiudicialibus: vtraque tamen comparat *Clem. ficut de appell.* dicendumque intimatum, qui per se litigauit (nam in litigante per procuratorem si hic non appellauit difficile est vt ille audiatur. *l. 1. in fin. D. quando appell. sit.* scilicet si soluendo sit, aliàs restitui potest. *l. proper. §. fin. C. de iud. Gail cent. 2. obs.* 45.) potuisse intra decem dies, postquam sciuerit sententiam latam, appellare: sciuisse autem procul dubio ob relationem nuncij præsumitur, adeo vt vix iuramentum in contrarium oblatum considerabile sit. *d. c. bonæ.* præsumitur enim is, cui tradita à nuncio relatio, hero domus tradidisse, & notitia eorum, quæ domi sunt gesta ad herum peruenisse. *Menoch. præs. l. 6. præs. 23. n. 43. 71. 73.* argumento eorum quæ habet Mascard. *de probat. V. notitia n. 1. 4. 8. 15. 16. 19.* & si vicinus præsumitur scire, quæ fiunt in vicinia; multò magis herus ea, quæ in domo; & domestici mandata referre. suppositâ ergo scientia, decendio ante appellationem lapso, deserta causa est. *d. c. quoad consult.* & quamuis postea etiam in principali causa appellans vel appellatus egissent quippiam, non desiisset sententia transire in rem iudicatam. *Clem. si appell. de appell.* eo saltem sensu, quo in causis matrimonialibus transire mox dicemus.

20. An ad personam requiratur, an sufficiat ad domum?

21. Executio, & scientia an præsumatur?

Fatalia ergo in causis matrimonialibus labuntur, vt in aliis, neque enim aliud Iure decisum est, aut stylus per leges & canones stabilitus, in his vltèriùs inciso quam vt Ecclesiæ iudicium retractari possit, errore detecto; sub quo peccatum foueretur: & solum eo sensu in illis sententiæ dicuntur non transire in rem iudicatam, quin semper possit inquiri veritas, doceri error, & peccatum, quod foueretur; irritum sustinendo, vel ratum soluendo, impediri. ideoque cùm intra decendium appellatum non est, appellari exinde non potest, cùm fatalia introducendæ, vel prosequendæ appellationis præterierunt, aut appellatio quoquo modo deserta est, restaurari haec non possunt magis, quàm in aliis causis; sed sola supereſt via quærelæ. eademque ratione extincta est prior instantia, & noua opus est quasi ex integro. nec ea porrò quasi illotis manibus formari de nouo permittitur; sed si iudici apparens videatur erroris argumentum. adeo vt nec per viam nullitatis adiri possit Archiepiscopus, sed prioris tantùm instantiæ iudex, seu alius qui cum Ordinariis concurrat: vt Papa vel legatus. transeatque etiam in rem iudicatam sententia respectu vtilitatis priuatæ, atque expensarum, hæreditatis, atque cuiuslibet interesse tertij, vt sola supersit ratio peccati imposterum vitandi, atque

atque adeo cùm matrimonialis quæstio priuatam nullitatis causam solùm continet. v. g. ignotam ante coniugis seruitutem, errorem personæ, alioquin non prohibitæ, fatalia negligendo facere possunt coniuges; vt sententiæ, res fiant iudicatæ. *vt hæc omnia latè deducit Sanchez & ab eo citati de matrimonio l. 7. disp. 100. n. 4. & seqq. præsertim Couuar. 4. decret. 2. p. c. 8. §. 12. n. 25. & seqq. Surdus cons. 223. n. 31.*

Itaque supposito quod maturè hic appellatum non fuerit; & causa non deuoluta: agitari ex rescripto appellatorio non potuit coram Nuntio, seu Legato.

Sed neque conuerti appellatio in querelam, acta appellatoria impendi in vicem libelli queruli, aut implorationis officij Legati. quamuis enim, vt diximus, iure veteri *d. c. 1. X. de off. leg.* adiri legatus potuerit per viam querelæ; hodie tamen dicendum est abrogatum esse per Concilium Tridentinum *s. 24. c. 20.* quo decernitur vt causæ omnes in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, neue ab illis vllatenus auocentur, inhibeturque Nuntiis, & Legatis ne Episcoporum iurisdictionem vllatenus præripiant. porrò huiusmodi querela ad audientiam prioris instantiæ pertinere videtur *ex c. ex litteris. X. de in integ. rest. in verb. ad audientiam restituimus, & in verb. de causa prioris appellationis ordine iudiciario cognoscentes:* vt quadantenus regestio & repetita ruminatio tantùm videatur, iterata in matrimoniis cognitio. *c. consanguinei. X. de sent. & re iudicat.* vbi Pontifex eidem Episcopo rescribit, qui sententiam antè tulerat. & idem videtur *in c. lator ibid.* etiam in delegato. *c. causam mat. in fin. X. de off. deleg.* ad eum modum, quo iudex Ordinarius nulliter pronuntians, ipse iterum cognoscit, & decidit. *l. si præter. C. Quomodo & quando iud. l. si accusator. & ibi glos. V. eund. C. de accus.* quia ergo olim iure legationis, *d. c. 1. X. de off. leg.* & ordinariæ iurisdictionis ei competentis, *c. 2. eod. in 6.* etiam in prima instantia adiri poterant, consequens erat vt & possent per viam querelæ in causis matrimonialibus semel decisis, ad audientiam reuocandis. cùm verò quidquid rationem habet primæ instantiæ per Tridentinum nunc *d. c. 20. s. 24.* reseruatum sit Ordinariis, vt causas omnes ipsi cognoscant, non alij; sine distinctione modi, & viæ cognoscendi: idemque. *Trid. d. c. 20. § legati* Nuntiis & legatis alios quoscumque annumeret; consequens erit vt hodie immiscere se non possint per viam querelæ, seu quamcumque aliam iis iudiciis, quæ primam instantiam redolent. vbi tamen Ordinarij iterum pronuntiauerint; appellationi rursus locum fieri, & per viam appellationis alios adiri posse non immeritò dicendum est.

25. Sed nec legatus per viam querelæ hodie adiri.

Igitur in 2. instantia appellatus ibidem, in 3. appellans semper sustinuit causam non esse deuolutam: super ea re priùs pronuntiandum fuit: vt super præiudiciali quæstione. *tot. tit. X. de ord. cognit.* alioquin datur materia appellationis. *l. 1. C. de appellat.* aut saltem iubēdum vt ad omnes fines appellatus responderet. ergo causâ non aliter concluſa cùm super principali in 2. instantia appellati nihil aliud dixissent, cum non allegata allegare, non probata probare vtrique parti æquè à iure facultas fiat, *l. eos §. 1. C. de appellat. l. fin. §. his V. refutatorios libellos. C. de temp. appellat. Clem. fin. de test.* & reo seu appellato semper vltimò dicendi calculus præbendus sit: cui etiam hic dicere competebat vel ad illa, quæ in ipsa appellatione, seu literarum narratiuis verbis continerentur; nec tamen id factum foret: cùm etiam iubeat l. iudices. *auth. iubemus C.*

de indic. vt iudex partes interroget, an adhuc aliquid velint actis suis addere, non, dicere volentibus, locum non dare, aut in causa super eo puncto nō instructa ius dicere: & tamen Nuntius tam in causa principali retractauerit sententiam, quàm in causa deuolutionis, seu desertionis ad se causam deuolutam &c. declarauerit:

In hac 3. instantia dicendum est in principali appellationis causa, lite non contestata, nec ex prioribus actis vtrimque concluſa perperam pronuntiasse definitiuè: priorem sententiam reuocando: & quoad desertionem seu deuolutionem, quamuis ex iis, quæ suprà diximus, de iuris præsumptione determinari causa potuisset: tamen quoniam in hac materia ordinis & matrimonij etiam exuberat officium iudicis; vt sicut in parochis statutum est *in c. 3. X. de clandest. desp.* vt in contrahendis matrimoniis ipsi etiam inuestigent an nulla subsint impedimenta; sic & in contractis, dum in controuersiam præsertim vocantur, iudici ex officio conuenit si quid rimetur, plenius excutere. *c. porrò X. de diuort.* etiam parte inuita sententiam detecto errore retractando, *Sanchez de mat. lib. 7. d. 100. n. 2.* ideo rectè testimonia etiam iudex excussit, quæ super scientia plus quàm per dies decem ante appellationem in tertia instātia sunt audita: quamuis iis à producentibus renunciatum erat: & cum ex iis constet intimatum scientiam habuisse sententiæ plus quàm decem diebus ante appellationem; id ex actis coram se deprehendens causam desertam, & sententiam rem iam iudicatam esse factam inueniens, rei iudicatæ authoritatem sequi potest. *iuxta d. c. si appellat.* ea publicare, & parti si quid contra producere voluent præscribere; & declarare ad Nuntium 7. instantiæ iudicem causam non fuisse deuolutam; consequenter si ex priuilegio causæ matrimonialis post rem iudicatam intimatus audiri nihilominus velit, id proponat, sub modo eiusdem priuilegij, scilicet coram primo iudice, sub forma primæ aut nouæ coram eodem instantiæ, & querelæ, non appellationis; vt suprà latiùs explicatum est. qui porrò dispiciat argumentum querelæ an apparens sit, nec ne; & ad audientiam sit ille restituendus, & vlterius decernat, quod causæ ratio dictabit.

LIBER SECVNDVS.

De Iudiciis.

RESPONSVM I.

De indicta comparitione ipsorum litigantium.

QVæritur vtrùm in causa matrimoniali iubere iudex possit partem ipsam, etiam mulierem, coram se comparere, & respondere etiam sub iuramento calumniæ, an omnino per procuratorem satisfacere illa possit? Non parum dissentire videntur; c. pastoralis *X. de iudic.* & c. 1. *de Prorog. iudic. in 6. statuimus*, inquit illud, *esse principales personas non per aduocatos, sed per seipsas factum proponant, nisi fortè sint adeo indiscretæ, vt earum defectus de iudicii licentia per alios supplicatur*: hoc autem, iuris in-

inquit, *esse ambigui non videtur iudicem delegatum iubere non posse alterutram partium coram se personaliter in iudicio comparere, nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda vel aliàs pro iuramento calumnia faciendo, vel alia iuris necessitas partes coram se exegerit comperere.* ecce prior decretalis regulam facit, vt partes principales de facto suo dicant; & excipit indiscretas dumtaxat: altera regulam negatiuam facit; vt iubere iudex non possit partes principales comparere; & excipit casus tantùm quos mox illius verbis recitauimus. nam quod d. c. 1. delegati iudicis meminerit, rectè Glossa *ad V. delegat.* etiam de Ordinario dicendum asserit: & ratio suffragatur: & d. c. pastoralis indistinctè loquitur.

2. In criminalibus.

Et quidem d. c. pastor. aduocatos excludit à facto proponendo, in iure autem allegando non excludi, rectè Panormitanus alijque censent. sed quod ille procuratores admittat ad factum proponendum, quod & ipsi sint principales, vtpote litis & instantiæ domini, *c. 2. de procur. in 6.* non æquè rectè. non tantùm quoniam procurator per litis demum contestationem dominus litis efficitur; propositio autem facti omnino antecedit litis contestationem: & exceptio, *nisi personæ fuerint indiscretæ*, in procuratoribus locum non habebit, cùm tales procuratores esse non possint, quin & in hac ipsa materia iuramenti calumniæ in d. c. 1. excepta lex generaliter *§. his de præsentib. C. de iureiur.* procuratorem & principalem personam inuicem opponit; vt quamuis per procuratorem lis ventiletur, necesse etiam sit vel ipsam principalem personam ad iudicem venire. ideoque rectiùs Immola quod de aduocato est dictum, in procuratore recipit. ex identitate rationis.

3. Et pecuniariis.

Porrò lex vlt. *C. de procurator.* permittit in pecuniariis causis ei, qui in ius vocatur, per procuratorem respondere: & plura iuris loca quæ citat Glossa *in d. c. 1. v. iudicem.* additque rectè iuris beneficium nemini esse auferendum.

Excipit autē d. lex vltima si partes fortè iustiores sint quàm procuratores, eos iudicis vocabit authoritas. vnde constat etiam alias causas admitti, quàm in d. c. 1. sint exceptæ: secus quàm aliqui putauerint. *apud Ioan. Andreæ in d. c. 1.* vt & illa verba d. c. 1. *vel alia iuris necessitas partes exegerit personaliter præsentari.* vt sub necessitate causæ opportunitas, & quæcumq; iusta causa accipiendat sit. quemadmodum Clementina *sæpè de verb. significat. interrogabit etiam partes*, inquit, *siue ad earum instantiam, siue ex officio, vbicumque hoc æquitas suadebit.* sufficiet ergo quæcumque æquitas ad partes ipsas vocandas.

4. Præsertim si magis legales sint quam procuratores.

5. Aut alia iusta ex causa:

Si sententia Panormitani de non excluso per d. c. pastoral. procuratore recipiatur, facilis est solutio dissonantiæ d. c. pastor. & d. c. 1. quod si quid procurator aget, dicetur agere principalis, siue factum proponendo, siue respondendo: & rectè Panormit. docuerit omnes ferè improprias esse exceptiones, quas glossa *& DD. ad d. c. pastoral.* proponunt. quæ tamen communi intellectu seruato non sunt impertinentes.

Ex d. c. 1. *de Iud. in 6.* constat ad Iudicem vocari partem posse, pro veritate dicenda, seu ad positionibus respondendum *c. præsentium de testib. in 6. sufficienter facias à partibus ad inuicem responderi.* vel calumniæ iuramento. & consonat d. *§.* his *d. auth. principales. C. de iur. cal.* ita tamen, vt nisi iusta causa suadeat contrarium, per specialem etiam procuratorem possit admittere Judex calumniæ

6. Pro veritate dicenda, respondēdum positionibus.

7. Iurandum de calumnia:

8.

iuramentum præstari. *c. fin. de procur. in 6.* etsi ad egregias personas domum mitti iuramentum debeat. *l. ad personas. D. de iureiur.* quæ quales sint, & vt eis mulier æquiparetur, vide Menoch. *de arbit. cas. 70.* & verò de honestis, ne in publicum protrahantur, capitaliter sanxit *l. 1. C. de offic. diuer. iud. & d. l. generaliter. §. fin autem* coniungit personas, quas dignitas, vel sexus non concedit ad Iudicem peruenire. & c. periculoso *de stat. regul. in 6.* iuri contrariũ dicit, vt mulieres per se litigare cogantur, & omnino in regularibus vetat.

2. Egregiis personis & nobilibus mulieribus domũ mittitur iuramentum.

Porrò & *d. §. fin autem* cùm domum litigatoris iuramentum mittitur, illud ait procedere parte vel procuratore eius præsente: sed d. Auth. *principales Mulier*, inquit, *honestæ vitæ absente aduersario iuret coram officialibus, aly coram officialibus cum aduersa parte.* & consonat d. *§. de præsentib. in verb. licentia danda etiam parti alteri, vel per se vel per procuratorem adesse his, quæ iuramento aguntur.*

3. Sed quid hic vsus habet?

Sed vsus harum prouinciarum habet vt honestate salua virgines, viduæ, matres-familias in publicum prodeant, ad templa, rerum venialium fora, officinas, & iudicia: adeoque si examinandæ sunt in causa sua vel aliena, si iuramentum calumniæ ab eis præstandum est, ad Iudicem veniant: præsertim si is sit maioris iurisdictionis; causa criminalis, aut aliàs ardua, in qua vel testium, vel partium examen vix subdelegari possit. solent ideoq; iudices etiam ipsi ad ipsarum mulierum ædes venire, si præsertim illorum respectu sint egregiæ: quamquam summorum iudicum intuitu egregiæ non dicerẽtur. vt hæc qualitas respectiua sit inter iudicem & litigantem. quamuis aliàs Menoch. *vbi sup. in fin.* personam quamuis nobilem pro egregia accipiat, æquiparetque mulierem.

Rectè igitur ad mores patrios hic Officialis diœcesanus in causa matrimoniali mulierem communi gradu nobilem, non illustrem, suæ diœcesis, ac deinde metropolitanus, denique delegatus Apostolicus coram se comparere, & sub iuramento calumniæ ad positiones partium, ac puncta officij præsente aduersario respondere iussit, & consonant statuta Prouincialia Mechlin. *De modo procedendi, ar. 14.* in causis officij, defloratonis, oppositionis bannorum &c. vbi dæ quæstiones matrimoniales, vt frequentiores, omniũ vice ponuntur. Quinimo *in c. accedentes. X. de procur.* mulierem nobilem quæ in aliquo loco sub potestate erat, iubetur iudex mandare aliò transferri vbi plena gaudeat libertate ad effectum dandi procuratorium in causa matrimoniali: quanto magis ad iudicem venire, vt ei deliberate constet, & an ex eius voluntate lis agatur, aliàsque respondeat prout rei opportunitas exigit?

Quoniam verò ex metu reuerentiali tutoris, atque aliàs non liberè dicere, gereúe allegabatur, iudex eandem loco libero & tuto sequestrari iussit. cùm etiam ex altera parte, qui eius nuptias prætendebat, insidiari ei allegaretur, nota, inquit Panormitanus *in eum locum. X. de ponsal. quod vbi est iuda. Vbi gandus animus puellæ, super contra h matrimony, debet Iudex ex officio pr. uidere, vt colloc etur in domo in qua nul. lum metum nullamque violentiam h. beat timere. ex quo*, inquit, *vterum infero, quod si timetur de violentia, & metu parentum, puta quia puella contraxit clam, parentibus insciis* (is casus noster est) *quod ad petitionem pos. si Iudex debet puellam surripere ut pe. testate parentum, & collocare eam in aliqua honesta domo; puta in monasterio monialium. vt in c. penult. X. de probat. vel apud honestos consanguineos puellæ. tametsi* c. cùm locum indistinctè loquatur; *in domo in qua nul.*

nihil ipsam timere oporteat. d. c penult. monasterium in quo securè valeat commorari. c. ex transmissa. X. de restitut. spoliat. alicui, inquit, *probæ & honestæ mulieri custodienda studiosius committatur, in loco*, inquit, *vbi vir vel parentes eius mulieri nullam possunt violentiam inferre*. In casu autem indagandi animi rationem assignat d. c. cùm *locum*, quòd cùm matrimonium cõsensu constet, plena debeat securitate gaudere: & is, cuius super illo est animus indagandus, *ne per timorem*, inquit, *dicat sibi placere, quod odit*.

12. Quanto tempore? Tempus autem sequestrationis dicit huiusmodi d. c. cum locum *donec causa terminata fuerit, & sententia sine contradictione cuiuspiam valeat executioni mandari*: & d. c. penult. *donec*, inquit, *iudiciali sententia quid agi debeat decernatur*: d. c. ex transmissa *vsq; ad causæ decisionẽ*, vt quamuis Intimata in priori instantia, vel ex officio vel aliàs fuerit in monasterio sequestrata, & deinde dimissa; à iudice appellationis iterum sequestrari possit reuiuiscente causa metus: præsertim in virgine; si pendente lite procos ad colloquium admittit: aut ad diuertendos affectus parentes eos conciliant. ne quid accidat quo minus postmodum in eadem causa sisti possit.

13. Vtin eadem causa sisti possit. *iuxta l. 11. D. si quis cautioni Ioan. Andr. post Hostien. in d. c. cum locum*. & vt vitentur pericula armorum inter sponsum & alios procos. vt nuper ad illa ventum inter sponsum & tutorem virginis. Qui armorũ timor in quocumque possessorio iustissima semper habita fuit sequestrationum causa. *l. Imperatores in fin. D. De appell.*

14. An accessus sponso ad sequestrandam dandus? Sed an liber haberi locus ita debeat, vt & sponso pateat ad colloquium accessus, sublato violentiæ periculo? & cum possessio sua nemini debeat interuerti, cessante causa, seu huiusmodi periculo; dicendum est ex edicto prætorio omnino sponsum de futuro, & magis de præsenti, si qua in possessione fuit, non temerè esse turbandum, sed ad colloquium admittendum cum moderamine: ne affectus sponsæ auertatur omnino; & vt coniux, qui fuit in plena possessione, ad plenam restituitur, *d. c. ex transmissa*; ita qui non peruenit ad copulam, sed colloquia dumtaxat, & tractatum quasi coniugalem, ad eundem restituitur, cessante vt suprà periculo. vt quæ de toto statuta sunt, de parte recipienda sunt. *l. quæ de tot. D. de rei vendicat.* ex æquitate edicti prætorij *vti possidetis, ita possideatis*: plenè possidetis, plenè possideatis: si semi plenè, ad eandem proportionem. &, cum eadem est ratio, quę in nuptiis statuta sunt, recipiuntur in sponsalibus. *L. Oratio. D. de sponsal.*

RESPONSVM II.

Summariè decidendas esse causas monachorum, & clericorum.

15. Ex iure. IN præcipiunt in monachis nouella 79. in clericis Nouell. 8. causarum summariarum omnes articuli sunt summarij. *Marant. in spec. part. 4. d. 9. n. 40. post Barth. in extraua. adreprim. verb. summariè.* & porrò regularium causas summarias esse liquet d. nouel. 79. *& c. olim 26. X. de accus. c. qualiter 24. in fin. eod. c. ea quæ. in verb. absque iudiciorum strepitu. X. de stat. monach. Card & DD. in c. dispendiosam de iudic. in Clemen.* sed & D. Augustinus in Regula, sub qua & hic de quo agitur ordo est, & secũdùm quem prælati regere debent, *lites*, inquit, *aut nullas habeatis, aut quam celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca, & animam faciat homicidam*. & quamuis non omnino de iudiciis ibi agat; obligat tamẽ Regula & in his, quatenus seruari potest, & causæ influunt. 2. Et regula S. Augustini.

In summariis autem Clemen-

tina *sapè de verb. signif.* vt Iudex *litis*, inquit, *contestationem non postulet, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breuiorem, exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, sententiam quoque proferat, etiam si ei videbitur, conclusione non facta.* summarius autem processus in summariis causis adeo est fauorabilis, vt quamuis cõmunis in illis ordo seruatus non irritet acta; *d. clem. sapè*: tamen, qui in omnibus causis iurauit seruare ordinem iudiciorum, in illis non seruare debeat. quia ille est summariarum causarum ordo, non seruare ordinem iudiciarium. ita decidit Innoc. III. *in c. ad nostram. 21 de iure-jurand.* in eoque maximè propterea obtinere debet c. pastoralis *X. de except.* vt omnes exceptiones simul proponantur. non illæ tamen, quæ impediunt litis ingressum cum aliis combinandæ sunt; sed seorsum *c. 1. de lit. contest. in 6.* nec tantùm ante litem contestatam: *l. nemo C. de iurisdict.* sed huiusmodi fori præscriptiones in principio litis esse opponendas legum decreuit authoritas. *l. vlt. C. de except.* atque ante omnes alias petitiones, aut exceptiones. vt si quis aliis vsus defensionibus hãc omisit, reuerti postea ad hanc non possit. *l. sed etsi suscepit. D. de iudic.* adeo quidem vt dubitatum fuerit an eo solo, quod quis libelli copiam petiisset, censeretur declinatoria excidisse, & in iudicem consensisse. *l. non videtur. D. de iudic.*

3. Vbi contestatio non requiritur aliaque.

4. Omnes exceptiones proponendæ.

5. Non tamen litis ingressum impedientes.

6. Et maximè recusatio.

Nihilominus in censuris infligendis non obtinet Ordinis iudiciarij neglectus. *c. 1. X. de excess. prælat. in verb. nec aliquem excommunicare sine ordine iudiciario præsumatis:* quæ autem de excommunicatione canones statuunt, *v. g. c. 3. s. 25. Conc. Trid.* intelliguntur etiam esse statuta in interdicto. *c. 1. de excommun. in 6.* vbi & immaturitas censuras infligentium pœnis subiicitur. ac denique, quo securior sit progressus, prælatus antequam ad interdictum profiliat, adhibere consilium sui Capituli debet. *c. 2. X. de his quæ fiunt à maior. part. Cap.* quod hic esse adhibitum non apparet. siquidem excommunicationis gladius sobriè & magna circumspectione exercendus est. *d. c. 3.* aut si illud, in vsu non esse dicitur, saltem præuia sit talis consultatio, qualem consuetudo in rebus omnino grauibus adhibet. nam veteres canones ad damnationem vel solius presbyteri synodum exigebant. *c. sexta ait. 15. q. 7.* in excommunicatione ferenda præsentiam duodecim sacerdotum. *c. debent. 11. q. 3. sub pœna nullitatis. c. Episcop. 15. q. 7.*

7. In censuris tamen non potest omitti iuris ordo.

De foro competenti.

RESPONSVM II.

Fori priuilegium laicis concessum communicatur clericis.

CLericos in fauorabilibus, & priuilegiis haberi pro ciuibus & incolis ab omnibus receptum est *c. constitutus X. de in integ. restit. c. dilecti. X. de for. compt. Martha de iurisdict. p. 4 c. 1 n. 27. & quos citat & nominatim Marc. decis. delph. 456.* quamuis enim immunes sint ab oneribus, & quoad actiones onerosas ad corpus curiæ dicũtur non spectare. *l. placet. C. de Episc. & cler.* huiusmodi tamen priuilegium in fauorẽ illorum inductum, non potest in illorum odium retorqueri, quominus gaudeant priuilegio incolis concesso. V. G. non potest Brabantus extra Brabantiam ciuili vel criminali ex causa in iudicium aut carcerem trahi; non poterit ergo etiam clericus in Brabantia degens. & huius rei plura & præclara sunt exempla, pariformiter cùm concessum sit tum ciuibus tùm incolis Antuerpiensibus, ne extra ciuitatem, seu marchionatum trahantur, idem pri-

priuilegium & clericis ibi degentibus competet. Originem autem videtur priuilegium habuisse inde quod marchionatus S. Imperij tam sit supremi iuris prouincia, quàm ipsa Brabantia: & quamuis sit iuncta nunc Brabantiæ, id tamen sit factum sine præiudicio iuris sui, aut priuilegiorũ. *vt diximus in Consult. canon. de constit. c. 1.* porrò iam pridem desierunt in vsu esse remissiones reorum, iure Romano admissæ cùm terminus idem erat vrbis & orbis; & sub eodem supremo capite omnes censerentur. neque priuilegio isti in præiudicium commune incolarum priuatus iuri suo renuntiare potest. *l. si conuenerit. D. De Iurisd. omn. Iud.* nec in gratiam alicuius iudicis diœcesanus clericum extrahi permittere. dum versatur ciuitatis. & totius ordinis clericalis præiudicium, & consequentia. & hoc maximè casu dicendum est debere locum esse d. leg. si conuenerit.

2. Et vbi ex citrate trahi non potest huiusmodi neque possunt clerici.

3. Nec potest priuilegio renunciare.

Decisum etiam est *in Concil. Trid. s. 24. c. 20.* vt nulli qualiumcumque facultatum vigore in prima instantia vllis causis Ecclesiasticis se possint immiscere, & citati à *Barbos. in Collect. DD. ad Concil. Trid. d. c. 20. n. 2.* asserunt non licere partibus sua conuentione publico isti iuri derogare, & in prima instantia alieno iudici se subiicere. quia & ipsi ordinarij causas in prima instantia cognoscere debent, neque possunt alijs extra terminos suos committere, aut partes inuitas dimittere, multo minus ipsi *iuxta d. c. 20.* iustitiæ ministerium denegare.

4. Præsertim in prima instantia.

Et clericus non tantùm in iudicem sæcularem, sed nequidem in alium Ecclesiasticum sine proprij Episcopi licentia consentire potest. canones id prohibentes abundè citantur *in Glossa in verb. pacto priuat. ad c. si dilig. X. de for. comp.*

5. Nec in alienum iudicem consentire.

Possunt quidem priuilegiati & exempti ratione contractus, delicti seu rei sitæ coram non suo iudice conueniri. *c. volentes. de priuil. in 6.* & *in d. cap. dilecti. X. de for. compet.* dicitur Anglos non obstante priuilegio Apostolico cùm certo loco respondere, vel soluere aduersariis promiserunt, illic & vbi domiciliũ habent valere conueniri. & Glos. 2. *in l. 1. D. si quis in ius voc. non ier.* quia ibi contraxisse intelliguntur. *l. contraxisse. D. de act. & obl.* sed quod attinet ad d. c. volentes aliaque iura, quæ quem subiiciunt iudici contractus, delicti, seu quasi, intelligẽda sunt sub clausula quam habet lex *hæres absens in princ. D. de iudic.* siquidem ibi inueniantur: & disertè statuit c. Romana *§. contrahentes de for. compet. in 6. c. postulasti X. eod. authentica quia in prouincia. C. vbi de crimine agit.* vnde quod statuitur de iis qui reipsa contraxerunt, est intelligendum de iis, qui eo loco soluere promiserunt, ibidemque tantùm contraxisse videntur: quare dum ibi non reperiuntur, conueniri ibi non possunt, *nec ordinarij domiciliorum prætextu priuilegiatos remittendi eos illuc*, inquit c. volentes, *vel ipsis vt illic respondeant iniungendi habent aliquam potestatem.* sed dumtaxat facultatem faciendi missionem in bona, quæ in suo territorio inueniunt. *d. §. contrahentes.* vt & Episcopi prehendendi prouentus beneficij in sua diœcesi sti, dum de contractu aut delicto non hic, sed iudex contractus, aut delicti cognoscere potest, si ibi inueniantur, nec in loco beneficij domicilium habeat. *d. c. postulasti.* vt hic captiuus extra locum capturæ domicilium non habet, nec in beneficio residentiam.

6. Solumtur contraria.

Sola ergo conuentio, qua aliis iudicibus se subiecit, quæri potest, an iuxta cap. dilecti deroget priuilegio Brabantiæ, & Marchionatus? & quidem d. c. dilecti loquitur non de citatione iudicis ordinarij, vt quem extra diœcesim suam agentem ad suum tribunal verbaliter aut realiter citare possit: cùm extra territorium ius dicenti impune non pareatur: sed in delegato A-

postolico: nondũ edito canone *20. ſ. 24. Trid.* vt in prima inſtantia coram ordinario omnes cauſæ agitari debeant. & in caſu d. c. dilecti præſupponit inueniri citandum in loco conuentionis, & adeſſe iuris communis clauſulam, *ſi ibidem inueniatur*: priuilegium autem bullæ Brabantinæ aureæ, ne quidem ſi alibi inueniatur, permittit ibidem conueniri, detineri, aut arreſtari: & priuilegium marchionatus ſeu immemorialis obſeruantia pariformiter generalius extractionem ad aliud tribunal prohibet fieri, quale non exhibebatur *in d. c. dilecti.* ſimplex illius conceſſio præſumebatur admittere clauſulas iuris, *ſi in loco contractus inueniretur*, & ſimiles, quæ adaptari non poſſunt huic negotio.

7. An Internuncij hîc authoritas ex conuentione ſeu aliàs ſtabiliri poſſit?

Sed neque conuentionalis renunciatio capacem facit Internuntium ad cognoſcẽdum, vel delegandum, obſtante *d. c. 20. ſ. 24. Trid.* quod nuncios, & alios quacumque facultate munitos excludit à prima inſtantia, & contrauenientes ad damni ſatisfactionem obligat, præter actorum nullitatem.

Præterquam quod edicto *20. maij 1497. quod refertur in volum. 1. edict. l. 1. rub. 8.* nemo ſe poſſit obligare in forma, ſeu ſub pœnis Cameræ. & notarij vetantur ſub pœna inobedientiæ ſcribere huiuſmodi contractus, quibus ſubditi à ſuo iudice abſtrahantur in prima inſtantia, adeoque nec contractus, vt ſubiiciantur Nunciis, eorumque ſubdelegatis.

Æquè abſurda eſt combinatio, cum iuriſdictione conuentionali, aſſumpta prætensè authoritas ex qualitate Internuntij ad ſupplendum defectum iudicis delegati, quod is non ſecundùm formam reſcripti, cuius fines diligenter ſint ſeruandi, proceſſerit: quia etiam prærequiſitis omnibus ſuppoſitis, & nominatim, vt conſtet de negligentia, vocatis vocandis, ſupplere tantùm poſſet id, in quo negligentia eſt facta, non extendere ſupplementum ad alia, non ipſe cauſam principalem auocare, cognoſcere, aut delegare. *tot. tit. de ſupplenda neglig. prælat.*

Quin & negligentia hîc non reperitur, quippe clauſula, *manente oratore in eodẽ carcere* ſupponit in eodem exiſtere: nullus Calepinus ſub ſignificatione verbi, manentis, ex conuentione dimiſſum explicuit redintegrandum.

Ratio autem clauſulæ ſumenda eſt ex iure, & ſanctione Clementis VIII. 16. Octob. 1600. quæ cauſas criminales, appellatione pendente, tractari iubet *ordinib 11. appellante manente in eodem, quo reperitur, carcere, donec iudex ad quem viſis actis, & cauſa cognita, aliter decreuerit*: ſed hic appellans nec reperiebatur in carcere, neque cauſa cognita eſt, vocatis partibus, & per conuentionalem abolitionem, & dimiſſionem facta erat quadantenus ciuilis, reſpectu intimati, qui cum appellante conuenerat ſuper eius dimiſſione, ſi modò abſtineret à defenſione aliorum contra intimatum litigantium: quibi nigris vocabulis decolorantur, & rebus ſic ſtãtibus, accipienda clauſula erat: nam mutatio de nouo emergens nouo indiget auxilio: & criminalis appellantis non eadem cauſa eſt, & illius, qui ob præſtitum miſerabilibus auxilium, repetitur ad carcerem, alioquin quoad omne crimen negandi patrocinij promiſſo dealbatus.

Sed neque Internuntius facultatem habet intromittendi ſe in cauſas, quæ alteri ſpecialiter ſunt delegatæ, niſi confirmando, non delegando irritando. *c. ſtuduiſti. de off. leg.* delegatus etiam quoſcumque ibi reſiſtentes per cenſuras poteſt coercere, ſeu iuriſdictionem ſuam defendere. *c. 7. de off. delegat.*

Verum quidem eſt quod Nuntij Belgici facultatẽ aliàs habuerint cognoſcendi appellationes à delegatis

10. Cum appellatur nitè delegat.

gatis Apostolicis: sed hæc facultas an Internuncio etiam sit data non docetur: quin & alioquin si competeret in strictis terminis accipienda est, vt non deroget iuri plus quam expressum sit: & sic citra appellationem intromittere se non possit: appellationes etiam recipi, aut delegationes fieri non possint illæ, quas prohibet Trid. *d. c. 20.* vel regula 37. Cancellariæ.

11. Non potest iudex facta supplere, eoque nec d. clausulam nemine petente.

Vt vt sit, non debuit delegatus parte non petente appellantem, ante ex conuentione dimissum, iubere ad carcerem redire: quia Iudex ius, non facta supplet. *tot. tit. C. vt quæ desunt aduocat.* si autem requisitus Iudex ab intimato, declarasset sub verbo *remanente* non significari dimissi nouam incarcerationem; nec appellantis sic dimissi parem esse causam; in remanente considerari causam ne quid appellatione pendente nouetur; per dimissi ex conuentione redintegrationem imò nouari, & sic mittendū non esse in carcerem; tunc colorem saltem appellans habuisset querēdi de formula rescripti non seruata: non verò quod illā clausulam conuentionalis dimissionis iudex ante non suppleuerit, & nemine petente dimissum redire non iusserit. poterat etiam dubitare an Intimatus ad iustas pauperis captiui expensas teneri vellet; aut quid aliud subnatum esset.

De feriis.

RESPONSVM I.

Quæ Festa hodie obligent ex præcepto? & quid circa illa, aliaque obseruandum?

1. Quid super ea re statuerit Vrban. VIII.

FRequenti Episcoporum interpellatione, quæ festa ex præcepto sint seruanda, scisitantium, & clamore pauperum de numero querentium, excitatus Vrbanus VIII. volens certum deinceps firmare præceptum, *Idib. Feb. 1642.* decreuit, & declarauit descriptos diplomate suo dies dumtaxat ex præcepto colendos esse; *quos nempè vel ab initio veneranda sacrauit antiquitas, vel vniuersalis Ecclesia probauit consuetudo, vel omnium gentium vnanimis pietas veneratur.* scilicet dominicos dies totius anni: iuxta *c. 1. de consec. dist. 3. c. 1. X. de fer.* festos autem 1. Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus seqq. feriis, S. Trinitatis, S. Corporis Christi, & Inuentionis Sanctæ Crucis. *iuxta d. c. 1. dist. 3. de consecrat. c. fin. X de fer.*

2. Festa Domini præcepta quæ?

Vbi est notandum; festum S. Trinitatis non ab omni antiquitate obtinuisse specialem diem, cùm quotidie ad illius laudem Ecclesia cantet *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*: vt rationem assignat Alexander III. *in c. 2. X. de fer.* Crucis etiam inuentæ festum præcepit Eusebius. *c. crucis. dist. 3. de consecrat:* Sanctissimi Corporis Domini demum Clemens V. *c. si domnium. de reliq. & ven. sanct. in clem.* quod Indulgentiis auxit Mart. V. *Bull. incip. Ineffab. Eugen. IV. Bul. inc. excellent.*

3. Quæ Virginis?

2. Deiparæ Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Natiuitatis festiuitates. Annunciationem omittit d. c. 1. *dist. 3. de consecrat.* festiuitates ait d. c. 1. Virginis gloriosæ. Visitationis festum præcepit celebrari Bonif. IX. Bull. I. Conceptionis ab Ecclesia toto orbe colebatur iam pridem.

4. Quæ Sanctorum?

3. Dedicationis sancti Michaëlis, Natalis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri & Pauli, reliquorumque duodecim Apostolorum, S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentij (quæ omnia dictis etiam locis referuntur) S. Siluestri quod itidem.

4. S. Iosephi, & S. Annæ: Deiparæ respectiuè sponsi, & genitricis. sed horum in d. locis non est mentio;

mentio. diploma Vrbani inducit.

5. Omnium Sanctorum: iuxta d. canones, & vnius ex principalioribus patronis in quocumque regno, seu prouincia; & alterius principalioris in quacumque ciuitate, oppido, vel pago, vbi hos patronos haberi, & venerari contigerit. quod itidem non habetur in d. locis; nisi sub ea generalitate festiuitatum, *quas singuli*, inquit d. c. 1. *dist. 3. de consecrat. Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauerint*: seu, vt d.c. fin. *Episcopi in suis diœcesibus cum clero & populo duxerint solemniter venerandas*: quarum vtiq; prima causa congruum est vt sit patronorum. Quæ clausula, *vbi hos venerari contigerit*, à contrario sensu infert, vbi iam ante venerari non contigit, non indici præceptum.

5. Alia non sunt ex præcepto seruanda.

6. Ad reliquorum verò dierum *obseruantiam nequaquam*, inquit Vrbanus, *ex præcepto teneri decernimus, & declaramus*: quos hactenus siue in vniuersa Ecclesia, seu in quauis natione, prouincia, diœcesi, aut loco quomocumque siue ex precepto, siue ex consuetudine, siue ex deuotione Christi fideles tanquam festiuos celebrarint. derogatque contrariis quibuscumque.

6. Ne Ordinarij noua festa indicant.

7. Ordinarios monet, vt, ad Ecclesiasticam vbique æqualitatem, de cætero perpetuis futuris temporibus, ab indictione nouorum festorum studeant abstinere. eoque moderatur, quod in dictis supra locis canones antiqui permiserant Episcopo, & retulerat Concilium Trid. *s. 25. de regul. c. 12. in verbis*; *dies etiam festi, quos in diœcesi sua seruandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus seruentur.*

7. Relaxatio non concedenda, nisi informa canonum.

8. Monet etiam Ordinarios, vt formam canonum seruent, in concedendis licentiis laborandi diebus festis: eæque non nisi gratis, liberè, & sine vllo prorsus pretio, aut pacto, directè vel indirectè concedantur. vt per hoc ferè cessetquod in Synodo *prima prouinciali Mechlinienſi de festis c. 2.* decretum fuit, vt Episcopis in illis festis, quæ minùs celebria sunt, ad populi commoditatem liceret aliquid pro sua discretione relaxare: vtpote cùm minùs celebria ferè iam per Vrbanum sint sublata.

Forma canonum *in c. licet. X. de fer.* necessitatem exigit. seu, vt *glossa & DD. ibidem.* pietatem: & maiores anni solemnitates excipit: & porrò vt de lucro Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congrua fiat portio.

Quoad vlteriorem monitionem Ordinariorum, rectius incommoda, quæ vitari voluit, declinantur, cùm per ordinationes Episcopales, quod pro cuiusque loci necessitate permittendum est, edicitur, quàm cùm ad preces, & casus singulares licentiæ conceduntur. quamquam & interdum necessariæ sint, cum non omnia lege comprehendi possint. Sed & Zerola *in prax. p. 1. v. festa. Quar. in sum. v. dies festi* retulerunt constitutiones Pontificum, & Cardinalium Conc. Trid. Interp. quæ super festorum celebratione editæ fuerunt. *tetigimus in in. Pont. nou. anal. de feriis.*

9. Non intendere se declarat Vrbanus dies feriatos circa iudiciales in aliquo immutare: sed in eodem statu relinquere. scilicet vt nec processus, nec sententia etiam partibus consentientibus talibus diebus lata valeat. *iuxta d. c. fin.*

10. Mandat omnibus Ordinariis, vt in diœcesibus suis hæc publicent, & ad vnguem obseruari faciant: vt, quantum per motum Pontificis sunt subleuati, numero festorum imminuto, tanto diligentiùs quæ supersunt venerentur; ad diuina officia attendentes, non ad otia, vanitates, & vitia abstantur. *iuxta c. irreligiosa. dist. 3. de consec.*

Quid de his dicendum ante publicationem prouincialem? vt dies, quorum obligatio ex præcepto est, non ab abro-

abrogata, post publicationem Romæ factam desierint obligare *secundum ea quæ diximus in consult. can. de cognat. spirit. cons. 1.* quoad alios nouiter inductos, vt non obligent ante publicationem in prouincia faciendam, præsertim vel ignorantes, vel Episcopis nondum publicantibus seu receptionem vrgentibus, etiam scientes. *secundùm ea quæ diximus ibid.* dum interim credi possunt iustam habere differendi causam, seu quod difficultates motas retulerint, supplicauerintque *iuxta c. si quando X. de rescript.* seu alias, vt referre visum est quibusdam Episcopis de festo S. Siluestri, quod hic nunquam à populo receptum fuit.

De ordine cognitionum.

RESPONSVM I.

De exemptione antè cognoscendum quàm de crimine inobedientiæ, & infractæ clausuræ.

1. Præiudiciales quæstiones prius cognoscendæ sunt.

EX vago rumore qui certò quid statuunt apud se, temerè iudicant. etsi multorum illud sit vitium. *Antequam scruteris, ne reprehendas, eccli. 11.* eiusmodi à multis præiudicium patiuntur regulares monasterij T. examinandæ sunt igitur quæstiones præiudiciales antè, quas mouent. *l. si crimen. 3. l. si restuas. 6. C de ord. cognit.* vbi si crimen infertur ei, qui se ingenuum dicit, antè liberalis causa suo ordine agi debet. quoniam necesse est antè sciri vtrùm in liberam, an in ancillam constitui oporteat iudicium. *ita d. l. 3.* ita & de statu procedit quæstio, ante crimen rerum amotarum. vt si pronuntiatio fiat pro libertate; tum demum damni dati, & rerum amotarum procedere possit, adhibita probatione, condemnatio: si verò secus; quæstio rerum amotarum euanescit. itaque antequam de inobedictia statuatur, cognitio status, seu exemptionis præmittenda est. quod si pro illa pronuntietur in totum vel in partem; quæstio inobedientiæ euanescit extoto, vel ex parte. idem dicendum de quæstione introitæ clausuræ; quantum ad licentiam superioris attinet. si quidem, si Confessor generalis prælatus est, adeoq; ad eum, vt alios superiores, spectat concessio facultatis ingrediendi; quoad licentiam euanescit quæstio. cum exemptis sufficiat superioris regularis licentia; nec requiratur recursus ad Papam; nec sufficiat ad Ordinarium. quoad causam ingressus verò, quæstio facti est: probatione ergo opus est. rursus quoad absolutiones, & sacramentorum administrationes; si exempti sint; si interdici non possint; si forma iuris, & ordo iudicij seruatus non est; si cõcidit interdictum; euanescunt illius effectus. non enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. *c. non præstat. de reg. iur. in 6.* vides quot incurrant præiudiciales quæstiones, quas excuti oporteat, antequã decidi queat, an crimina hæc, quæ insinuantur tacitè, an acta sint iure permittente? quamdiu autem hæc in pendenti sunt, *neminem exarbitrio suspicionis iudicare licet; sed ex lege Dei*, inquit Augustinus. *c. multi. 2. q. 1. secundum ordinem Ecclesiæ, siue vltro confessum, siue accusatum & conuictum.* inobedientiæ ergo, sacrilegia, clausurorum violationes hæc vocitentur: *si nominatio*, inquit, *sola sufficiat; multi dãnandi sunt innocentes: quia sæpè falso in quoquã crimina nominantur.* Rectè Greg. *c. si quid. 15. q. 7. si quid de quocumq; clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facile non credas: nec ad vindictam te res accendat incognita: sed præsentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est veritas perscrutanda: & tunc, si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat*

2. Eoqueptiùs de exemptione quã inobedientia.

3. Aut infractæ clausuræ.

4. Aliisue id genus.

feriat delinquentis. simile est c. Deus. 2.q.1. Vide quæ diximus suprà de maior. & obed. Resp. 1.§. 1.

RESPONSVM II.

Quæstionem professionis terminandam ante petitionem hæreditatis.

1. Cur hanc illa præcedat?

RECtè Honorius III. *in c.tuam. X.de ord.cognit.* Ludouico Regi Francorum scripsit, antequam natalium causa terminata esset, dependẽtem ex illa successionis causam incipere, nihil aliud esse; quàm diuersis processibus intricare negotium, & confusione quadam iudicij ordinem perturbare. idem satis traditur *in l 1.2.3.4. 5. C. de ord.cognit l.2.C. de ord. iudic.* & vt quæstio status præcedere debeat quæstionem hæreditatis: quippe quæ dependeat ex illa. vt hîc. & quamuis *ex l. 1.C de ord.iudic.* Iudex quæstionis hæreditatis, incidenter possit cognoscere de quæstione status, de qua non posset principaliter; non idem tamen est in causis spiritualibus, vt est matrimonij, & voti, seu diuortij carnalis, & spiritualis. (quorum æquiparationem multis iuris textibus probat, argumentumque ab vno ad aliud iure procedere Euerard. *in loc.legal. à matrimonio carnali ad spirituale. & in loc. à matrimonio spirituali ad carnale*) sed harum decisio ad iudicium Ecclesiæ pertinet. *can.12.s. 24. de sacr. matr. Concil. Trid.* Ideoque ea à Iudice sæculari est exspectanda. *d. c. tuam. c. lator. X. qui fil. sint legit.* & in Concordatis Brabantiæ cum Episcopo Leodiensi *1541. §. quoad fœdus matrimonij* cõuentum est; si quæstio fœderis matrimonialis (carnalis vtique vel spiritualis) inciderit coram Iudice sæculari; is debebit *supersedere*, inquiunt, *& hunc articulum tanquam spiritualem ad Iudicem Ecclesiasticum, per eum ante anni spatium determinandum remittere.* eius rei neglectus graues expẽsas sæpè litigatoribus parit. adeoque huiusmodi intricationum iniustarumque expensarum rationem haberi vult *c. fin. X. de rescript.*

2. A Iudice Ecclesiastico etiam incidentalis quæstio spiritualis cognoscenda, nõ à laico.

Sicut autem de principali causa spirituali Iudex sæcularis cognoscere non potest; ita neque de accessoria. cum accessorium sequatur naturam sui principalis *c. accessorium. de reg. iur. in 6.* & specialiter in iudiciariis. *c. si super. 9. X. de off. deleg. c. 5. ibid.* ideoque hic ad Iudicem sæcularem trahi non potest illa cognitio an vllatenus appellatum, an intra decendium, aut aliàs ritè appellatum sit. *c. Romana. §. 1. de appell. in 6.* an, qui id omisit, restitui possit aduersus fatalia; an sententia transierit in rem iudicatam; an nullitati subiecta sententia sit; an in causa matrimoniali sententia transeat in rem iudicatam; an perpetuo veritas demõstrari possit. *et c. lator. de sentent. & re iudic. c. consanguinei. c. tenor. eod. c. fraternitatis. X. de frig. & malefic.* an sine appellatione per officium iudicis, viam querelæ, nouæ actionis, seu recognitionis nouarum probationum, seu aliàs post tres etiam conformes sententias; seu rem quæ in alio causarum genere habetur pro iudicata, seu aliàs redintegrari causa possit. *de quibus Sanchez. de matr. l. 7. disp. tetigimus suprà de hù qua VI. n. 1.*

Et propterea optimè Concilium Brabantiæ pridem decidit non subiici hîc rescriptum cassationi, quatenus tantùm concernit causam appellationis; validitatis, vel invaliditatis professionũ; sed eam remisit coram suis iudicibus agitandam.

Neque attendit allegationem litis pendentiæ, & quod quædam allegarentur in Concilio, quæ eadem & coram iudice Ecclesiastico. quia non satis est quod inter eosdem personas quædam proponantur, aut allegentur; sed etiam ad eosdem fines dici debent; & vt me-

dia

dia ad eandem petitionem, siue conclusionem. *l. 11. 12. 13. D. de except. rei iud.* quæ verò identitas requiritur, vt competat exceptio rei iudicatæ; eadem requiritur, vt competat exceptio litispendentiæ. *Iason. in l nulli. n. 3. vers. sed adde aliam. C. de Iudic.*

4. Ne minimè ob accessorium tractationem huiusmodi cassationi locus esse possit.

Et quamuis hæc quæstio, an appellatum sit; facti sit; & sic tractari posse videatur in Concilio; tamen quod tractari ante ceperit coram Ecclesiastico; non tribuit materiam cassationis. quia cùm tributum est illi iudicium de re spirituali, etiam concessa est cognitio omnium ad illud necessariorum, per quæ veniendum est ad illud. *l. 2. D. de iurisdict. omn. Ind. c. quo iure. d. 8. l. oratio D. de sponsal. c. tua. de procur. c. translato. X. de constitut. c. accessorium de reg. iur. in 6. & quæ ibi tradunt DD. etiam in iudiciariis.*

Idque speciatim decisum est in materia appellationis *in c. romana. §. 1. & 2. de appellat. in 6. c. præterea de off. deleg. c. prudentiam in fin. eod. in verb. eandem iurisdictionem quam in principali, in accessorio exercebunt; c. 1. eod. l. cum principalis. D. de reg. iur. in 6. c. dilectis X. de appellat. verb. non solum principale negotium, sed accessorium etiam ad nostrum referebatur examen. c. solicitudinem. §. nos. X. eod.*

5. Neque causæ continentia diuidi possit.

Nec tantùm ea obtinent ob communem causæ continentiam; quæ diuidi non debeat: *per l. nulli. C. de iudic.* connexitatis, & coniunctionis: *de qua amplè Menoch. in arbitr. q. 45. & cas. 95.* vt quæ conueniunt principali, conueniant etiam connexo; *per Scribentes quos copiosè citat, & præsertim ad clem. dispendiosam. de iudic. & nuncupatim Sabarell. ibid. q. 36.* vt qui Iudex est in principali, sit etiam in connexo, coniuncto, & dependenti.

Neq. quæstio sub vel obreptionis ad alium iudicē trahi.

Similiter quæstio sub vel obreptionis etiam iure claro decisa est spectare ad Iudicem, cui directum est rescriptum, quod illius vitij arguitur. *c. super. X. de rescript. in verb. delegatus postquam sibi super hoc facta fuerit fides: & 3. partibus ad suam præsentiam conuocatis de precum qualitate cognoscat. c. 1. Vt lit. non contest. in 6.*

6. Nec cassationi causam dare. quæ hic nō eo fine olim inuenta.

Vt frustra rescriptum in Concilio, & in ordine ad obtinendam cassationem, de subreptione oppugnetur. cùm & clausulam habeat cognoscendi, restituendi &c. *prout fuerit iuris*; nec quidquam prætenditur aduersus iurisdictionem Principis mediatam vel immediatam, illiusque iura regia, aut patriæ priuilegia: quibus dumtaxat tuendis vsus immemorialis hîc cassationes inuenit: & quæstio subreptionis coram Ecclesiastico tantùm excutitur, vt videat an sua sit iurisdictio. quod omni Iudici æstimandum defert lex si quis. 5. *D. de iudic.* sed maximè quando huiusmodi connexa sunt talia, vt vnum necessariò sit antecedens, alterum consequens; vnum ex altero descendat, atque dependeat; vnum sit alterius finis atque perfectio; aut sine alio stare non possit. *Menoch. d. q. 45. & cas. 95. n. 5. 6. 7. 8. 15. 16.*

7. Nec quæstio dietarum, nec quomodo computandæ illæ.

Qua in re etiam decisum est *in c. statutum de rescript. in 6. §. cum autem actor.* quod vbi partes sunt diuersarum diœcesium, Iudex non sit impetrandus in diœcesi rei; item quod computatio dietarum facienda sit non à loco domicilij sed à fine diœcesis. prout item stylus est hodie notorius, quod in omnibus rescriptis ponatur clausula derogatoria constitutionis Bonifacij VIII. de vna; & Concilij generalis de duabus dietis; dummodo non vltra tres quis in ius trahatur. derogandi potestatem Pontifici competere, nemo dubitare potest: &

8. Nec dum priuilegiis patriis aduersatur.

priuilegia hîc nulla aduersantur.

causæ etiam matrimoniales per immemorialem curiæ stylum exemptæ sunt à d. c. statutum : vt

9. Nec in matrimonialibus causis.

testatur *Ioannes Andreæ ibid.* ideo quia non solent committi nisi Episcopis ; adeoque extra diœcesim cum Ordinarius semel pronuntiauit. & super eadem consuetudine multa iura citat. & porrò Concilium Trident. *s. 24. c. 20. §. ad hæc* causas matrimoniales Ordinariorum iudiciis terminandas decernit. etsi propriè loquatur de prima instantia.

10. Nec migratio.

Nec migratio Appellatæ turbare potuit iudicia benè inchoata. *c. gratum, c. relatum. X. de off. Deleg. Clemen. 2. vt lite pend.*

Nec coram Ordinario redintegrari causa debet, tanquam sit noua instantia ; cum semel coram illo præcessit prima cognitio. quia Concil. Trident. *s. 24. c. 20.* primam tantùm instantiam, non quamcumque nouam coram illo institui iubet, & quoties appellatur nouaturque Iudex, noua instantia est.

11. Nec interiectæ appellationis negatio.

An autem appellatum sit, cognoscere debet Iudex cui directum est rescriptum: hic instructiue sufficit confessio appellatæ in instrumento transactionis facta. neque simplicitas, quæ allegatur, potest contrariam præsumptionem facere, quia veritatis est amica simplicitas. *c. 14. X. de iureiur.* dum illam iuuat, quod dicitur *in d. c. Romana. in fin. princip.* vt Iudices superiores non tantùm citare, sed nec aliis committere causam appellationis possint, nisi constet ad eos prouocatum esse: & quidem causam etiam probabilem esse expressam, si ante definitiuam appellatum sit.

12. Quæ delegationes præcedere debet:

Idemque decretum per reg. 37. cancell. Romanæ ; vt non aliter admittantur appellationes; & per Sanctionem Clementis VIII. 16. Oct. 1600. quam refert Quarant. in sum. Bullar. in verb. Archiepiscopi authoritas.

Cùm ergo sit iuris præsumptio generalis, quod actus ille præsumatur præcessisse, qui de iure præcedere debet : *vt pulchrè Menoch. præsumpt. lib. 6. præs. 7. vbi n. 8. huc etiam pertinet*, inquit, *quod respondit Paris. in consil. 106. n. 17. lib. 4. cùm dixit in iudicio præsumi præcessisse appellationem à sententia, dein. de secutam esse causæ commissionem. idemque respondit Ripa in d. c. 5. n. 2. præs. 95. n. 6.* sequitur hìc præsumendum Romæ constitisse de appellatione, antequam datum sit rescriptum.

Sed neque hæc quæstio facti an appellatum sit, decisoria hic est quæstionis spiritualis, vt illa ex integro cesset. manet enim quæstio commissæ restitutionis in integrum, quatenus iuris, aduersus fatalia, etiam interponendæ appellationis, seu probandi interpositam fuisse, & quæcumque prætiudicialia.

Manet imploratio officij Iudicis: *iuxta c. oblatæ. X. de appellat. cum superior quoque Iudex potest, & debet ipse neutro prosequente appellationem, occurrere, vt periculum euitetur. &c. c. 3. X. de clandest. desponsat.*

Manet via simplicis querelæ & nullitatis, cùm Ordinarius solus pronunciauit super nullitate professionis in ordine exempto, cùm Concilium *Trident. s. 25. c. 19. de regul.* in huiusmodi nullitatibus decidendis exigat etiam interuentum superioris regularis *coram superiore suo*, inquit Trident. *& ordinario.* adeoque subsit hic nullitas insanabilis. defectus vtique iurisdictionis. quam nec tollit const. Clement. VIII. incipit. litium, & duobus coniunctim delegatis vnus separatim procedens nihil agit. *c. prudentiam. X. de off. deleg.*

Adeoque *vt Barbosa in Collect. DD.*

ad d.c.n.23. referat *ex Riccio* decisum, si solus superior pronunciauerit, sententiam irritam esse; absolutumque ad monasterium reuocandum; & à pari argumentantur, cum Concilium vtrumque æquè expostulet, eandem nullitatem æquè subfuturam, si solus pronunciauerit Ordinarius; saltem in ordine exempto. quamquam enim in non exemptis Ordinarius pleniorem habere iurisdictionem videatur; tum ex iure communi; tum Tridentino; *arg. s.24.c.20.§.adhæc.* vbi causæ matrimoniales (spirituales, vt carnales) reseruantur Ordinariis; tamen Trid. *d.c.19.* vtrumque coniungit, ordinarium & superiorem suum, inquit; id est regularem: & fortè exempti Ordinis significat. nam non exempti suus est superior etiam Ordinarius; nisi superior intelligendus sit ipsius monasterij, non religionis: vt post Sell. decisum ait Barbos. *in coll. DD. ad Conc. Trid. ad d.c.10.n.23.* tum enim diuersus semper erit siue Ordo sit exemptus siue non. sed exemptorum, præsertim monialium, prouinciales ferè solent hic interuenire. & verò in exemptis Ordinarius non itidem potest solus procedere, tanquam in quos non habeat iurisdictionem: nisi d.c.9. delegatam. nam quemadmodum per nouitiatum quis eximitur à iurisdictione sæculari, censetur de familia religiosa, gaudet ordinis priuilegiis; *Diana & quoscitat p.1.tr.2. r.38.p.3.c.1.r.33.34.* sic consequenter etiam per nouitiatum, ac maximè professionem, quamuis aliquo ex capite irritam, in religione exempta factam eximitur quis à iurisdictione ordinaria Ecclesiastica. etsi iustè tamen Tridentinum etiam Ordinarium interuenire voluit. quod in ea quæstione status disputetur de libertate, aut vinculo matrimonij spiritualis. vetus libertas respicit Ordinarium: vinculum voti superiorem Ordinis: competenter ergo vtrumque coniunxit Concilium, & in re tam seria vtriusque simul iuncti industriam, circumspectionem, & prudentiam requisiuit in eo decreto. quod vbi, vt sonat, obseruandum fuit. si quis antea habitum sponte deposuerit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittitur, sed ad monasterium redire cogitur. *d.c.19.* quæ an in hac exempti monasterij quæstione non obtineant, definiri non potest per hanc quæstionem facti, an appellatum sit.

19. Cum in defectione nullitatis defectus hic sufficit iurisdictionis.

20. Pronunciare solo ordinario in exempto.

Sed hæc omnia discutienda erunt coram Iudice Ecclesiastico. eoque magis quod rescriptum, de quo controuertitur, impetratum fuerit, causaque instituta dum appellata adhuc esset in viuis; obtineretque imprimis adhuc ratio periculi de quo d. c. oblatæ. *d.c.3.X. de clandest. desponſ.* atque in decisione negotiorum, causarum & litium semper spectanda sint rerum primordia. *l. si donatæ.§. sponsus. D. de donat. inter vir. & vxor. l. si filius. D. de lib. & posth. Tuscus V. principium uttendi debet. conc.703.*

21. Primordia institutæ actionis considerādum.

Vt non tantùm ratio non sit cassationis hîc alicuius, aut causam coram Iudice sæculari trahendi; sed & inutiliter coram eo tractaretur quæstio facti, an appellatum sit; cùm ea decisionem causæ spirituali principali non adferat.

22. Vt non tantum absit omnis causa cassionis, sed neque laicæ cognitionis causa esse possit.

De exceptionibus.

RESPONSVM I.

De recusatione Iudicis.

1. Recusationis causa non est reiicere appellationes vbi ius ita decreuit, aut aliàs rescripti formam seruare.

NOn ideo potest quis recusari, quod formam rescripti seruauerit. *c. nouit.43 §. de suspicionis. X. de appellat.* quia & fines mandati

ei seruandi sunt: nec subterfugere potest illud, nisi grauissimè arguendus *c.21.§.adjici.de off de le g.c. sciscitatus.X.de rescript.* coque nec recusari quis potest, quod in causa, in qua ius vetat appellationes, aut inhibitiones curari illas neglexerit; canonibus obediuerit magis; vt maiorum mandatis *c. dilect. X. de temp. Ordin. c. qui resistit. 11. q. 3.* alioquin frustra condantur canones, si obseruare illos iusta fuerit causa recusationis: si mandati rescriptiue fines diligenter obseruare; si Concilij Trid. à merè interlocutoria vetantis appellationem admitti, decreta sequi in culpam trahi possit; aut ad probationem affectatæ causæ. æquius omnio censuit Innocentius III. *in d.c.nouit.43.X.de appell.* Iudicem etiam meritò suspectum, tamen recusari non potuisse, dum formulâ literarum seruat. *de suspicionis autem obiectis*, inquit, *licet meritò eum tibi suspectum credamus, non tamen, etsi fuisset, propter appellationem interpositam ab eo, desistere debuisset, ad quod non proprio motu, sed nostro potius præcepto processit.*

2. An qui in vna causa quem condemnauit, ideo in alia recusari possit?

Quod verò allegatur c. ad hæc. *6.& c proposuit.X.de appellat.* quod qui in vna causa appellauit, in alia possit eundem Iudicem vitare, tanquam suspectum: valde rigidè est exaudiendum: ob legem *vnic. D. apud eum à quo appellatur, alia in causa agere compellendum. nec vtetur*, inquit Vlpianus, *hoc prætextu, quasi apud offensum Iudicem non debeat experiri; cum denuò possit prouocare.* vt grauia debeant elucere indicia animi inimici, antequam à regula d. l. vnic. recedatur. dicitur quidem naturale esse inimicorum Iudicium velle refugere. *c. quod suspecti. 3. q. 5.* at Viuianus *in Rational. ad d.c. 6.* suspicionem ait fundari, non super grauamine; sed inimico Iudicis animo: *per c. cum super. de off. deleg.* appellationem autem super grauamine. *c. suggestum. eod.* vt quamuis grauamen aliàs illatum non tollat in alia causa iurisdictionem; *d. c. 6. d. l. vn.* etsi ingerat aliquam præsumptionem: *c. scribam. de præsump.* non tamen vt mox qui grauauit in vnâ, in alia censeatur grauasse. *c. pastor. X. de appell. l. Papin. D. de minorib.* vt cum sale intelligendus sit Francus, & Imola *in d. c. 6. & alij*; quod sola appellatio in alia lite sufficiat pro causa recusationis: & satius dixerit Ioan. Andreæ causam grauaminis coram arbitris probandam, ad effectum remotionis: sed indicia animi inimici alia insuper, & grauia apparere oportere. tunc enim ratio d. l. vnic. quod possit denuo prouocare, non ita est efficax: cum vehemens tum sit imposterum grauandi præsumptio. & satius sit imminentem ictum auertere; quàm post vulnus medelam adferre. *l fin. C. in quib. caus. iuntg. rest.*

Et verò hæc ita omnia; cùm in diuersis causis illatum grauamen allegatur: cæterùm cùm in eadem causâ, id est ex interlocutoriis sententiis grauamen obtenditur, non idem nunc obtinet, obstante c. 20. *s. 24. Conc. Trid.* at hic grauamen non aliud allegatum fuit; quàm circa gesta aut decreta in hac causa attentatorum: quæ summariissima est; & sententia attentatorum reuocatoria merè interlocutoria. *vt demonstrabimus 3. de appell. r. 2. 3.*

Detulit nihilominus delegatis recusationi, ne vel vmbram ordinati processus præberet exceptione, quamuis friuola, neglecta. *iuxta c. de petit. X. de accusat. hour est homini, qui separat se à contentionibus. prouerb. 20.* quamuis & in litis principio id proponi debuisset. *c. inter. X. de re Iud.* & remisit non ad arbitros; sed, vt oportuit *c. sicut a de off. deleg. in 6.* ad coniudices. dimissamque semel iurisdictionem noluit resumere. *iuxta c. fgnif. de off. deleg.* vt, quamuis locus foret; opus non fuerit arbitris, super cognitione causæ. *Molina de Iust. & Iur. tom.*

tom. 5 trac. 5. de iurisd. disput. 23. n. 8. facit gl. in c. 1. de except. verb. sine confess. ad exēplum illius qui appellationi defert, etiam iniustæ. *c. cum appellat. de appell. in 6.* quæ omnia magis arguunt delegatum causam non affectasse retinere; quam iure obstrictus fuerit suscipere: *d. §. adiici.* & formam sequi rescripti: *ibidem in fin.* & attentata imprimis & ante omnia reuocare, & non obstante appellatione, aut inhibitione in integrum restituere. *c. non solùm. de appell. in 6.*

De Iureiurando.

RESPONSVM I.

Rectè reo impositum iuramentum aduersus quem non probatum satis, sed aliqua præsumptio est.

1. Actore non probante quandoreus non simpliciter absolu. sed iureiurando onerari possit

APpellatum est à Iudice, qui reo iusiurandum imposuit, negat actricem semiplenè, aut satis probasse; vt ille huiusmodi onere grauari posset: quin potius censendum sit illa non probante, se fuisse absoluendum. *l. qui accusare. C. de eden. c. vlt. §. sanè. X. de iureiurand.* sicut ex aduerso, dum actor plenè probauit, si iurare insuper cogatur, grauari censetur. adeò vt consuetudo contraria sit reprobata. *c. 2. X. de probat.* eamque ob causam non immeritò disputari à DD. an, quando actor nihil probauit, deferre reo iuramentum possit, & ille iurare teneatur, aut referre? & quamquam cōmuniùs id obtinuit, ob legem *tutor. D. de iureiurand. omnibus*, inquit, *probationibus aliis deficientibus iusiurandum deferens audiendus est. l. vlt. C. de fideicommiss. l. generaliter. C. de reb. credit.* vbi in litis principio, cum nihil probatum esse potest, deferri potest iuramentum. quoniam *manifestæ turpitudinis sit, nolle iurare, vel iuramentum referre*; nihilominus iudicem eodem loco non esse, qui reum cùm probatum nihil est, debeat absoluere: cùm plenè; condemnare: cùm semiplenè actori deferre; si persona sit legalis, & aliàs requisita concurrant.

Enimuero *maximum*, inquit Caius, *in l. 1. D. de iureiurand. remedium expediendarum litium in vsum venit iurisiurādi religio.* idemque *in l. 31. solent*, inquit, *sapè Iudices in dubiis causis exacto iuramento iudicare.* & lex *3. C. eod. existente inopia*, inquit, *probationum, per iudicem iureiurando causâ cognita res decidi oportet.* & d. lex generaliter *C. eod.* tam in Iudice, quam in parte loquitur. & d. c. 2. *X. de probat.* illud suffragium admittit, *cùm aliæ*, inquit, *legitimæ probationes desunt.* Sed illud in quæstionem vocatum est, cui, & quando, deferēdum sit iuramentum? quàm tractant gloss. *in d. l. 3. & DD. in d. locis, & Busius in Commentar. ad Pandect. ad d. l. 31.* vbi etiam refutat Donelli & Duareni opinionem: qui causas tum demum dubias intelligunt, cùm pares vtrimque sunt probationes: & ob imperfectam probationem iuramentum negant deferri. sed claro iure decisum est ob inopiam probationum deferri iuramentum: idque citatæ leges euincunt: atque non in parte tantùm; sed & in Iudice exprimunt: quem etiam cognita causa id facere dicit d. l. 3. exacto iuramento solere; d. l. 31. remedium expediendarum litium; d. l. 1. (expedit autem Iudex) & clarissimis terminis d. l. generaliter.

Sed super omnia eminet d. §. sanè. vbi postquam dictum, si actor omnino nihil præstiterit, reum absoluendum esse; *præsumptione verò*, inquit, *faciente pro illo, reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam iuramentum.* eamque præ-

2. Cum aliqua præsumptione grauatur.

sumptionem arbitrariam facit Menoch. *l.* 1. *præsumpt. q.* 77. *n.* 15. & manifestè idem §. sanè. *in verb. nisi Iudex*, inquit, *inspectis personarum, & causæ circumstantiis, illud actori videat deferendum.*

Cæterùm ex iis, quæ latè in actis deducta sunt, satis patet nos esse in casu d. versiculi *præsumptione verò*, atque ita rectè Iudicem reo iuramentum imposuisse. eoq; eius sententiam, cum iuramenti delatio iusta sit, esse confirmandam. *d. l. generaliter. §. sed iuramento. vers. ipse autem.*

3. An si nolit tunc præstare, actori deferri possit?

Rectè etiam, si Reus iuramentum non præstiterit, actrici detulit. quippe manifesta ea turpitudo cuget actricis probationem. cùm enim fortis accedit præsumptio semiplenæ probationi, deferri potest iuramentum in hac materia. *Panorm. in c. mulier. X. de iureiur.* quin etsi, quemadmodum qui parte aut Iudice non deferente iurat, sibi dumtaxat iurat; *l.* 3. *D de Iureiur.* ita suspectus videri solet, qui sponte iurare offert: eo argumento quo testis suspectus est, qui non coactus, sed sponte ad testimonium prosilit: *Auth. rogati. C. de testib.* tamen ad effectum probationum imploratio tantùm iudicis illa oblatio iurisiurandi videtur: qui despiciat *iuxta d. §. sanè.* personarum & causarum circumstantias.

4. An offerens iuramẽtum ideo reiiciendus sit?

Quæ adeo Bartholo, aliisque quibusdam necessaria est visa, vt negarint parti non petenti à Iudice deferendum esse iuramentum. *vid. Bus. vbi sup n.* 14. quod inter litigantes mercenarium sit illius officium: quod impendere non debeat non requisitus. sed verius est, & Panormitano & Butrio probatum, etiam non requisitum deferre posse, ac debere. *per ea quæ supra diximus ex d. l.* 1. *d l.* 31. *D. de iureiur. l.* 3. *l general. C. eod. c vlt. X. eod.*

Idque eo magis dicendum est, quod sæpè partes præ fiducia nimia suarum probationum, dum eas credunt in altiori gradu esse, quàm sint; delationem iuramenti petere negligant; nec ob id tamen æquum sit, suo illas iure frustrari.

Ideoque Iudex, à quo hic est prouocatum iuramentum, etiam nemine petente rectè reo detulit cùm actrix promissiones nec plenè, nec semiplenè satis probauerat: sed ita tamen, vt pro illa surgeret præsumptio aliqua, iuxta illa quæ diximus, quæ tamen non ascenderet ad gradum semiplenæ probationis, vt ipsi actrici non posset deferri; sed reum in suspicionem vocaret: ad quam eluendam rectè Iudex à quo *iuxta d. §. sane.* reo iniunxit iuramentum.

Cùm porro in 2. instantia actrix propugnet sententiam illius Iudicis, eo ipso satis etiam nunc censenda est ad huiusmodi delationem faciendam, confirmandamue officium Iudicis imploraſſe, vt nihil obstare possit, quo minus ea sententia à Iudice appellationis approbetur præsertim cum Iudex mollius reum tractauerit, grauando actricem, in casum reculationis rei iuramenti iniunctione. poterat enim simpliciter recusantem habere pro conuicto, & damnare definitiuè.

De Testibus.

RESPONSVM I.

Singulares an fidem faciant?

IN ore duorum aut trium testium lex sacra iussit stare omne verbum. *c. in omni. de testib.* & licet quædam *sint causæ, quæ plures quàm duos exigant testes, nulla est tamen causa quæ vnius testimonio, quamuis legitimo, terminetur.* ita Alexander III. *in c. licet vniuersis. X. de test sancimus*, inquit Constantinus *in l. 8. C. de testib. vnius testimonium nemo iudicum in quamcumque causa facile patiatur admitti.* & nunc inquit; *manifestè sancimus vt vnius omnino testis responsio non audiatur*

Nō dubi-
tandum
ex mente
Innocen-
tij

tur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat. & notandum quod testem etiam præclarum nec audiri quidem lex velit. sicut & Concilium *Trid. s. 13. c. 7.* aduersus Episcopum testes nisi conteſtes in causa criminali recipi non permittit, proindeque vulgò dicitur testes singulares non probare. quia *vt Bald. ad d. l. 8. vox vnius, vox nullius.*

Sed illud in varias ampliationes & limitationes distractum est. vastum pelagus vocat Farinacius *in oppoſit. contra teſtes quæſtione 64.* quam extendit ad numeros 323.

2. Plures singulares ad eundem finem tendentes an probent?

Is ergo *ibid. n. 146. & seqq.* à regula excipit, si testes ad eũdem finem tendunt. *per. l. qui sententiam. C. de pœn.* quæ neminem capitali aut seuera pœna condemnari permittit, nisi sua confessione, aut certè *omnium*, inquit, *qui tormentis vel interrogationibus fuerint dediti in vnum conspirante concordanteq. rei finem conuictus sit, & sic in obtecto flagitio deprehensus, vt vix etiam ipse ea quæ commiserit negare sufficiat.* sed magis ea lex agit de seruis per tormenta examinatis; vt nulli discordent. agit etiam diserte de adulteriis, & homicidiis, & maleficiis: vt illud prius, quod multis visum est, non obscuris testimoniis censeatur probatum, præsertim ad effectum criminalem.

3. Saltem in genere.

Idem *n. 150.* admittit testes singulares, cùm agitur de probanda re aliqua in genere. quamquam & enumeret interpretes, qui non admittant. & *n. 156.* non admittit ipse in criminalibus. ac rursum *n. 225.* vt quidem probent adulterium, aut stuprum in genere; non tamen aliquod certum. quamuis & alios rigidiores citet; verius quidem asserit probari quidem adulterium certum, si duo testes idem asserant; si autem de diuersis hic de hesterno, ille de hodierno testentur, non probari. & *n. 229.* probari si agatur ciuiliter ad priuationem dotis; non autem criminaliter ad punitionem adulterij. vbi ex Simanca *n. 232* subiungit somnium & chimeram esse dicere, quod ad effectum puniendi, testes singulares probent adulterium vel stuprum in genere.

Ideoque non admitteret ille quod tradit Faber *in Codice suo. l. 6. t. 2. de furt. def. 5.* vt singularibus testibus furtum in genere probatum habeatur, ad effectum, vt Sempronius tanquam fur condemnari debeat ad pœnam: non tamen ad rerum restitutionem: quòd hæc probationem in specie exigat; illi in genere sufficiant. sed verò cum pœna furti de iure sit nec manifesti dupli, manifesti quadrupli; quid duplabitur aut quadruplabitur, si simplum hac in specie probatum negetur? vt omittamus grauiorem esse causam in genere criminaliter puniri; quàm in specie condemnari ad huius vel illius rei restitutionem.

4. Ad condemnationem in genere an faciant?

Video tamen communiter, à practicis præsertim, recipi, vt, quando probationes imperfectæ tendunt ad eundem finem, coniungantur; si vtraque media in suo genere sint plena; id est fama v. g. probata per plures testes; aut in materia carnis oscula, amplexus, tactus, quæsita solitudo &c. non autem si diuersi actus singuli per vnicum dumtaxat. *Mynsingerus cent. 2. obs. 100. & obs 20. cent. 3. obs. 76.* quia vt hic dicit ex Baldo Mynsingerus tantum probant mille testes singulares, quàm vnus. tametsi rectiùs Couar. *var. l. 3. c. 3. n. 4.* testium singularium multitudinem pluris æstimet. vt cum aliis coniecturis ad probationem proficiat.

5. Ad coniungendas imperfectas probationes:

Et *n. 5.* testes singulares ait sufficere ad declarandum aliquem manifestum vsurarium; quamuis non ad iudicium, & sententiam de singulari actu ferendam. ibidemque legem Regiam in vsurarũ materia fidem singularibus testibus tribuẽtem ita explicat; vt ex ea non permittat, nisi concurrant alia argu-

6. Ad pœnam non singulorum actuum sed generaliter moderatam pro æquitate iudicantis:

menta, & adminicula, quem damnari: &, si plures actus interueniſſe ſic probentur, plenam ſingulorum pœnam, v.g. pecuniam fiſco addicendam infligi non admittat, ſed pro moderatione æqua iudicantis.

Denique Farinacius *vbi ſup. n. 314.* quamuis non plenam fidem ſingularibus teſtibus tribuat; tamen mutuam adminiculationem, magnum indicium, vehementemque præſumptionem tribuit. Mynſingerus etiam *locis vbi ſupra, & Menoch. de arbitrar. l. 2. caſu 99. in fin.* ad arbitrium Iudicis refert, quantum ex qualitate perſonæ ſit fidei tribuendum: dummodo non temerè contra regulam *d. legis. 8. C. de teſtib.* quid fiat.

7. Ad adminiculationem probationum:

Sed id nuncupatim ex Farinacio *vbi ſup. n. 315. poſt Ruinum* expendendum eſt, quod ex iſta præſumptione atque indicio ſuppleatur inhabilitas teſtium aliorum.

8. Ad habilitandum teſtes inhabiles:

Quæ omnia ſi applicentur cauſæ noſtræ ciuiliter inſtitutæ, ad diuortium & priuationem dotis; ponderandum eſt, quod 1. ſunt duo teſtes hoſpes, & vxor, pagi de V. quod B. & rea in eodem cubiculo ſimul pernoctauerint, vbi vnicus lectus erat pro rea & B. ſtratus, & duo puluinaria tanquam pro coniugibus, oſtium ſub noctem clauſum, manè ad pulſum reæ recluſum: quando B. adhuc nudus iacuit in lecto; rea ſemiueſtita ſtetit; & tertia teſtis, quæ B. adhuc decumbentem inuenit: ſatis cenſeri debet ex hoſpitum teſtimoniis ad effectum ciuilem probatum eſſe adulterium. ſed quia ſunt illi viles, nec in hoſpitando ſatis probè, & prouidè ſunt verſati; dicendum eſt eorum habilitatem ſuppleri ex plurium aliorum teſtium aſſertione: præſertim illius tertiæ, quam mox diximus, & ex multitudine teſtium ſingularium, qui aiunt ſe ream & B. in eodem lecto aliàs vidiſſe pernoctantes, quin & cum K. cui accedit N. teſtis maſculus, qui ream ait cum K. in ipſo actu deprehendiſſe, ſibique mox poſtea K. adulterium tunc peractum faſſum fuiſſe. neq; ſingulares ſunt qui vnum actum inchoatũ, & alij conſequentiam viderunt. *Nellus à S. Geminian. tit. de teſtib. n. 187. Salicet. in L. teſtium C. de teſtib. Immol. in L. ſi pater de Vulgar.*

9. Ad effectum ciuilis cauſæ diuortij, dotis:

Accedunt confeſſio etiam alterius, qui iudicialiter citatus, copiam ſuam cum rea teſtatus eſt, quamuis enim de ſe confeſſo aduerſus alterum non creditur omnino; tamen indicium cum aliis facit. *Menoch. de arbitr. c. 474. n. 25. 26. 40.* alius denique teſtatur ſui inuiti attactum illius impudicum: quod corrupti animi, & adulterandi intentionis indicium facit. *Menoch. præſ. l. 6. p. 3. n. 9. ibid. n. 11. l. 5. p. 41.* denique quod ipſe B. diurno & nocturno tempore clauem domeſticam habuerit, qua ſibi portam aperiret ædium reæ, plurium omnino teſtium, etiam integrorum, dictis eſt affirmatum. clauium traditio rerum illis clauſarum traditionem ſignificat. *§. item ſi qui mercES. inſt. de rer. diuiſ.* accedunt & nocturnæ etiam ædium reæ frequentationes. vt Baldus ſcholarium frequentationem meretricis probationem facit *in l. neque natales. C. de probat.* & deambulationes cum illis ſuſpectis ad loca ſuſpecta: *Menoch. præſ. l. 6. p. 3. n. 8. Cravetta conſ. 29. n. 24.* vnde hîc ſecutum arreſtum, & inquiſitio Iudicis loci, & cum eo compoſitio. *intelligitur conferri crimen, qui paciſcitur,* inquit L. §. D. *De his qui not. infam. l. tranſigere. & qua ibi not. C. de tranſact. Menoch. de præſ. 5. p. 41. n. 17.* ſed cùm hîc intimetur ad redimendam vexam, id quidem confeſſionem tollit: ſed indicium non penitus aufert. his enim aliiſq; concurrentibus adulteria probantur. *Menoch. de præſumpt. l. 5. p. 41.*

Faciunt, inquam hæc 1. vt diuortium decerni poſſit, & infligi dotis priuatio, eaque marito adiudici. *Menoch. ibid. n. 31. 14.*

2. Vt

13. Et in foro Ecclesiasti co ad pœnitentiam salutarem.

2. Vt in causa, non quidem capitali, sed quæ in curia Ecclesiastica instituta est, cuius finis est emendatio magis; quam ipsa dilicti vindicatio; condemnari possit: non ad ordinariam adulterij pœnam; sed salutarem; quamuis pecuniariam, similemue. *Vide Menoch. & citatos d. p. 41. n. 15.*

14. An & ad grauiores?

3. An ad talem quæ grauiorem irroget infamiam? & quidem ex testibus, quamuis aliàs idoneis, de diuersis actibus singulatim testantibus existimaui aliàs non posse religiosum incarcerari dum de actibus singuli diuersis deponerent, in eo ordine, vbi ob materiam carnis quamuis impudicorum dumtaxat tactuum incarcerari iubentur ad 80. dies, fiuntque eo ipso incapaces omnium postea dignitatum Ordinis: quod hæc pœna infamiam secum adferat non tantùm; sed & illam incapacitatem, & ærumnas carceris; quæ ferè morti comparantur. Sed cùm in hac causa vnus adulter iactus duobus contestibus probetur, credendum est etiam pœnas pecuniâ grauiores in curiis Ecclesiasticis solitas posse infligi.

De sententia, & re iudicata.

RESPONSVM I.

Regula & priuilegia ordinis S. Saluatoris in quibusdam Regulares subiiciunt Ordinario; in quibusdam eximunt: quod si ergo Ordinarius pleno iure velit visitare, ordinare, exequi; & Regulares quasi plena exemptione illum excludere:

1. Cuiq; suum tribuatur.

REsponsum Christi quadrarit vtrisque: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* & illud Apostoli: *cui tributũ, tributum; cui honorem honorem*: vt neque debitum negetur; neque plus debito petatur. odiosa est pluris petitio, & diuersis pœnis à iure cõercita. vt *tot. tit. C. & X. de plus petit*: odiosa, inquam, adeo, vt etiam officium fisci complectatur: vt si indebito tempore ab illo actiones sunt propositæ, quamuis iustæ, concrementur. *l. iustus C. de iur. fisci. l. 10.* odiosa non minus vsurpatio est iurisdictionis, vsurpanti non competentis; & iure prohibita. adeo vt quidquid à non competenti Iudice decretum fuerit, nullius sit momenti. *tot. tit. C. si à non compet. Iud.* & extra territorium, seu supra iurisdictionem ius dicenti impunè non pareatur. *l. fin. D. de iurisdict. om. Iud.* & sic in iure optimè coniunguntur prælatio, & subiectio respectiua. *tit. de maior. & obed.* vt subditi sint subiecti præpositis, sed quique suis: quique suis dumtaxat imperent. cæterum quoniam *vtile per inutile non vitiatur*; vbi plura capitula combinantur, quæ diuidi possint, in quorum altero Ordinarius iurisdictionem potest exercere, in altero non æquè, iustius, æquius est; vt regulares visitationem, ordinationemque admittant, quæ illi competat: de cæterosuper exemptione reuerenter excipiant. quia tot videntur esse sententiæ, quot capitula. *Felin. in c. cum Ioan. X. de fid. instrum. sic in c. cum tempore. X. de arbit.* vbi plura erant laudi capitula, *arbitrium*, inquit Pontifex, *decernimus obseruandum: illis dumtaxat capitulis exceptis, quæ contra libertatem ipsius monasterij sunt expressa.* & *in c. inter cetera. 22. q. 4.* diuiditur iuramentum concubinæ factum, de illa in vxorem ducenda; & matre, aut fratre non alendo: pars prior seruari iubetur; altera non: *in c. dilect. X. de maior. & obed.* iuramentum ab Episcopo factum Metropolitano diuiditur: vt seruandum sit quoad debitam iure obedientiam; quoad vlterius promissam

2. Neque plus petatur.

3. Diuidenda capitula.

4. Vt nec abbatissæ promissio obstet.

sam, reiiciatur. etiam propter interesse Ecclesię, & Capituli. vt non satis etiam sit, si prælatus, aut prælata in consecratione aliquid iuret; sed exigitur, vt id iustum sit; neque contineat Ecclesiæ, seu conuentus sui, seu tertij præiudicium. idque iterum deciditur in iuramẽto ab Abbate Episcopo pręstito *in c. cum dilect. de relig. dom. in 6. Vide etiam c. dilectus x. de præbend. c. Rainut. de testam. c. nisi de præb. & in d. c. cũ tempore.* ratio subiungitur hæc; cùm *& si sponte volueris, de iure tamen nequiueris, sine licentia Romani Pontificis renuntiare priuilegiis, vel indultis.*

5. Plus exequens & minus debito offerens expensis mulctandi.

& propterea rectè pragmatici aiunt; si is à quo plus debito petitur, & quantum saltem debet, non offerat; ex vsu forensi condemnandum in quantum debet non tantùm; sed & in expensas litis. cum alioquin c. vnic. *X. de plus petit.* in expensas plus petentem semper condemnet: & vt ante illarum solutionem quibusdam casibus exinde conuenire debitorem non possit.

Enimuerò si Ordinarius plura capitula complexus, tam quæ suæ sint iurisdictionis, quàm quæ non sint; tam quæ rectè & ritè ordinarit; quàm quę perperam; si diuidua sit executio; non obedire tantùm quoad partes debitas tenentur regulares: sed & quoad illa capitula executio iusta videri potest. quamquam negent iterum pragmatici plus debito exequentem excusari à nullitate, & expẽsis; sicut plus petentem dumtaxat: quod iniuria illa verbalis multo sit minor reali executione. vbi porrò indiuidua sit executio, omnino nulla erit. *l. 1. §. item quæritur. verb. ego Ofilio assentior non posse diuidi; quia non potest ita in parte vis fieri, vt non in tota aqua fiat.* sic sententia delegati assumpto non delegato tota vitiatur: *c. super Abbatia. x. de off. deleg.* electio clericorum admixto laico: *c. Messana 56. x. de elect.* actus legitimi adiectione diei, vel conditionis: *c. actus de reg. iur. in 6. & quæ multa citat glos. in c. vile per inutile de reg iur. 6.* & de executione vide Marant. *in specul. p. 6 ar. 3. post omnia aduerte circa execut. n. 20. & seqq. & alios passim.*

6. An executio iusta in capitulis diuiduis?

An autem indiuidua sit executio, & sic ex toto nulla; cum Iudex per censuras procedit, excommunicat, suspendit, interdicit regulares; nisi in omnibus punctis ordinationes suas recipiant; iusta simul & iniusta capitula complectentes; suæ simul iurisdictionis, & alienæ; & quædam decernere & exequi; quædam decernere ipse, non exequi nisi per ipsos regulares, potest; an, inquam, indiuidua sit hæc executio, & ex toto nulla? vt indiuiduam volunt esse emptionem plures simul res, sed sub vno pretio comprehendentem citati *apud Tuscum pract. conc. v. Indiuiduum. conc. 101. 102.* an diuidua, & ex parte; subtilioris est indaginis. *vide Tuscum & citatos vbi supra. & v. Sententia quando pro parte valere possit. conc. 165.* & in terminis sententiæ latissimè *Salgado de protect. reg. p. 2. c. 7. vbi n. 44.* dicit, quod hæc quæstio ex difficilioribus est, quæ in iure potest reperiri. idque probat tractatus subtilissimus de diuiduis & indiuiduis Moderni Parisiens. certum quidem est nullam esse executionem qua parte Iudex suæ potestatis limites egreditur. & Clemens VIII. quidem *const. incumbentium* omnes nullitates sustulit, illis exceptis, quæ ex defectu iurisdictionis, citationis, aut mandati orirentur. vnde videri potest in quibus casibus hic competit iurisdictio, non esse nullitatem attendendam: sed vbi defectu dumtaxat. Igitur irritum est interdictum qua parte ea puncta complectitur, quæ suæ non sunt iurisdictionis. & quia vno complexu omnia puncta iubet recipi; vnum in factum mandatum & pœna constituit; facta autem indiuidua censentur; *Panorm. in d. c. Rainut.* vix erit vt interdictum in totum non dicatur irri-

irritum in rigore. quamuis timoratæ conſcientiæ fuerit obedire in punctis, in quibus iuriſdictione non carebat Ordinarius. cùm & piarum mētium ſit timere culpam, vbi culpa non eſt: & ſemper tribuere honorem, cui quomodocumque debeatur honor.

De Appellationibus.

RESPONSVM I.

Ordinarius quædam in regulares ſtatuit, & executus eſt, quæ à iure permittuntur non obſtante appellatione, & exemptione; quædam non ſic permittuntur: quodnam erit officium ſuperioris in huiuſmodi contentione?

1. Cuiq; ſuum tribuēdum.

SVpponamus executionem diuiduam decreti diuerſa capitula continentis: iuriſdictionem in regulares hinc in ſolidum aſſeri, inde ex parte negari: officium erit etiam Iudicis, ad quem cauſa ex prouocatione delata ſit, diſtinguere, & cuique ſuum tribuere, vt leges & canones preſcripſerunt. *c. Rainutius. c. Rainaldus. X. de teſtam.* regula eſt, *vt lite pendente nihil innouetur*: atque adeo, dum diſceptatur ſuper exemptione, par regula eſt; vt eadem lite ſeu *appellatione pendente nihil innouetur*. ſecundū diſtinctiones tamen c. cum perſonæ *de priu. in 6. in fin.* atq; adeo dum litigatur de decretis, ordinationibus, & ſtatutis, à quibus appellatum eſt. ſic enim *in c. dilectus. X. de rel. dom.* vbi Epiſcopi Abbatem ſuſpendētis, ſeu monaſterium interdicentis, ſententiæ nullæ declarantur: ſi vel ante appellatū fuerat, vel monaſteriū probaretur exemptum; etiamſi Abbas obedientiam repromiſiſſet: deſuper non tantùm monaſterium, ſed & abbatem promittentem abſoluendo. multi ſunt tamē caſus vbi nec exemptio, nec appellatio executionē remoretur. iure ergo diſtinxerit Iudex in quibus attentatorum reuocandorum regula; in quibus exceptio erit admittenda. multa ſunt in hanc rem iuris loca. *c. ad præſentiam. c. conſtitutus. c. ſignificauit cum pluribus aliis de appell. c. ſignific. de noui oper. nunciat. c. venientes. de iureiur. c. 1. vt lite pendent. in 6. c. exhibita de Iudic.* & omnium inſtar ſit c. non ſolùm *de appell in 6.*

2. Capitula diſtinguendo.

Igitur attentata poſt appellationem irritat, ſeu irrita declarat ante omnia Iudex appellationis, ex cōmuni regula. vbi porrò leges aut canones appellari vetant, ſed executionem indulgēt, non obſtante appellatione, non ante omnia irritat; ſed demū per definitiuam; per exceptionē à regula. ſub exceptione ſunt, quæ ad diſciplinam regularē, vtiq; ex viſitatione, atque ad clauſuram pertinent: atq; alia paſſim ex veteribus canonibus, Conc. Trid. & Gregorij XV. conſtitutione *inſcrutabili.* vbi ille Pontifex non obſtāte exemptione Ordinariis tribuit iuriſdictionem in caſibus ibi expreſſis, etiam antè non conceſſis.

3. Quæ appellationem, quæ executionem permittant.

Non addit autem Gregorius XV. an remota appellatione de aliis ibi expreſſis ſtatuere, & exequi poſſint: relinquit ergo id iuri cōmuni: ex materia igitur id ſumendum, & procedēdi forma, materia: vt quoad cōfeſſorum approbationes, & prædicationes decreta non obſtāte appellatione procedant. *Trid. ſ. 5. c. 2. ſ. 24. c. 4.* correctiones exceſſuum aduerſus regulam. *c. 3. X. de app. c. irrefragabili. X. de off. ord.* ex forma; vt ſi viſitando notarint delicta, circa alia in d. Gregoriana expreſſa, non obſtante appellatione exequantur. illud enim eſt priuilegium viſitationis, & correctionis morum. *Conc. Trid. ſ. 13. c. 13. c. 1. ſ. 22. c. 1. ſ. 24. c. 10. ſ. 14. c. 4.* ſi compilato proceſſu ſeu extra viſitationem, & de non notoriis cognoſcatur; nō idem obtinet. *Sanctio pragmatica Clementis VIII. an. 1600 art. 9 relata apud Quarantam in ſumma verb. Archiepiſcopi. authoritas.*

RES-

RESPONSVM II.

An sententia reuocatoria attentatorum appellatione, aut inhibitione suspendatur?

1. Non suspenditur.

NOn dari ab ea appellationem latè docet citatis numerosè authoribus Salgado *de reg.protect.p. 2.c.12.* vbi *mox in princip.* affirmat à sententia lata pro reuocatione attentatorum *appellationi minimè*, inquit *deferendum fore, nec vim facere, si appellationi emissæ à sententia lata pro reuocatione attentatorum non detulerit.* cùm à iure non cogatur deferre. imò sententiam suam *absque metu*, inquit, *& reatu attentati possit ad effectiuam & actualem executionem trahere.* & sanè tum leges in attentatorum reuocatione iis verbis vtuntur, quæ non tantùm pronuntiandi, sed magis exequendi sensum præse ferunt. *c. non solum. in verb. nullatenus inquietes, in eum statum reducas*: & c. *significauit. X. eod. verb. reuocato in irritum. c. significant. X. de nou. oper. nunciat. c. venientes X. de iur. iurand. in verb. restituatis. c. 1. vt lite pend. in 6. verb. attentata ipso iure non subsistant & exhibita. X. de iudic.*

2. Ratio anti. qui iuris:

Et ratio legum canonumque suffragatur. quòd is qui illis contemptis lite & appellatione pendente vetâtibus quidpiam innouari; innouat tamen; & si Iudex sit, tamen contra præscripta iuris quid exequens, vim facere, ac spolium committere intelligatur. *c. conquerent. X. de restitut. spoliat.* spolians autem audiri non debeat, quamdiu spoliatus re ipsa non est restitutus. *c. fin. X. de ord. cognit. c. 2. de restitu. spol.* comparant etiam passim Doctores eũ, cui audientia denegatur, cum eo, cui appellare non liceat: quos citat Salgado *vbi sup. n. 6.* vt cui illa denegatur, appellatio non fit permissa. & propter hanc rationem d.c. non solum à regula reuocatoria attentatorum ante omnia excipit causas, in quibus iura permittunt fieri executionem, non obstante appellatione. quia is Iudicem ad quem contemnere non censetur, aut iniuriam facere, qui iure suo vtitur: neq; attentare, aut attentatorum pœnam mereri, quia quod iure permittente fit, culpa & pœna caret.

Excipit secundò d.c. non solùm, vt non *ante omnia*, sed sub certo modo & forma reuocari debeant attentata post appellationem ab interlocutoria tãtùm. quod non vbique satis obseruarunt, qui appellationem à reuocatoria attentatorum concedunt. quos non satis pedem figere dicit Salgado, sed trepidos, & timidos fluctuare.

3. Hæc minùs controuerti possunt: cùm

Porrò post Concilium Triden-

illud iam appellari vetet, nisi à definitiua, seu illius vim habente, aut per illam irreparabili. *c. 24. 22.* reuocatoria autem attentatorum, non definit negotium aut causam principalem; nec illius vim habet, vel per definitiuam irreparabilis est: sed momentanea tantùm est, ad cõpescendum Iudicis ad quem, cõtemptum interim, dum de causa principali cognoscetur; cuius definitio redintegrationem, aut stabilimentum eius, quod iuri congruet, factura est. sicut spoliatus ante omnia restituitur; quamuis postea aduersus illum pronuntietur pro iure aut dominio spoliatis: cui res denuò per definitiuam restituitur. & propterea dari à reuocatoria attentatorum non debet appellatio. cùm prohibita sit illa ab interlocutoria. quod argumentum etiam Salgado *n. 16.* vrget, & consequenter quod in iuris locis nullibi mentio fit appellationis, cùm de attentatis reuocandis agitur. quibus plura consequenter ad sex vlque causas connectit. inter quales primam hanc *n. 6.* quod expresse decisum sit, quod à sententia demolitionis noui operis attentati

4. Horum etiam iure ju ationis

non

non admittitur appellatio. *l. 1. §. sed. D. de nou. oper. nuntiat.* quod & iure canonico decisum est in ecclesia etiam demolienda, ob odium attentati. *c. 1. 2. 3. 4. X. de nou. oper. nuntiat.* quia melior est obedientia quàm victima: adeoque vel ecclesiæ ad victimam ædificatio. addit denique Salgado *n. 25.* probari etiam prohibitam appellationem à reuocatoria attentatorum ex specialissimis priuilegijs aduersus attentata, & pœnis attentantium. eaque in re etiam Couuar. *pract. quæst. c. 23. n. 4. hæc reuocatio*, inquit, *attentatorum fieri debet, etiamsi appellanti obijciatur notorius defectus iuris in principali causa. etiam in causa quæ super ecclesiastico beneficio tractatur. textus optimus in c. si constiterit. de accus. vbi plura citat.* & facit etiam d.c non solũ *in verb. licet causa non fuerit vera.*

4. Hinc enim cauſſæ iurisdictionis.

Litigatur hîc de reuocandis attentatis, eoque magis impediendis in futurim. queruntur qui attentarunt, eorum appellationem & Iudicis ad quem inhibitionem, suas vires non hîc inuenire: meminisse debebant edicti, quod quisque iuris in alterum statuit, vt ipse eodem iure vtatur. *quod summam habet, siue iusta cuiuscumque indignatione, æquitatem. quis enim aspernabitur idem ius sibi dici, quod ipse alijs dixit, vel dici effecit? aut quis iustissimam illam, & à natura profectam talionis legem deprecari iustè potest? ita Cicero in ep. 1. ad Q. fratrem. c. 1. d. 1. c. dilect. X. de maiorit. & obedien. in verb. cum non deceat alij te feciſſe, quod ab alio fieri tibi nolles.* adeoque *in c. constitutus. 23. X. de appel.* non auditur, qui queritur appellationi suæ non esse delatum, *si ipse*, inquit, *appellationi prius factæ non detulit.* vt quamuis permissum hîc esset appellare; tamen, quia ipsi attentantes iam appellationi non detulerunt, queri iure vel audiri non possent.

Porro omisso illius edicti iure (quod quam maximè conceptum est in eos, qui magistratum gesserunt, & nouo iure sunt vsi; adeoq; prælatos ius dicentes imprimis complectitur) quoniam hic agitur de attentatis, ex iuris & rescripti formula *in primis & ante omnia* reuocandis, eaque sub distinctione d. c. non solum reuocata sunt; iura hîc locum negant appellationi. præsertim cum d. sententiæ adiecta sit clausula *sine præiudicio causæ principalis.* vt tam ex formula verborum, quam naturâ sui interlocutoria sit; vim definitiuæ non habens; sed semper reparabilis. obtineatque adeo hic decretum Concilij *Trid. s. 24. c. 20.* vetantis ne appellationes per superiores quoscumque recipiantur; neue eorum *concessio* inquit, *aut inhibitio fiat, nisi à definitiua, vel à definitiuæ vim habente, & cuius grauamen à definitiva repararì nequeat.* ita Concilium. & Sanctio pragmatica Clementis VIII. *relata à Quaranta in summa v. Archiep. author. A. Riccio prax. appell. d. c. 504.* vetat appellationes vnquam recipi, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius constet talem esse sententiam, à qua Concilium permittat appellari. & *ar. 6.* in casibus permissis, *inhibitiones*, inquit, *post appellationem, sic vt præmittitur receptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti definitivi; aut vim definitiuæ habentis, vel damnum per definitiuam irreparabile continentis. alias inhibitiones aut processus, & in de secuta quæcumque sint ipso iure nulla, eisque impune non parere liceat.*

5. Clausula non præiudicij decretum expressius reparabile facit, ut app. nõ suspendatur secundùm, Concil. Trid.

6. Et sanctionem Clem. VIII.

Rectè ergo hîc, & ex permissu apostolico, & œcumenici Concilij appellationi non est delatum; inhibitioni non paritũ. resistente etiã regula 37. Cancellariæ; cũ clausula irritante delegationes secus factas.

7. Reg. 37. Canc.

Eòque magis, quod delegatio inhibentis processit à Sede Apostolica: Legati autem, magisq; Inter-Nuntij, officio generali per rescriptum speciale derogatum censetur. *c studuisti. X. de off. legat.* & delegatus, alijs maior, vices Apostolicas gerens, *c. super. X. de off. deleg.*

8. Quam Nuntij & Inter-Nuntij obseruare & Trid. tenentur.

vt aliter delegandi facultatẽ prætendens exhibere debeat diploma. *c. cum in iure. X. de off. deleg. l. vnic. C. de mand. princip.* & licet aliqui Nuntij habuerint facultatẽ delegandi; etiam cùm appellatum esset à delegato Apostolico (quod quidam Romæ consulti huic negant fuisse concessum Internuntio) nunquam tamen aduersus d. regulam 37. Cancellariæ, aut Concilij Trid. decreta. sed imò semper mandatis inserta fuit prohibitio derogandi vllatenus Concilio Trid. eoque, sine mandato speciali, nihil hic Inter-Nuntius secus potuit facere. *d. c. studuisti.* &, si mandata non seruet, supra iurisdictionem ius dicenti impunè non paretur. *l. fin. D. de iurisdic. om. Iud.* atque posset delegatus à Sede Apostolica, etiam per censuras iurisdictionem suam, aduersus resistentes tueri. *c. significasti. X. de off. deleg.* etiam potestates, quæ minis, ac terroribus conquerentes silere compellunt. *c. 1. X. eod.*

9. neque Concil. Trid. possent derogare.

RESPONSVM III.

An Iudex non obstante appellatione & inhibitione progredi possit, qui pronunciauit super reuocatione attentatorum: an superior causam principalem penes se retinere; saltem allegata nullitate?

1. Hodie vt causa ad superiores non deuoluatur per appellationem ab interlocutoria, vt est reuocatoria attentatorum.

NOn deuoluitur hodie negotium principale, si ab aliquo articulo per definitiuam reparabili appelletur. quia ea hodie recipi appellatio vetatur. *Trid. s. 24. c. 20.* non ergo obstat c. dilectus. 55. *X. de appell.* eatenus correctum, iudici ad vlteriora procedenti, cum pronunciauit super reuocatione attentatorum. præterquam quod ibi totius causæ iurisdictio controuertebatur, eamque secum trahebat appellatio; vt negotium principale cum accessorijs ad Pontificẽ omnino fuerit deuolutum.

Imò *in c. vt debitus. 59. X. de appel.* remanere debet causa principalis apud Iudicem, qui tulit interlocutoriam, nisi hæc reuocetur. atqui hodie per Conc. Trid. *s. 24. c. 20.* à mera interlocutoria appellare non licet. igitur non ante definitiuam ab eo potest principalis cognitio auferri. vt hodie perperam allegetur c. non solum. *de appell. in. 6.* quod appellationibus & inhibitionibus deferendum sit; *c. si à iudice. de app. in 6.* quod per appellationem ab aliqua Iudicis interlocutoria sit eius suspensa iurisdictio; aliaque id genus iuris loca, vtpote correcta: nisi interlocutoria vim habeat definitiuæ, aut grauamen contineat per definitiuam irreparabile. *d. c. 20. s. 24. Trid.* Neque in contrarium facit, quod ab interlocutoria appellari possit, quando deprehenditur nullitas, & excessus Iudicis à quo; etiam post Concilium *Trid. Barbos. in remiss. ad Conc. Trid. s. 24. c. 10.* etiam in causis aliàs priuilegiatis, & natura sua inappellabilibus. vt quando, iustificata coram superiore appellatione ex actis authenticis, inhibitio fuerit concessa; vt eo casu sit obtemperandum: sed Barbosa nec his verbis vtitur, nec ea generalitate. sed tantùm in casu c. 10. s. 24. vbi de visitatione, & correctione morum agitur; & visa sunt acta, & processus legitimè ad superius tribunal delatus; adeoque ibi compilato processu iudiciali, non per modum ordinarium visitationis actũ fuerat in casu Barbosæ. quem sepius est responsum non gaudere priuilegio visitationis. verba sunt hęc; *Doctores statim citandi dicunt quod procedit* (vers. nec in his vbi de visitatione &c. d. c. 10.) *quando Iudex superior non iustificata appellatione, nec visis actis processus, inferiori inhibere contendit: sed si*

sed si postquam appellatio iustificata fuerat ex processu iam ad tribunal appellationis delato inhibitio concessa fuerit, erit obtemperanda : nec poterit inferior Iudex ad executionem suæ sententiæ procedere. aliter siquidem superiorum Iudicum authoritas & potestas non vulgarem iacturam pateretur, daretur q. causa inferioribus Iudicibus, vt pro libitu iudicarent, & auxilium appellationis multis causis nihil proficeret, aliaque incommoda multa sequerentur, quæ à mente S. Concilij aliena sunt.

3. Concilium Trid. generaliter loquitur.

Sed neque sic loquitur Concilium *d. c.* 10. sed imò excludit expressè, vniuersaliterque appellationem : in verbis *nec vlla inhibitio.* & quod secus augurantur aliqui de mente Concilij ; non ad illos, sed ad S. Sedem, seu S Congregationem Conc. Trid. Interp. Pius IV. per bullam confirmatoriam d. Concilij voluit pertinere. Clemens ergo VIII. *in pragmat. sanctione relata apud Quarant. in sum. v. Archiep. auctor. & A. Ricc. in prax. appell. dec.* 504. mentem Concilij ita explicat ; *In causis visitationis aut correctionis morum, quoad effectum deuolutiuum tantum, admittantur appellationes : nisi de grauamine per definitiuam irreparabili agatur : vel cum visitator citata parte, & adhibita causæ cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit ; etiam quoad effectum suspensiuum.* vide quàm longè hæc absint ab illa doctrina, quam genuinæ aliqui supponere conantur. & causa nimis generaliter assumpta, si foret admittenda ; omnino euerteret verba, rationem, ac mentem Concilij. *in d. c.* 10. *&* 20. *s.* 24. quam rursus explicat alius articulus eiusdem sanctionis his verbis, *inhibitiones post appellationem, sicut præmittitur receptam, non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti definitiui, aut vim definitiui habentis, vel damnum per definitiuam irreparabile continentis : aliàs* (nota) *inhibitiones & processus, & inde secuta quæcumque sint ipso iure nulla ; eisque* (iterum nota) *impune non parere liceat.* hæc mens Concilij est ; hæc sanctionis : hęc permittit quidquid fecit delegatus, non deferendo appellationi à merè interlocutoria sententia, nec inhibitioni parendo, quamuis geminatæ. neque enim iteratio rei iure prohibitæ vires submministrat. quod si Internuntio delegare non licuit, nec inhibere ; vtique nec ab eo delegatus delegatione vti ; vel inhibere potuit. *c. dilectus. ver. tum quia. de temp. ord.* adeoque irrita sunt omnia tam ab eo delegato, quam delegante acta : vt ne appellandi quidem necessitas victis aduersus eas sententias imponatur. *ita l. vnic. C. qui pro iurisdictione Iudices dare, dariue possint.* & consonat l. 1. & 2. *C. de apparit præfect. ann. lib.* 12. quia à potestate delegantis regulari debet potestas delegati, & executoris. *glos. in c. Iudex de off. delegati in 6. verb. proponatur. c. nemo plus iuris. de reg. iur. in 6.*

4. Explicatius sanctio Clem. VIII. & inhibitiones & processus irritat, & impune nõ parere permittit.

5. Vt ne appellare quidem oporteat.

His conformis est altera ratio, quod sententia reuocatoria attentatorum insertam habeat expressam hanc clausulam ; *sine præiudicio causæ principalis attentata reuocamus* &c. Nec verò ea est facto suo contraria, quod nimium sit grauamen, & nulla sit maior iniustitia, quàm nullitas ; & mandati excessus præstet iustissimam causam appellandi ; sed iniquissimum est hoc argumentum. quia ex eo damnare oporteret summæ iniustitiæ Clementis VIII. constitutionem *incip. litium*, quæ tollit omnes nullitates, quantumuis maximè exactis elucentes : excepto dumtaxat citationis, mandati, & iurisdictionis defectu. Contrarietas autem clausulæ seu protestatio facto suo contraria dici nequit, aut grauamen continere ; nisi eodem crimine obstringamus ius ipsum, quod passim de attentatis ante omnia reuocandis disponit : & singulatim c.

6. Reuocatoria attentatorum magis hic fit merè interlocutoria per insertam clausulam non præiudicij.

cum *causa X. de off. deleg. in verb. restitui faciatis ; audientes postmodum quidquid fuerit quæstionis.* explicat ergo hæc protestatio intactum ius partium permanere ; quamuis attentata in statum pristinum esse reponenda declaret. Cbinam hîc irreparabile quippiam per definitiuam ; stante illa clausula sententiæ interprete, concipere quispiam potest? vt decreto Concilij Trid. *s. 24. c. 20.* & sanctioni pragmaticæ Clementis VIII. locus queat denegari? alioquin abrogamus omnes leges, & canones de restitutione spoliatorum, & interdictis latos; ac omnia denique iudicia possessoria.

Conformiter rursus iis, quæ *proximo Resp.* dicta sunt, negatur Jnternuntios habere potestatem derogandi decretis Concilij Trid. delegandi, atque inhibendi contra *c. 20. s. 24. d. pragmaticam sanctionem Clementis VIII. aut reg. 37. Cancel. Roman.* Quod enim quidam d. Regulam aiunt extra Curiam Romanam non seruari ; quasi testibus Alphonso glossatore, & Chokier ad d. reg. Jd faciunt perperam. Chokier enim contrarium dicit: Alphonsus autem scripsit ante Concilium Trid. quamquam & Legati & Nuntij iure Curiæ Romanæ vti debeant; non æquè curiæ aliæ archiepiscopales, metropolitanæ, aut patriarchales. vbi Tridentinum eorum stylo non aduersaretur. Chokier autem *ad verba Alphonsi extra Curiam* ita habet; *hodie ex dispositione Concily Trid. s. 24. c. 20. in recipienda appellatione ab interlocutoria ius ciuile nunc, vt diximus, sequendum est.*

7. An Sanctio & Reg. 37. Cancell. Rom. super delegationibus extra Rom. Curiam obtineat?

Aiunt rursus Concilium Trid. locum non habere in decretis ipso iure nullis ; sed iniustis dumtaxat. nouum sanè glossema. sed vbi admissum à S. Congregatione Concilij Jnterpretum? vbi illud indistinctè loquitur, & nulla lex aut ratio permittit distinguere. in iniustitia concilium, inquiunt, & clementina vetant quidem appellationes admitti, delegationes aut inhibitiones fieri, nisi à definitiua, decreto vim definitiuæ habente, aut à grauamine per definitiuam irreparabili ; iubentque non obstantibus quibuscumque ad vlteriora procedere ; sed agunt de decretis, vt dictum est, iniustis ; non de nullis. Verùm id cùm admittent S. Concilij Interpretes, nos ponè seque- mur. interim inhærebimus verbis indistinctis Concilij; & illius rationi, quàm præmittit ; vt quàm primum lites terminentur. quæ tam obtinet in excludēdis nullitatibus in reparabilibus, quàm iniustis decretis. quinimò d. Sanctio Clem. VIII. 1600. *ad tollendas. § censuras. §. absolutio* etiam in casibus nullitatum disponit, in iisque Concilium obtinere reipsa ostendit. sed & Clemens VIII. omnes sustulit, præter tres, vt sæpius est dictum, & statuta prouinciæ Mechlinienſis nullitates sine causæ iniquitate à iudiciis volunt excludi. *Tit. de app. ar. 6.* quę per anticipationē iusserat seruari Concilium Prouinciale Mechlin. à Sede Apostol. probatum. *t. 25. c. 3. Iniqua,* inquit D. Bernardus, *de Consid. l. 3. c. 4. omnis appellatio, ad quam* (non nullitas) *sed instituæ inopia non coëgit.*

8. An in decretis nullis, an tantùm iniquis?

Quare nec hic quadrat, quod aiunt ; quod inhibitio, siue iusta siue iniusta timenda sit, & inducat attentatum. *l. 1. §. 1. D. de nov. oper. nunciat. c. significant. X. de appell.* Rota *decis. 306. in antiquis. Vestrius in suaprax l. 8. c. 4. n. 10. d. c. non solum.* & plures alij canones, scribentesque. sicque obseruanda ob reuerentiam iudici superiori debitam: & probet Lancellotus *de attentatis p. 2. c. n. ampliat. 11. quasi per totam,* & ita de stylo seruetur : ne aliàs iudices subpræ- textu iniustæ inhibitionis eas contemnant ; & pars grauata interim dum de iustitia inhibitionis, vel iniustitia disputatur) multis laboribus & expensis fatigetur : quandoquidem omnia hæc generalia

in

in antiquis canonibus fundentur: Concilium autem Tridentinum *. dc.20.& Reg.37.c ncell.& d.Sanctio.* tam appellationes recipi, & inhibitiones fieri vetant, quàm impunè non parere permittunt, cùm desit iurisdictio in delegante, quæ excedere nõ potest terminos mandati Concilio non derogandi; iisdemque circumscribitur, & in delegato facultas inhibendi. *Lancell. p.2.c.2.n.7.& 201.& ibi citati.*

RESPONSVM II.

De Apostolis.

1. Petendi, probandi per instrumentum, & concedi aliter rescriptũ non debet.

SAnctio pragmatica Clementis VIII. super controuersiis Iurisdictionalibus vetat appellationes recipi, nisi per publicum instrumentum constet eas esse interpositas, & prosecutas. prosecutionis prima pars est apostolorum petitio. eamque adeò exigunt statuta *prouinc. Mechl de apped.art.1.* & Iudicis responsionem. & ait Boër *decis. 256.n.1.* abhorrere à stylo Romano rescriptum dari, vbi illi non sunt petiti & meritò. Iudex enim, à quo prouocatum est indicare potest quod genus causæ agatur; an in ea sit locus appellationi, an non; quo fine apostolorum necessitas est inuenta. *l. vnic. D. de libell dimissoriis. l. 6. § super his. §. Apostolos. l. Iudicibus C. eod.* Sic *in actis Apostolorum c.25.* Festus de Paulo, appellantem ad Cęsarem, se mittere dicit: & quærit quid sibi scribendum sit? additque: *sine ratione enim mihi videtur mittere vinctũ & causas eius non significare.* & sic insinuat *l.1.C. de exhib. & trãsmitt. reis.* nam Appellantes, vt ait D. Bernardus *l.3 de Consid. c.4. sapè appellant, non quia grauantur, sed vt grauent.* ideoque odiosæ sunt appellationes: & circa eas decreta à superioribus rigidè obseruanda. quia, vt idem D. Bernardus, *ipsum appellasse iniquum est; iniquè appellantem impune transire* (non tantùm fauorabiliter recipi) *iniquarum appellationum fomes. iniqua autem omnis appellatio, ad quam* (non tricarum gratia sed) *iustitiæ* (hæc causam spectat, non formulas) *inopia non coëgit.* dispelleret ille omnia illa nullitatum aucupia. eoque statutum est vt apostolos petere negligens, censeatur appellationi renuntiare, ac eam deferere. *c.ab eo. de appell.in 6.clem.quamuis. eod.* vt interim valeat processus iudicis à quo *gl.in d.c.ab eo v.constant & in c. cord. v. exhib. eod.in 6.* & vt tamen sufficiat apostolos petere intra triginta dies. *d.c.ab eo. d.clem. quamuis.*

2. Apostolos negligens appellationi renunciare præsumitur.

Neque hæc præsumptio cedit veritati *præsumitur*, inquit, *appellationi suæ renuntiasse appellans, etiamsi vadat, aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam.* vt præsumptio hæc sit in pœnam; ac iuris & de iure; non admittens probationem contrariam. Non iuuat hic refugium ad Francos, vbi scriptores negant seruari apostolorum petitionem de cõsuetudine regni: quin & Imperij, imò & Belgij in tribunalibus sęcularibus; sed Celestini III. in curiis Ecclesiasticis non sæculares cõsuetudines, sed canones iubet seruari *c.quod clerici. X. de for. comp.* canones autem, vt & leges Romanæ apostolos exigunt; vt & praxis Ecclesiastica: Statuta cur. Eccles. Mechlin. tit. de appell. art. 1. quin & d. sanctio si quid in curias Ecclesiasticas irrepsisset, decreto suo extinxisset, pridem recepta per d. statuta. sed & appellantes si coram Iudice priori comparent, eo ipso renuntiant appellationi. *c.gratum. de off. deleg. c solicitudinem. X. de appell.* & quamuis hic id fecerit tantùm procurator; & mandatum illius eò extensum negetur, vt iurisdictionem prorogare posset: *c. cum olim. X. de off. de eg.* tamen ibi procurator ad alia non erat constitutus, tam de facto, vt narratur in supplemento, quàm de iure: cum mandatum non extendatur

3. Vt neque probatio contraria admittatur.

4. Neque obstet praxis ciuilium tribunalium.

5. Renunciat etiam qui post appellationem comparet coram iudice à quo.

6. quamuis per procuratorem tantùm sine speciali mandato.

extra cauſam, in qua datum eſt: & quæ procurator ibi egerat, omnino erant diuerſa à cauſa: at hîc nulla de re fuit actum, niſi quæ reſcripto contineatur. eoque procurator poſt appellationem comparens renunciaſſe, & principali, tanquam dominus litis, præiudicaſſe cenſendus eſt.

RESPONSVM IV.

An appellanti quaſi pro ſua defenſione apologeticum vulgare liceat?

1. Appellatio licita non facit licitum conuicium Iudici dictum.

QVamquam appellationis beneficium naturæ æquitas, atque cauſarum neceſſitas introduxerit; ideoque nec oporteat Iudicem exiſtimare per illam ſibi irrogari iniuriam; *l. 20. C. de appell. neque appellantem debeat afflictio vlla, aut detentionis iniuriare cuſtodia. c. appellantem. 2. q. 6.* Iudici tamen ab Appellantibus conuicium fieri non oportet: alioquin notantur infamia. *l. 24. D. de iniur. l. 8. C. de appellat.* quoniam etſi naturali lege permiſſum

2. Defenſio licita exigit moderamé.

ſit, vt vim atque iniuriam propulſemus: *l. 3. D. de iuſt. & iur.* non tamen ſine moderamine inculpatæ tutelæ. *l. 1. C. vnde vi.* atque adeo, quamuis, qui propter violentiam Iudicis appellare coram illo non audet; de eo poſſit publicè conteſtari: *l. 2. C. de his qui per metum Iudicis. l. 7. D. de appell.* id eſt coram teſtibus: *vt ibidem gloſſa & quæ citat.*

3. Appellans an poſſit vulgo edere ſuas cauſas?

non tamen mox licitum eſt libellos vulgare. & vix eſt, quin in famoſorum vitium cadant. *l. 5. §. ſi quis libelum. D. de iniur. l. 15. §. ait prætor. verſ. hæc autem. D. eod. in verb. conſcribat, proponat, vel cantet aliquid, quod pudorem alicuius lædat.* præſertim carminibus quaſi monſtra herculea inuadentibus. *L. lex Cornel. §. ſi quis librum. D de iniur. & fam.* citra neceſſitatē moderaminis inculpatæ tutelæ. *d. l. 1. C. vnde vi.* vt etiamſi nō condemnetur iniuriarum, qui nocentem infamauit; quia peccata nocentium nota eſſe expediat. *l. 18. D. de iniur.* non tamen aliter fides veri eum excuſet, quam ſi nō conuicij cōſilio id feciſſe ſe probet. *l. 5. C. de iniur.* adeoque id fecerit apud Iudicem, ſeu aliàs legitimè: nulla tenus autem per libellum quomodocumque famoſum. *gloſ. in d. l. 18. verb. infamauit, per leg. vnic. C. de famoſis libell.* vt nec excuſetur quidem, qui libello vel Principi dato famam alienam inſectatus fuerit. *d. l. 15. §. ſi quis libellō D. de iniur.* ſanè *ſi quis ſalutis*, inquit d. lex vnic. *publica cuſtodiam gerit; nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putauerit, ore proprio edicat: ita eo abſque vlla trepidatione accedat: ſiens quidem, quod ſi adſertionibus ſuis veri fides fuerit opitulata, laudem maximam, & præmium à noſtra clementia conſequetur: ſi verò minimè hæc vera oſtenderit; capitali pœna plectetur. huiuſmodi autem libellus alterius opinionem non lædat.* vbi inculcantur requiſita, & ſalus publica, & acceſſio ad Principem, non vulgum: & probatio; & ab alienæ exiſtimationis læſione abſtinentia. nec Magiſtratibus quidem licet aliquid iniuriosè facere, quin ſi vel vt priuati, vel fiducia Magiſtratus fecerint, teneantur. *l. 32. D. de iniur.*

Sed & prætor requirit, ne quis etiam iniuriā paſſus, vagetur cum diſcrimine alienæ exiſtimationis: ſed deſignet, & certum ſpecialiter dicat, quid iniuriæ factum ſit. *prætor. D. de iniur.*

Quin, etſi aduerſus patronum iniuriarum actio non detur libero, notabiliter tamen excipitur, ſi libertæ conuicium dictum ſit impudicum. *l. non ſolum. §. 1. verſ. ego autem. D. de iniur.*

Quod eo magis aggrauatur ſi palam & vulgò dictum ſit. cùm etiam ſi in theatro, vel foro quis cædit, & vulnerat, quamquam non atro-

atrociter, atrocem tamen iniuriam faciat. *l. sed est. vers. sed etsi. de iniur.*

8. Aduersus bonos mores,

Denique Prætor omne id vindicaturum se addicit; quod conuicium aduersus bonos mores factum erit. *Item apud Labeonem. §. 1. D. de iniur.* vbi id Vlpianus latè examinat, quid aduersus bonos mores dictum factumque sit: & sic accipiendum ait, non eius qui fecit, sed generaliter aduersus bonos mores huius ciuitatis: atque adeò aduersus bonos mores harum regionum.

Quæ omnia si conferantur cum apologeticis quibusdam nuperis, facile liquet eos in canones legesque impingere: & in huiusmodi scriptorum arena malum per reciprocam contentionem nimiùm excrescere in maledicentiam euidentem.

LIBER TERTIVS.

De vita & honestate Clericorum.

RESPONSVM I.

De delatione rocheti.

QVæsitum est an Decanus Collegiatæ Ecclesiæ L. posset gestare rochetum? interdixit Nuntius; permisit Ordinarius: rectiùs ille. Est siquidem rochetum vestis Episcopalis, iam antiquitus in Ecclesia ab Episcopis deferri solita. *Gauantus ex Baronio & aliis in Comment. in Rub. Missal. de præparat. sacerdot. celebraturi in verb. rochetum.* vnde c. clerici. *15. X. de vit. & honest. cler.* postquam disposuerat de habitu aliorum clericorum; *Pontifices*, inquit, *in publico & in Ecclesia superindumentis lineis omnes vtantur: nisi monachi fuerint: quos oportet ferre habitum monachalem.* Ad illud cap. Panor. *vltimò nota*, inquit, *quod religiosi, etiã Episcopi, non debent vti rocheto. sed Episcopi seculares debẽt portare in publico & in Ecclesia super alia vestimẽta.* quod autem Innoc. III. *ind. c. 15.* non vtatur verbo, *rocheti*, causa est; quod loco paraphrasis superindumentorum lineorum demum assumpta est vox *rocheti*, cùm Sedes diu post Innocentium Auenionem est translata: idque ex gallico *roquet*: vt rectè Gauantus. *vbi sup.*

Est vestis Episcopalis.

2. Aliis non permissa.

Igitur non aliis de clero competit vsus rocheti, quam Episcopis. qui dum illud ferre iubentur, cæteri censentur prohiberi. *l. cum prætor. D. de iud. l. ex eo. D. de testib. c. nonne. X. de præsumpt.*

3. Nisi ex priuilegio.

Sed vt alia insignia Episcopalia, mitra, pedum, sandalia, annuli, aliaque Abbatibus; & quædam ex illis per priuilegium communicata sunt etiam aliis prælatis; ita & rochetum. & dum multa exempla alia prouocant; cepit illud insigne ita frequenter concedi petentibus prælatis, præsertim in Italia, vt ferè communiter censeretur concessum. vnde Rubrica *Missal. d. tit. induat se*, inquit, *si sit prælatus secularis supra rochetum, si sit prælatus regularis, vel alius sacerdos, supra superpelitiam.* quasi præsupponẽdo, *argumento communiter accidentium in Italia*, illud competere.

4. Ita solita prælatis cõcedi, vt cõmuniter eis permissa reputetur in Rubr. Miss.

Sed decretum S. Congregationis Rituum, vt nuper ad Moretum

tum est transmissum, & Rubricis Missalis insertum, rectiùs sic habet: *prohibetur vsus rocheti; exceptis tamen quibus de iure competit.*

5. A S. Cong. negatiuè desuper statutum.

Quæ locutio conformis est modo loquendi d. c. clerici *in verb. sed nec annulos* (clerici ferant) *nisi quibus competit ex officio dignitatis.* quærit ergo Panorm. *ibid. qui sint isti? dicit hic*, inquit, *Ioan. And. quod cessante priuilegio soli Episcopi, & superiores possunt*: & addit infra, quod eo modo loquendi vtantur canones: & Pontificale, quia sic communiter accidit, vt prælatis ea insignia sint communicata. qui ergo huiusmodi priuilegium non habent, ius deferendi rocheti non habent. regula ergo est, ne cui præter Episcopos competat: qui in exceptione contrariam suam intentionem fundat,

6. Vt qui sibi contendit permissum debeat probare.

illam vtique probare debet.

Neque verò sola dignitas quamuis primaria Collegij, ad id sufficit. vt ne quidem ad ius annuli; clero alioquin prohibiti. quoniam d. c. 15. etsi non super priuilegio, *se fundat*, inquit Panorm. *super officio dignitatis*: officium autem *Ecclesiasticum*, inquit *ibid. est administratio rerum Ecclesiasticarum, vt notat Archidiaconus in c. 1 de consuet. in 6. dicam in c. de multa de præb.* at illa non competit Decano soli; sed suffragium is tantùm habet, vt cæteri canonici. sed neque per se solum iurisdictionem: *Barbos. lib. 1. de iur. Eccl. c. 26. n 1.* cùm illa de iure sit penes prælatum, etsi exercitium in grauioribus restringatur aliquando ad consensum, aliquando ad consilium Capituli. *tot. tit. X. de his quæ fiunt à prælat. sine cons. Cap.* vt propterea Decanus non videatur esse veri nominis prælatus, ad sensum Cerimonialis, aut Rubricarum Missalis.

7. Sola dignitas non sufficit, sed officium, administratio, iurisdictio etiam ad minora insignia requiritur.

8. Quæ non sunt in Decano vt in prælatis stricte acceptis.

Vt rectè interdicto suo causam adiecerit Nuncius, quod *vti Decanus rochetum ferre non possit.* Interdictum etsi vim sententiæ definitiuę non habeat; tanquam lite non agitata datum: *Rub. & tot. tit. C. comminationes, epistolas, programmata vim sententiæ non habere*: tamen enuntiatio iuris est. neque in materia morum est insolitum, iure quasi censorio & ædilitio sic quippiam decerni. quod non impediat tamen cognitionem iudicialem; si quam sic monitus aut correctus intentare deinde voluerit. quod hic hactenus non fecerat Decanus.

9. Prohibitio Nuntij vt sententia non fuerit.

Sed & praxis, atque immemorialis Ecclesiæ L. consuetudo Decano aduersatur non tantùm; sed vt ius, ita & consuetudo Belgicarum Ecclesiarum magis frequens; vt Decani rochetum non gestent. cui Decanus magis conformare se deberet; quamuis dubia esset consuetudo in sua Ecclesia, *c. de is. c. non decet. c. nolite dist. 12. c. super eo. X. de cens. c. 6. c. 31. X. de consuet.* nunc autem in d. Ecclesia L. immemorialis ita vsus habere non negatur, (extra immediatum præcessorem, qui erat protonotarius ad instar eorum qui sunt de numero participantium) cui vel competit speciali gratia, vel vsurpauit; cùm illis dumtaxat competat, qui sunt de numero) vt Decanus rocheto non vtatur, sed superpellitio communi cum canonicis. vsus autem immemorialis vim legis habet. *tot. tit. X. de consuet.* quin etiam solitum est præstari iuramentum in Capitulis, quo promittantur seruari consuetudines.

Porrò notat vlterius Panorm. *in d. c. 15. sub fin. ad gloss. 2. in verb. decorat.* quod in huiusmodi insignibus omnino sit attendenda consuetudo locorum. & de vestibus chorali. Concilium Basiliense bus disertè præcepit Conc. Basil. *sess. 21. c. 3. in verb. iuxta regionum* modi & diuersitates. quæ

Adeoque d. Rubrica de prælatis agens, intelligenda venit secundùm diuersitatem regionum & consuetudinum: vt non intelligantur nisi quibus priuilegium concessum est, vel vsus antiquus locorum attribuit: nullatenus autem vbi praxis aduersatur.

Et verò vestis laneæ & lineæ for-

formam Præpositis, Decanis & canonicis semper fuisse eandem, communis ecclesiarum vsus probat. & fluxit ex regula quam clericis in communi viuentibus, quales olim fuerunt canonici, & nomine clericorum veniunt, *c. cum tibi. X. de verb. signif.* præscripsit S. Augustinus *in sermone de communi vita clericorum. Nemo*, inquit, *det lineam aut byrrhum, nisi in communi: de communi recipiam mihi ipsi.* & licet illa communis vita desierit quoad œconomiam in clero; non tamen forma communis vestium choralium in Collegiis canonicorum sæcularium. vnde & in Concilio *Aquisgranensi an. 816.* edita Regula canonicorum *quam nuper cum aliis typis vulgauit Aubert. Miræus c. 124.* ita legimus: *non specialiter præsumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus: id est nec plus iusto cultior vestis; nec insolita atque deformis: quia in vtroque illorum elationis, aut certè simulationis noxa patescet. Inter vtrumque enim virtus discretionis moderatissimè tenenda est. quæ plenissime in vita S. Augustini &c.*

12. Et primæua Regula canonicorum indistinctam vestē omnibus tribuit.

Accessit, quod exinde in Concilio Basileensi fuit præceptum. *s. 21 c. 3. de diuino officio.* pro omnibus cathdralibus & collegiatis ecclesiis indistinctè, vt vtātur. *superpelliis mundis vltra medias tibias longis, vel cappis iuxta temporum ac regionum diuersitates*, non personarum, Conciliū porrò Trid. *s. 25. de regular. c. 1.* omnia vult reduci ad primæuum institutum. & porrò *s. 14. c. 26. etsi habitus*, inquit, *non facit monachum, oportet tamen vestes, proprio congruentes ordini semper deferre*: & *sess 24. c. 13. vestitu*, iuquit, *quoque decentitam in ecclesia quàm extra assiduè vtantur*: congruere autem aut decere magis nihil potest; quam d. decreta seruari, & in vno eodemque choro secundùm primæuum institutum vestium esse paritatem, antiquitate comprobatam; non odiosam induci nouitatem.

13. Concilio Basileense superpelliis indistincte.

14. Fuit Tridentinum.

Et quamuis aliquis scrupulus supereſſe videretur, & rubricæ Missalis priores non simpliciter correctæ; quin prælatis competere posse videretur vsus rochetti; & dignitas Decanatus esse instar prælaturæ; tamen non omnes hîc Rubricæ Cæremonialis receptæ sunt ex asse: sed ad intentionem Concilij *Trid. sess. 25. de Indic. lib. cathechis. Missal. & Breuiar.* quidem pro officij vniformitate; no autem alicubi vt præiudicare, prærogatiuas aliquorum inducere, aliorum depressionē possint, vt plerisq; locis receptioni permissa est expressa aliqua protestatio, & cuiusmodi receptio multas habet difficultates, si vrgeatur aliquibus inuitis. per ea quæ tradunt Charond. *Responsi. lib. 13. Respon. 5. Choppin. Monasticon. lib. 2. tit. fin. n. 25.* & sic, etsi in Synodo *prouinc. Mechlin. an. 1607. tit. 12. c. 18. 19. 20.* ritus ipsi, ac vniformitas commendetur; nihil tamen attactum est, quod vestem choralem ad formam Italicam reduceret, aut alicuius iura imminueret.

15. Nec obstāt Rubric. Missal.

Videamus igitur an d. gratia ab Ordinario facta suffragari debeat. ait Decanus cōsultos theologos & iurisperitos respondisse, in potestate illius esse illam facere, cùm possit Episcopus in sua diœcesi, quicquid potest Pōtifex per totum orbem, nisi prohibitio aut reseruatio obstet: subsumitq; rochetti concessionem non esse de reseruatis. at omisit dicere, neque obstare aliquam prohibitionem. est autem iure prohibitum, ne inferior deroget legi superioris, aut super ea dispensēt. *c. cmm inferior. X. de maior. & obed. Clem. 2. de elect. c. dilectus. X. de tempor. ordin.* nisi quatenus in constitutione permittitur. quæ exceptio in aliis firmat regulam. vnde neque potest Episcopus derogare, dispensare, aut gratiam facere super lege conciliari: qualem hîc esse diximus, Aquisgranensem, Lateranensem sub Innoc. III. & Basilēensem, &

16. Nec Ordinarius potest in contrarium permittere aduersus legem superioris.

quiuerit. X. de renunc. in beneficialibus omnem dispositionem dependere à superiori : & propterea etiam hoc tempus potissimum esset considerandum, quod complectitur actus substantiam : *Tusc. in verb. retrotrahi quando dicatur actus conc. 399.* & sic tempus admissionis ; nisi in regula aliter esset expressum, quoad computum dierum : vt ex primordiali Innocentij VIII. regula mox ostendimus, cuiusintentionem non mutasse dicenda est aliqua interpolatio obscurior secutorum Pontificum. neque verò est nouum posteriorum constitutionum sensum ex prioribus elici aut firmari: neque super solo resignantium actu, sine superiorum interuentu, aliquid decerni ; *vt in d. c. admonet. & in d.c. quod in dubys.* adeoque hic à solo resignantium actu in manu superiorum facto dies 20. computari ex odio talis actus.

De Institutionibus.

RESPONSVM I.

Dispensatus super ætate quoad ordinem, an eo nondum accepto promoueri possit ad præbendam, cui ille est annexus?

QVæsitum est an conferri possit vacans in ecclesia Cathedralis A. canonicatus, & præbenda, cui annexus est ordo diaconalis H. dispensato à Pontifice, vt quando ei tantùm deerunt tredecim menses promoueri possit ad diaconatum; & nunc ea ætate est, vt intra annum in vim huiusmodi dispensationis diaconatum suscipere possit?

1. Pro negatiua. Non posse suaderi videtur *ex c. 4. s. 22. Concily Trid. in verb. nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur: aliter irrita sit prouisio.* & Clem. *vt ij de ætat. & qualitat. ibid. innouata. c. 12. verse. minem eod. Conc. Trid.* adeò vt & dispensatio, per quam huiusmodi qualitati derogatur, subreptitia videatur haberi à *c. 5. s. 25. eiusdem Concilij.* quodque dispensatio quæ contra ius est strictè sit interpretanda. *c. 1. §. fin. de fil. presbyt. in 6.* adeòque concessa ad vnum ordinem, non ad alium. *DD. in c. fin. ibid. & Sanches de mat. lib. 8. disp. 1.* & sic concessa pro diaconatu non ad subdiaconatum ; & ad ordines suscipiendos concessa ad canonicatus & præbendas non sit extendenda. sed omnis extensio sit prohibita. *vt latè Sanches d. disp. 1.*

Posse autem videtur probari ex *d. c. 4. in verb. teneantur infra annum ordines recipere requisitos. & d. c. 12. s. 24. d. Conc. in verb. in Cathedralibus neminem ad canonicatum recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa præbenda requirit ; aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & à hac sancta Synodo statutum. (scilicet d. c. 4. & c. 12. s. 24.) initiari valeat.* vt Concilio sufficiat habere ætatem, qua intra annum promoueri possit ad ordinem requisitum: eamque ætatem requirere videtur non propter se ; sed propter ordinem; eiusque functiones: quas enixè requirit d. c. 4. & propter quas ordo exigitur. si igitur ordo & functiones haberi possint per dispensationem ; non videtur in considerationem venire ætas tanquam medium ordinarium relata d. c. 4. & 12. cùm extraordinario medio haberi possit idem finis.

Pro illa.

Neque verò dicendum est dispensationem extendi à facultate recipiendi ordines ad præbendam: sed legem communem conciliarem d. c. 4. & 12. eam interpretationem admittere, vt in quo finis Concilij obtinet, verba non attendantur, sed præ his valeat anima, & voluntas legis.

Quoad verò ordines; omissa il-

la

& primæuam clericorum sæcularium Regulam, secundùm quam Augustinus, præter vestes episcopales, gessit lineam communem cum toto suo clero. eoque Ordinarium aliam vestem Capitulo non communem, seu extra formam superpellitij à d. Concilio Basileënsi specialiter præscripti concedere nemini posse est dicendum. præterquam quod Nuntij decretum strinxerat manus inferioris. *c. 1. & 2. X. de confirm. vtil. vel inutil.* & lite pendente nemini liceat supplicare. *C. Vt lite pendente nemini liceat.*

17. Minus sine euidenti vtilitate.

Vt omittamus, quod de causa dicendum est, quod in rebus nouis constituendis euidens esse vtilitas debeat, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est. *l. 2. D. de const. princip.* quæ vtilitas hic non apparet; sed potius diminutio charitatis fraternæ; quæ ad scandalum vergit; nihil autem faciendum est cum scandalo. *c. nihil 2. X. de præscript. c. ad aures* X. *de temp. ordinat.* nequidem Papæ mandato parendum, si suboriatur scandalum, *c. cum teneamur. X. de præb.* scandalum hîc pars vtraque agnoscit; sed causam altera in alteram reijcit. & optandum fuisset vt Decanus (qui multa bona opera se dicit operatum, & testatur Ordinarius) quamuis res sibi fuisset ritè permissa, imitatus fuisset D. Paulum 1. *Cor.* 8. *si* esca, inquit, *scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum.* solent ex huiusmodi causis maiora nasci incommoda, & litigia. neque enim nouum est ratione formæ, coloris, materiq; vestium inter ecclesiasticos graues excitari controuersias. *vt patet ex c. 1. de verb. signif. in extrauag. Ioan. XXII. Clement. V. & Nicol. IV. quæ ibidem citantur. clement. 1. & c. exŷt in 6. eod. vt & latius diximus in Consult. can. de regular. cons.* 20. & seriam esse materiam in ecclesiasticis, formam, & colorem vestium patet ex d. c. clerici. *& tot. tit. de vita & honest. cler. c. præcipimus. 21. q. 3. c. vt periculosa. ne cler. vel mon. in 6.* non tantum vt ex vestium forma distinguantur aduersus personas laicas; sed & ecclesiasticas alterius instituti. *d. c. vt pericul. Rodrig. t. 2. qq. reg. q. 77. ar. 6.* neque aliquis ex veste sibi prohibita quippiam vsurpet, vt de compagis & mappulis valde serio agitur *in c. peruenit. c. illud. d. 93.* de vsu pallij *X. tot. eotit.* pontificalium. *Trid. s. 6 c. vlt. clem. fin. de priuileg. &c.* De exemtione Capituli tanquam præiudiciali quæstione esset etiam dicendum, nisi in possessione jurisdictionis esse Ordinarius, & lite pendente ea vti posse diceretur; secundum distinctiones c. cum *persone de priuil. in 6.* & quamuis non subdito etiam gratia potest concedi: sed tamen non talis quæ illum soluat aliqua lege, qua alioquin teneatur. cum non subditum nemo possit soluere vel ligare. *c. omnis. de pœnit. & remiss.*

18. Minimè cũ scandalo.

19. Litibus, alijsque incommodis, ab talem causam nasci solitis.

DE PRÆBENDIS

An ad præbendas graduatis affectas dignior sit assumendus?

OMisso digno promouendum esse in curatis, similibusque beneficijs digniorem, sed neque in cathedralibus præbendis omnibus id obtinere, vt scientia dignio- res eligendi sint, *ex c. vener. h. X. de præb.* diximus *in Iur. pont. non. anal. de elec. n. 18.* quamuis in dignitatibus & parte maiori id desiderare videatur Concilium *Trid. s. 24. c. 12. in princ.* & de alijs diligenter disputet Gutier. *can. quæst. lib. 1. 1.* exigit saltem d. c. 12. vt eligendi tales sint, qui suo muneri respondere possint. quamuis dignitates præsertim in cathedralibus, dicit esse iustitutas, vt qui eas obtine-

rent,

2. Quales graduati eligendi? & quare?

rent, *pietate præcellerent, alijsque exemplo essent.* enimuero in erectione nouarum sedium Belgicarum, vt Episcopi ecclesiam suam personis eruditis, & ad iurisdictionem exercendam, ceteraque munia ecclesiastica obeunda idoneis debitè instructam, iugiterque decoratam haberent, erectæ sunt nouem præbendæ personis in famosa Vniuersitate graduatis affectæ, quæ consilium & operam in negotio ecclesiæ, & religionis, ceterisque difficultatibus Episcopo præstare teneantur. vt hîc eruditio nec competens tantùm; sed & quæ decorem ecclesiæ adferre possit, requiri videatur. adeòque obtinere, quod rescriptum est in officio seu beneficio cancellariæ *in c. vn. X. vt eccles. benef. sine dim. confer.* non *ex affectu carnali*, inquit, *sed discreto iudicio, debuisti ecclesiasticum officium, & beneficium in persona magis idonea dispensare.* cancellariæ officium subsidium fert episcopali iurisdictioni exercendæ. ad cuius suppetias cùm itidem sint erectæ præbendæ graduatis affectæ, sequi videtur in personis magis idoneis esse dispensandas: &, vt loquitur c. constitutis 46. *X. de appell. qui ecclesia magis vtiles, & idonei reperirentur.* ceterùm ea verba *magis idoneâ* ad quæstionem nostram non videntur spectare; sed ad comparationem illius, qui cum collatore pactum de fructibus beneficij inierat, cùm à beneficijs huiusmodi conuentiones abesse debeant; liberèque, plenè, & sine diminutione illa conferri. ideoque *in d. c. vn. §. cum enim.* non aliud exegit Innocentius III. quam vt episcopus Mediolanensis ostenderet, quod cancellariam personæ idoneæ, modo canonico, & tempore competenti donasset. ita vt collatio affectarum præbendarum digno facta; omisso quamuis digniori, sit rata, nec facilè irritari possit. attamen verba, quæ suprà citauimus, aliquid non vulgare exigere videntur: si non tam eminentem scientiam, de qua d. c. *venerabilis, quod vix ad culmina dignitatum*, inquit, *nedum ad præbendas viri eminentis scientiæ valeant reperiri:* tamen vt exigat discretum iudicium, vt loquitur d. c. vn. electorum; seu arbitrium boni viri; ita vt à conscientia absit carnalis affectus; adsit zelus debitè instruendæ, & ornandæ ecclesiæ; per personas eligendas: atque illæ sint tales, quæ eiusmodi ornamenta adferre possint. quæ qualitas ex eo intenditur, quod ex ijsdem nouem graduatis dumtaxat assumi possint promouendi, in plerisque ijsdem nouis episcopatibus, ad dignitates archidiaconatus, archipresbyteratus, & pœnitentiariatus: eòque ad graduatis affectas præbendas eligendi, tanquam destinati ad huiusmodi dignitates aliquando obeundas, considerandi nonnihil sunt iuxta d. c. 12. vt si impræsentiarum ijs qualitatibus præditi non sint; spem faciant certam maturitate temporis tales euasuros. & quidem Archidiaconus & Archipresbyter curam, seu internam seu iurisdictionalem exercent: pœnitentiarius etiam diœcesanus & doctrinâ & prudentia præditus vt sit, & res exigit, & Concilium *Trid. sess. 24. c. 8.* matura mamque ætatem 40. annorum. Et ab initio ecclesiæ officium huiusmodi fuit eximium. vt videre est apud Spondanum *in Annal. eccl. ad ann. domini 56. & alibi.* adiecit tamen idem Concilium clausulam, *seu aliàs pro loci qualitate aptior.* vt si vel ætate, vel laureis theologiæ seu iuris careat; ea tamen sit prudentia, & doctrina, alijsque virtutibus instructus, vt hæ illis præponderent; tanquam alijs aptior assumi possit, iudicio Ordinarij. vt in simili idem *Trid. sess. 25. de regular. c. 7.* in præfecta moniahum eandem ætatem requirit. discretioni tamen Ordinarij, quid è re monasterij magis sit, permittit.

3. Tanquam destinata ad dignitates digniori conferendas.

4. Pœnitentiarius digniori aptiorue assumendus quamuis annis quadraginta minor.

idem

idem ergò hîc Concilium momenta aptitudinis ponderanda committit Ordinario. vt quamuis inter graduatos aliquis sit 40. annorum; si tamen alius minor sit aptior; præferri possit. *citati à Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. s. 24. d.c. 8.* & id liquidum facit vox *seu*: quæ regulariter & naturâ suâ est alternatiua. *Tusc. in verb. dictio seu, conc. 372. n. 1. 2. 29.* præsertim dum ponitur inter diuersa. *n. 21.* vt palam hîc diuersa facit per adiunctionem vocis *aliàs. seu aliàs*, inquit, *qui aptior reperiatur.* Adde d. sessionem. 24. Conc. Trid. celebratam esse an. 1463. & sic posteriorem esse Bulla erectionis nouorum episcopatuum Belgij: loqui autem d.c.8. in futurum: *pœnitentiarius*, inquit, *instituatur.* non autem decernere de præterito, aut legem dare pœnitentiarijs iam antè institutis, sed eos suis legibus relinquere. Bulla autem gradum dumtaxat requirit, non eam ætatem. vt decretum quidem ex rigore non obtineat, tametsi ratiocinando conueniat. sed omnino illud, vt aptior sit: vt loquitur Trid. seu magis idoneus, vt exigunt canones ante citati. quod si autem ex graduatis aliquis se aptiorem esse, & iniuriâ præteritum existimet; electio non est nulla; sed per Superioris examen videbitur an erit annullanda. *diximus in Iur. pont. nou. anal. de elect. n. 15. vers. electio.* in alijs nulla foret, si extra graduatos affectarum præbendarum possessores, quis ad dictas dignitates contra dispositionem d. bullæ assumeretur: aut ad has præbendas non habens gradum. *Trid. s. 25. c. 5.* in nouis sedibus: quamuis ad pœnitentiariatū sine gradu *ex vi d. c. 8. s. 24. Trid.* aptior graduatus assumi possit. Porro examē an quis sit aptior omnes vtriusque qualitates expendet: vt in c. *18. s. 24.* in concursu parochiali, ætatem, mores, doctrinam, prudentiam, aliasque res ad huiusmodi officium opportunas.

RESPONSVM II.

De Commendis.

DVm quæritur quæ sit authoritas, aut Iurisdictio commendatarij; quid facere, quid præstare possit; attendenda sunt verba commendantis; qualitas, atque conditio beneficij commendati, & finis commendationis. Verba; quoniam, vt diligenter obseruandi sunt fines mandati *l. 34. 5. D. Mandati*; ita & commendati. Conditio beneficij; quoniam vt illa varia est; ita ex ratione subiecti, quod circa illud præstandum est, variatur. finis autem; quoniam vt de lege dicitur, quod finis sit anima legis; ita & in beneficio commendato finis, ob quem commendatur, tanquam scopus actionum est suspiciendus. vti post alios Euerardus *in locis legal. loc. à fin.* rectè dixit potissimam causarum omnium esse finem.

Inuentæ ergo sunt commendæ; ne beneficia interim dum vacant damnum caperent. vt dum sponsum non habent; sponsi vices & officia suppleat commendatarius. si ergo simplicia sunt; missæ, & sacra munia illis incumbentia expleantur: si curata; cura animarum nullatenus negligatur: si maiora, atque dignitates; vt onera omnia congruè supportentur.

Quapropter in curatis *Con. Trid. s. 24. c.* 18. dum vacant, atque donec eis de rectore prouideatur idoneum in ea vicarium, cum congrua fructuum portione constitui iubet: *qui onera*, inquit, *ipsius ecclesiæ sustineat.* propterea Gregor. X. *in Conc. Lugdunens.* commendari ecclesiam parochialem vetat alicui, non constituto in ætate legitima, & sacerdotio; eamque permittit vnicam, & in tempus dumtaxat semestre. *c. nemo. de elect. in. 6.*

Qualitatem sacerdotij exigit; propter

propter necessariam Sacramentorum administrationem, quæ illud exigit; exercitumque curæ. vnicam admittit; sicut & Concilium Tridentiuum *s. 7. c. 4.* beneficiorum pluralitatem ne titulo quidem commendæ perpetuæ admittit. semestre tantum tempus recipit; quoniam rarò fit, vt commendæ vergant in ecclesiæ vtilitatem (etsi sine illa eas irritas habet d. c. nemo) quæ sunt diuturnioris moræ, aut perpetuæ. adeòque & semestres nunc sublatę sunt in parochialibus ecclesijs. per Conc. *Trid s. 24 c. 18.* vbi mox quidem in vacantibus poni vicarius, sed quamprimum de rectore prouideri mandat. & commendæ quidem perpetuæ olim ignotæ fuerunt; dum magis cura gregis, quàm lana quæreretur. & propterea iam inualescentes eas damnauerunt Innocentius VI. *per extrauagant. suam incip. Pastoris*, & Clemens V. *per extrauagant. incip. ex superna, quæ ponitur, in extrauagant: com. tit. de præben.* vbi etiam ad Regum & magnatum instantiam, narratis incommodis, quæ ex eis nascuntur, reuocantur commendæ, etiam Cardinalibus factæ. eisque consonat Conc. Lateranense *sub Leone X. sess. 9. in bulla de reformat. Curiæ*, & demum Con. Trid. *s. 25. de regular. c. 21. & s. 14. c. 10. & s. 21. c. 8.* & quidem d. c. 10. regularia beneficia non nisi religiosis illius ordinis, vel ijs, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, conferri permittit. d. verò c. 21. ipsa monasteria, abbatias, prioratus aut præposituras, quæ suos conuentus habent, non nisi regularibus personis eiusdem ordinis, atque iam expresse professis, quæ gregi præire atque præesse possint; quinimo spectatæ sint virtutis atque sanctitatis. voluitque etiam sic prouidere ijs non tantum, quæ imposterum vacarent, sed etiam quæ iam tunc erant commendata. & quidem si Capita essent Ordinum; vt qui ea in commendam tunc obtinebant: infra sex menses illorum religionē profiterentur; vel illis cederent; aut aliàs ipso jure vacare censerentur. quanto magis nolit nunc monasteria Ordinum Capita commendari? ne vero vnquam fraus fieret; subreptitias declarauit prouisiones, si monasteriorum qualitas expressa non fuerit. d. autem c. 8. sess. 21. commendata monasteria visitari, & corrigi per superiores; & vbi non viget regularis obseruantia, etiam per Episcopos, tanquam sedis appostolicæ delegatos. & speciatim cura animarum, si qua illis, vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia rectè exerceantur. & propterea, vt ad commendam parochialem redeamus, notatur *in d. c. nemo. ac alibi passim* ab Interpretibus commendatarium parochū posse ac debere in populo diuinum verbum exponere, confessiones audire, aliaque ad curam animarum pertinentia Sacramenta ministrare. *Cuchus in Institut. maior. l. 3. tit. 6. n. 43.* quo titulo tam parochum quam reliquos commendatarios perpetuos assimilari veris prælatis docet. & quæ alioquin præstare possint, quæque eis competant specificè multa. *vt & alij moderni infra in fin. citandi.*

Nunc admonasteria quod attinet; si commendata fuerint, intelligitur cura commissa, vt religio & disciplina regularis conseruetur; vt vices præfecti itidem regularis suppleantur. sic *in c. obitum. dist. 61.* vacante ecclesia Panormitana Gregorius Barbaro Episcopo illius visitationem committit, & *in fin. monasteria autem*, inquit, *si quæ sint in ipsius constituta parochia sub tua cura, dispositioneq; quouscq; illic proprius fuerit ordinatus Epi copus, esse concedimus. sub cura*, inquit, *dispositioneque.* cura accipitur pro onere, siue prouincia alicui delegata. *ita Spigel. in lexico.* jurisconsultus *in. l. 1. de offi-*

1. Non diuturnæ.
2. Capitum Ordinum?
3. Perpetuæ olim ignotæ.
4. Post initum vetitæ.
5. Quales regulium?
6. Quid commissum commendatario parocho?
7. Quid regularis?

cio præf. verbi. curam carnis ad illum spectare dicit. Salomonius interpretans hanc legem *vers. & ideo forũ suarium sub ipsius cura est ; verbum*, inquit, *curæ hic pro sollicitudine, imperio, & iurisdictione intelligo: quia in magistratibus sic accipi solet.* dispositio, etiã vocabulum admodum generale est ; & quamcumque ordinationem comprehendit. vt si quid in monasterijs fuerit inordinatum, ordinare commendatarius possit: & quod agendum, faciendumue fuerit ; dirigere atque mandare, prout ex Iuris ratione, vel statutorum, constitutionumue Ordinis dictamine gerendum fuerit.

11. Quid cathedrali?

Ad cathedrales autem Ecclesias quod attinet ; ad earum proportionem dicendum est commendatarios in illis forte necessarios *iuxta c. 18. §. 24.* idoneos cum congrua fructuum portionis assignatione constitui debere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineant, donec eis de rectore prouideatur. de huiusmodi commendatario agit c. relatio. *cum seq. 21. q. 1. quidquid*, inquit, *de prædictæ rebus ecclesiæ, vel eius patrimonio, seu cleri ordinatione, promotioneue, & omnibus generaliter ad eam* (nota) *pertinentibus, solerter atque canonicè ordinare, facereque prouideris, liberam habebis* (*quippe vt sacerdos proprius*) *modis omnibus facultatem.* Cathedralis ergo commendatario libera competit de omnibus generaliter ad clerum pertinentibus canonicè disponendi facultas: id est secundùm permissa canonum. *quippe*, inquit, *vt sacerdos proprius*: comparatiuam voculam, *vt*, adiungit, quâ significat quemadmodum sacerdotem proprium, ita commendatarium ecclesiæ munera obire. vnde Interp. communiter iuerunt in hanc sententiã, vt quod ad officiũ pertinet, explere illud commendatarius possit, perinde atque titularis: id est, quæ ad ipsam administrationem pertinent. quod verò ipsos honores, aliaque quæ inde fluunt attinet, ad alias decisiones pertinet. vt iam supra monuimus à modernis infra citandis tradi multa vbique specificando, quæ hic longum nimis foret recitare. ad eandem rationem *in c. cum nobis, X. de elect.* constituitur procurator seu œconomus vacantis ecclesiæ Capuanæ, in *procuratorem*, inquit, *concedimus liberam administrationem ei tam in temporalibus quàm in spiritualibus committentes. & in c. ii cui. 42. de elect. in 6.* ea clausula explicatur. *ii cui*, inquit, *procuratio seu administratio cathedralis ecclesiæ, plena & libera in spiritualibus & temporalibus, a sede apostolica (cui hoc soli competit) est commissa, potest (alienatione bonorum immobilium dumtaxat excepta) omnia quæ Iurisdictionis Episcopalis existunt, & quæ potest electus exequi confirmatus, liberè exercere ; illa quippe quæ ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expediri.*

12. Solita diplomata.

Porro hodie commendarum diplomata, quamuis olim restrictioribus terminis expederentur; stylo laxissimo scribuntur. vt *Gomesium ad reg. cancel. de trienn. q. 5.* moderni passim notarunt. vt in aliam prorsus naturam à vetere migrauerint. adeòque Duarenus *De sacris ecclesiæ minist. l. c. 8. plenior*, inquit, *conceptio diplomatis pontificij, & mores vbique recepti faciunt, vt commendatarius non simplex custos, depositarius, procurator ue; sed dominus quodammodo habeatur. nam & procuratores in rem suam appellantur à iureconsultis, qui nihil minus quam procuratores sunt, & suum, non alienum negotium gerunt. & certum est huiusmodi procuratoribus fiduciarios istis dispensatores, de quibus loquimur, perquam similes esse, cum ipsis non ecclesia gratia, sed sua potius* (*vt recte quidam aiunt*) *administratio concedatur.*

13. Et speciatim Chassanæus *ad consuet. Burgon. tit. de mains mortes rubric. 9. §. 9. in Consilio ibidem inserto* docet ex amplitudine verborum styli hodierni huiusmodi commendatarios

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tarios assimilari veris prælatis. agit autem de commendatario Abbate, vbi ex stylo diplomati inserta fuerat hæc clausula, *de reditibus illius monasterij, fructibus & prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuersis liberè disponere & ordinare, prout veri ipsius monasterij abbates disponere potuerunt: curam & administrationem monasterij ipsi in spiritualibus & temporalibus committendo, ac faciendo sibi à conuentu obedientiam & reuerentiam debitas & deuotas, & seruitia & iura ab ijs debita exhiberi.* concluditque Chassanæus iura omnia loquentia de veris Abbatibus, habere locum in huiusmodi commendatarijs. *adeoque citat Bartholum, Andræam Siconium & Geminianum, sequiturque Gomesius. d. q. 5. & passim moderni.*

14. Iura omnia verorum prælatorum.

Ex his sequitur non esse facile respondendum ex veteris iuris ratione aduersus hodiernos commendatarios; qui cum tanta verborum amplitudine, canonum, & priuilegiorum derogatione constituuntur: nisi ipsarum commendarum literis penitus perspectis, vt de libertate & priuilegijs responsum est *in c. porro X. de priuil.* Quærere ergo an Abbas commendatarius habeat Iurisdictionem spiritualem; an, si abbatia sit matrix, habeat in filias non tantum vniuersim, sed & filiarum alumnos singulos; mediatam, an immediatam, non physicè aut philosophicè, sed moraliter, œconomicè, ac politicè: vt jure ciuili filium pater non tantùm habet in potestate, sed & ex eo nepotem, pronepotemque *Inst. de patria potest.* immediata potestate, quæ non competit patri, qui est in potestate: quamuis physicè nepos per patrem nectatur auo. vel quod si abbatia sit Caput Ordinis, an commendatarius, quamuis hodie per Trid. vt diximus vetitus, ex plenitudine tamen pontificiæ potestatis constitutus, iurisdictionem habeat generalem in Ordinem; in omnes, an singulas abbatias; vniuersos an singulos alumnos; mediatam an immediatam; cæteraque huiusmodi quærere, inquam, non proposito commendationis diplomate, frustraneum est. Sed obseruandum est quod Alexander III. Ambianensi Episcopo rescripsit in *d.c. porro. ex inspectione priuilegiorum plenius aduertere potes, & secundum quod inueneris, ita obserues.*

Nihilominus supposita, quam diximus, commendatariorũ hodiernorum ex styli amplitudine, generatim est dicendum eandem authoritatem, iurisdictionemque, quam haberet verus Abbas abbatiæ matricis & Capitis Ordinis, habere commendatarium, cui ea in procurationem & commendam est data cum clausula plenæ & liberæ in spiritualibus & temporalibus administrationis (vt hodie solet) idque disertè decisum est *in d. c. is cui quod suprà extensè recitauimus.* Et consequenter obedientiam & reuerentiam commendatario deberi, iuraque & seruitia consueta Prælato. nec tantùm expensas in administrationem necessarias, & congrua alimenta, & quanta Prælatus ex antiqua cum conuentu fortè partitione, Ordinis statuto, Pontificis determinatione: sed &, vbi hæc non sunt, fructus deductis arbitrio boni viri oneribus suos facit in vsus vertit. adeo vt etiamsi in malos verterit, non teneatur ad restitutionẽ. *Gomez. d.q.5.* fructus, inquã. nam ipsius rei immobilis est interdicta alienatio. *d.c. is cui.* cui stylus adiunxit & mobilis pretiosę. *Rebuff. de benef. l. 1. de commend. n. 13. Chassan. vbi sup.* Baunius *in prax. cã. l. 3. c. 3.* addit ex cõst. Pij V. & Greg. XIII. peculiũ morientis monachi; vt id à commendatario arripi nequeat, sed in rem monasterij verti debeat. Quibus omnibus de rebus, alijsq; id genus; nuncupatim in quibus commẽdatari veris titulatis æquiparentur, videri possunt

15. Iurisdictio & authoritas.

16. Fructus.

moderniores. (*Gomesius ad Reg. Canc. de triennal. q. 5. Cuchus Instit. maior. l. 3. t. 6. Azor. inst. mor. p. 2. l. 6. c. 31. Rebuff. de benef. l. 1. de commend. eod. lib. t. de deuol. Garcias de benef. p. 4. c. 4. & quos ille citat præsertim in fin. gloss. ad sanct. pragmat. de elect. c. licet ad V. causa. & paulo post. n. 9. Choppin. monastic. l. 1. c. 2. n. 3. de sacr. eccl. polit. l. 1. c. fin. n. 17. l. 2. t. 8. n. 12. monastic. l. 1. t. 1. n. 14. t. 2. n. 2. 3. l. 2. t. fin. n. 17. in fin. & eod. l. 2. t. 1. n. 9. recitat diploma Sixti V. in margine Innoc. VIII.* per *quod* priuilegio vetatur, ne in ordine Cistercienſi commendatarij vllam habeant iuriſdictionem, ſed ea redeat ad Patrem Abbatem: nec competat monachorum muneri taxatio, nouitiorum receptio, nec benedictio in monaſterijs; ſed ſuperioribus ordinis: caſſentur gratiæ expectatiuæ, reſeruationes, mandata, commendæ, nominationes, oblationes, vniones &c. alibi etiam alijs conceſſa memoratæ priuilegia, ne eorum monaſteria impoſterum commendentur. ſed priuilegia omnia ſuo pondere ſuperat decretum ſanctiſſimi Concilij Trid. *d. c. 21. ſ. 25. de regul.* quod ſecũ vehit dictamen Spiritus ſancti. ſed importunitates, & obrepentium artes etiã hodie huiuſmodi commendas extorquent, cum ampliſſimis omnium iurium ac priuilegiorum derogationibus: & ob plenitudinem poteſtatis pontificiæ his parendum eſt, niſi per obreptionem obtentæ declarentur; & admittenda ſunt quæ ſuprà diximus.

17. Commendæ monaſticæ à Concilio Trid. vetitæ.

RESPONSVM II.

De Regula Cancellariæ de triennali poſſeſſore.

PLures ſimul incurrunt difficultates in hanc cauſam. nam quamuis dicatur litem ſuper poſſeſſorio motam non reddere beneficium litigioſum; *Rebuff. in prax. ben. l. 2. de ſubrogat. n. 31. ex Rota & Caſſador. deciſ. 4. vt lite pendente,* quaſi poſſeſſio nihil commune habeat cum petitorio: & vt quis non dicatur pacificus, litem moueri exigatur ſuper ipſo titulo; *Innoc. in c. cum M. Ferrarien. X. de conſt. alij in c. 1. & 2. vt lite pend. in* 6. adeoque ſuper proprietate, ac petitorio iudicio: tamen regula noſtra exigit pacificam poſſeſſionem; atque ex titulo; adeoque vtrumque coniungit, & titulum & poſſeſſionem. ſi cui ergo lis moueatur in poſſeſſorio, vtique non pacificè poſſidet. eòque magis quod iudicia beneficialia poſſeſſoria tractari non poſſint ſine conſideratione petitorij, quia in ſpiritualibus poſſeſſio eſſe non poteſt ſine titulo, ſaltem colorato, & apparenti. *c. 1. de reg. iur. in* 6. & ſic poſſeſſio litigioſa facit poſſeſſorem beneficij non pacificum. *Molin. tract. de annal. poſſ. n.* 132. ideoque ſi labitur trienniũ durante lite poſſeſſoria, etiam ei cui poſſeſſio adiudicatur, non prodeſt tempus antè lapſum.

Sed an proſit quod exinde labitur, an verò dicendum ſit exſtitiſſe ſemel conditionem, ac litem fuiſſe motam? eoque quamuis exinde ſine alia lite labatur triennium, ſine lite non poſſediſſe? arg. *l. ſiquis. C. de Inſtit. & ſubſtit.* & dicendum eſt prodeſſe: *Paon. ar. lib. 8. t. 9. ar. 2. & 3.* (& ad hoc applicant plures illa verba regulæ *de poſſ. trien. antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.* quorum alioquin quàm obſcurus ſit ſenſus, videri poteſt ex ijs, quæ habet Alphonſ. *ad d. regul.*) & d. l. ſiquis procedere in ijs, quæ ſemel accidere: quia non exigit numquam litem motam fuiſſe; ſed non à triennio. & ſic Concilium Baſilienſe litem non tantum fuiſſe, ſi aliquando; ſed pendentem exigit. & quoniam iure canonico nunquam perit inſtantia; *c. pen. X. de iudic.*

iudic. & sic pendere lis semper intelligitur, exigit vlterius litis prosecutionem. *lis autem*, inquit, *hoc casu intelligatur, si ad executionem citationis, iurisque sui in iudicio exhibitionem, ac terminorum omnium obseruationem processum fuerit.* vbi glossa *pragm. sanct.* dura esse ea verba dicit; & egere declaratione. quia ea verba *omnium* nihil excludunt: & sic ex eorum rigore processum esse oporteret vsque ad conclusionē causæ: postquam partes non amplius audiuntur: *c. dilectus de fid. instru. c. pastoral. de caus. poss. & prop.* cùm alioquin nulla præscriptio non interrumpatu per contestationem: *l. more. C. de rer. vend. l. pen. ne de stat. def. c. illud X. de præscript. & ibi DD.* ideoque Charondas *respons. l. 1. r. 37.* saltem litis contestationem *iuxta l. vnic. C. de lit. contest.* requiri ait, nec sufficere citationem. eiusque defectu triennalem possessorem molestari deinceps vetitum pluribus arrestis, quæ refert. sed & hoc durum in eo, qui diligentiam quam potuit, exhibuit. v. c. malitiosi multi de competentia iudicum, de suspicione, de alijs tricis altercantur improbè: & quamuis damnentur in expensas; magnum tamen lucrum fecerint, si beneficium obtinuerint: quasi lite in causa principali non contestata. & ideo Concilium Basilien. neque de contestatione mentionem facit; sed terminis: & quidem *lis*, inquit, *in hoc casu intelligatur*: ideoque significat se aliquid noui, seu speciale statuere. nam regulariter lis induci, & pendere dicitur ex sola citatione. *clem. 2. vt lite pendent. & d. l. vni. C. de litis contest.* res in iudicium deducta dicitur per litis contestationem: quia non ante iudicium videtur induci. sed lis à iudicio etiam differt. *c. forus. X. de verb. signif. l. litis nomen. 36. & ibi Alciat. & quæ ibid. citat. D. de verb. signif.* & quia dicimus litem contestari; etiam iam ante litem esse

4. Quousque?

significatur. vt non quidem hoc casu sufficiat citatio; sed prosecutio per omnes, vt fieri potest, terminos; non tantùm exceptiones dilatorias: *vt quidam in d. gloss. pragm. sanct.* sed etiam contestationem, aut aliam diligentiam, quæ fieri potuerit ex circumstantijs, & Iudicis arbitrio. Vt in hac causa finito etiam possessorio, post plurium annorum diligentiam, vix decisum est super Iudicis competentia, per recursum ad Cancellariam pro cassatione; & rescripti controuersia, ob omissum Ordinarium; tanquam partem aut suspectum, seu aliàs.

5. An hic non fit lis perpetuata per libellum Papæ oblatum?

Sed & quæri potest an perpetuata hîc non sit causa per libellum Pontifici oblatum? *ex l. 1. C. Quando libellus Principi oblatus litis contestationem faciat*: adeoque cùm Iudex Ordinarius hic Iudex esse non potest: Papa aditus vt alium delegaret, negotio explicito, censenda sit lis inducta, imò contestatio; ad effectum perpetuationis, aduersus triennium huius regulæ? præsertim dum citatus incertum haberet domicilium. sed d. l. vnic. nec libellum Principi oblatum, nec parti notificatum ad contestationem sufficere ait: & l. 2. *C. quando libell. Princip.* decidit d. l. 1. locum solùm habere, vt per libellum perpetuetur actio anno peritura, non quæ diuturniorem præscriptionem exigit, adeoque non hæc triennalis. & verò orator qui aduersario absenti, aut incertas sedes habenti diem dicere non potuit, de eo protestari debet. *l. 2. D. de naut. fœnor. l. 2. C. de an. except.* & Concilium Basilienſe de impeditis disertè sic statuit; *excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti; de quo protestari, & illud iuxta Concil. Viennen. intimare teneatur.* refertur illud *in Clement. causam de elect.* vbi *in §. quod si forsan* præscribitur forma appellandi tali casu; intimandi, & protestandi: qualis diligentiæ hic nulla forma

6. Impedito quid agendum ne aduersarius fiat pacificus?

seruata est. At verò obligat quidem Concilium Basil. ad formam illam; sed non addit omissionem vitiare exceptionem impedimenti. sed quia relata d. clementina inest referenti Concilij decreto; sequitur idem effectus, qui clementinæ: quæ ait *§. pen. & fin. intimatio aliter facta omni careat effectu.* idemque iubet seruari casu, quo intimatio aliqua facienda aduersus absentem, aut qui sit difficilis conuentionis. *& ita gloss. ad d. pragmat.* atque adeo Clementina hic obtineret, quamuis Conc. Basilienſe non vigeret.

An ergo rescripti omnis effectus euanuerit quod non habuerit executionem citationis, nec desegato illud præsentetur, aut citationis decretum petitum sit intra triennium à sententia in possessorio lata? & dicendum est euanuisse, quantum est ex defectu litis ab actore motæ, & debitè prosecutæ, nisi aliud doceretur.

7. An lis ab alio mota tertio profit?

An autem quod Actor neglexit ipse prosequi, iuuari possit ex prosecutione per tertium facta, qui collationem hic habuit à patrono, seu collatore Ordinario? qui adhuc in lite est possessoria aduersus citatum? Gomes. *ad reg. de triennal. q. 22.* prodesse ait, tertij prosecutionem: idque semper tenuisse Rotam: contrarium censet gloss. *ad pragmat. sanc. verb. terminorum. §. quæritur an motio litis.* eam propugnauit Rebuff. *de pacif. poss. n.* & apud Papon. *arest. l. 8. tit. 9. arest. 7. & 8.* pluries refertur pro hac sententia iudicatum. & sic sentit Chokier *ad d. reg. de trien. n. 85.* & *ad regulam de surrog. n. 35.* quando saltem vnus ab altero causam non habet. quia talis possessor molestari non debet per agentē ex iure tertij: quoad agentem liberas ædes habet; atque præscripsit: vitium litigij personale esse, beneficium non afficere contenditur: decretum Concilij Basilienſis, atque adeo hanc regulam cuiusque negligentiam punire. Et vero in controuersijs omnibus summum punctum ferre debet finalis ratio legis. atque adeo cùm ea hic sit, vt è medio tollantur, quantum fieri potest, lites beneficiales, per quas cultus diuinus, & ecclesiarum cura negligitur; is finis magis obtinetur, si pacificus quis esse intelligatur respectiuè ad actorem, iuxta legem *loci §. competit. D. si seruitus vendicetur.* adducitur etiam lex *7. §. 7. D. quibus ex caus. in possession. eat. lex qui precario, D. de precar. lex 1. §. 1. D. de litigios.* & ipsa Concilij verba, atque etiam d. regulæ in personam concepta sunt: *quicumque pacificè & sine lite possederit*, & iterum; *lis intelligatur si ad executionem citationis, iurisque sui* (nota) *exhibitionem, ac terminorum omnium obseruationem processum fuerit*: ita Concilium. exigit ergo citantem & exhibentem iura sua, & omnes consecutiuè terminos obseruantem, vtique suæ quemque litis. in quo si actor defecerit, pacificè & sine lite intelligitur esse possessor: quamuis alia ab aliis patiatur. Neque verò regula fauet possessori propter illum: sed minuendas lites, & ecclesiarum damna: odit tergiuersantes, & triennio excludit; quamuis potiori iure nixos. vnde & quandocumque aduersarijs exclusis inquiri in possessorem ab Ordinario iubet Concilium. adeoque interpretatio ea regulæ accipienda est, quæ cum fonte suo conuenit: fauet ecclesiæ, & cultui diuino; summa ratio est, quæ pro religione facit. *l. sunt personæ. D. de religios.* ac indubio pro illa est iudicandum. *c. fin. & ibi DD. X. de sentent. & re iud.*

Sed restat videre an in nostro possessore triennali sit aliquis defectus tituli, aut coloris? & imprimis prouisus est ab Ordinario aduersus prohibitionem c. fin. *ne lite. pendent. in 6.* ne lite inter aliquos pendente, altero moriente, noua prouisio fieri possit, quam diu

aduersus superstitem lis finita non sit: *ne propter nouos*, inquit, *aduersarios, qui malitiosè interdum petitoribus surrogantur, litigia in ecclesiarum dispendium prorogari contingat.* aduersus quam iuris prohibitionem nihil potest Ordinarius, præsertim obstante decreto irritante d.c.fin. *quod, si*, inquit, *secus factum fuerit eo ipso irritum habeatur.* eademque ex causa nata est regula Cancellariæ, *de subrogandis collitigantibus*: vt, si intrusus non fuerit, à Papa superstes mortuo subrogetur: nec valeat alijs facta surrogatio: nisi fortè post mensem: quando tertius subrogari in illo potest.

6. Papa tamen potest surrogare.

Surrogari, inquam; nam regula Cancellariæ non vlterius recedit à prohibitione d. c. fin. at hic Ordinarius non surrogauit; sed simpliciter collationem, seu prouisionem fecit personatus; tanquam vacantis per obitum d. G. amplius iuris prohibitioni contraueniens, quàm vel soleant ipsi Pontifices.

10. Ratio intrusi prohibitionis.

Quorum ratio est, vt vitetur vel malum ipsum, vel illa species mali, quo aliquis instituitur in beneficium viuentis; si fortè superstes iustum habeat titulum. cui malo, præter nullitatem, adiecta est excommunicatio *in c. 1. X. de conces. præb. non vacant.* vt ne quidem hanc speciem admittat Pontifex *in c. 4. X. eod. quamuis secundum*, inquit, *plenitudinem potestatis de iure posimus supra ius* quod non potest Ordinarius. *clement. 2. de elect. c. cum inferior. de maior. & obedien.*

Cùm ergo hæc citati collatio non tantùm nullitatem, sed & speciem mali secum ferat; vt pro titulo videri non possit esse collatio; quæ si non crimen, seu malum ipsum; speciem saltem mali inuoluit: sequi videtur hunc possessorem triennali regula non iuuandum. *& ita tenent citati à Mandes. ad reg. 21. q. 12. & ad regulam de triennal. vt citat Chokier ad eandem reg. de trien. n. 82. in fin.*

11. Quæ mala iure aut specie mali reprobe.

Alter defectus argui posse videtur ex eo, quod regula Cancellariæ, dum titulum exigit, *ex apostolica*, inquit, *vel ordinaria collatione, seu præsentatione, & institutione illorum ad quos beneficiorum huiusmodi dispositio pertinet*: & propterea Legati extra fines suæ legationis, Episcopi extra fines suæ diœcesis fiti beneficij collatio non tribuit colorem. adeoque & quando notorium est ad Episcopum beneficij dispositionem non spectare, colorem non videtur tribuere Episcopi collatio, secundùm mentem regulæ, quæ exigit concessionem illorum, *ad quos ea pertinet.* ideoque illa verba *Apostolica, vel ordinaria collatione* significant non Episcopi; sed ordinarij collatoris prouisionem. quemadmodum & illa verba, *præsentatione, & institutione illorum ad quos pertinet*, exigere videntur vt in beneficijs patronatui subiectis præsentatio & institutio adsit. quoniam Episcopi prouisio neglecto patrono fit irrita. *c. 14. X. de iur. patronat.* tamen, nisi patronus infra sex menses reclamauerit, valida manet Episcopi ordinatio. *tot. tit. eod.* ideo magis per triennium pacificè sic possidens & colorem habere, & non molestandus esse censendus est. *Chokier ad d. reg. post Wamesi.* neque, par esse videtur causa, vbi ad aliū quam Episcopum collatio, & dispositio omnis notoriè pertinet; quippe, qui ius nullum habet, in alium transferre nullū potest: qui colorem iuris non habet, in alium transferre non potest. ideoque violentus ille censendus est, qui sine vllo titulo occupat, aut colore; quem reijcit Concilium Basilienſe. & sine titulo: quem exigit regula. aliud dici potest in eo, qui ius quidem habet prouidendi: sed impedimento aliquo illud sistitur. nam vel cessare illud potest, vel ignorare prouisus: & propterea bona fide triennio præscribere. adeò vt per regulam post

rat, quæ regulæ beneficium excludit.

12. Vt & facit defectus iuris conferentis, si nullatenus ad eum pertinet.

13. Non si impedimentum tantum alius quod ius alias habenti obsit.

triennium ius acquirat. *vt Alphonſ. add. reg. apud Chokier n. 18. & ſeqq. quod Azor. t. 2. l. 7. c. 25. q. 8. poſt Rebuff. Nau. & alios ſequitur*, etſi Chokier n. 76. *diſſentit.* cui autem notorius tituli defectus obſtat, non eundem videtur mereri fauorem. *Chokier ad reg. de trien. n. 289. & ſeqq.* & ſi in poſſeſſorio ab aduerſario ne malæ quidem fidei poſſeſſorem moleſtari velit. *n. 76. & ſeqq.* quamuis in petitorio. quia mala fides à regula non tam conſideratur, quàm pacifica poſſeſſio. *Comeſ. ad d reg. q. 22.* & expreſſè à Concilio Baſilienſi. vbi propterea diſtinguit inter aduerſarium, & Ordinarium. ſed quia regula illam diſtinctionem non expreſſit, videri poſſunt argumenta Alphonſi in non notoriè nimis inualido, aut crimineſo titulo non male procedere.

14. An ſic prouiſo ius in beneficio per lapſum triennij acquiratur?

Jnſuper arguitur; quod à vacatione perſonatus lapſi ſint annus & menſes nouem; & propterea non tantum fuerit ius ad Sedem Apoſtolicam deuolutum *c. 2. X. de conceſſ. præb.* ſed etiam ipſe Ordinarius poſt lapſum ſemeſtre conferendi iure priuatus. *c. ne pro defectu. X. de elect. in verb. eligendi poteſtate careant illa vice c. literas in verb. quod ſecundum tenorem Concilij Lateranenſis eſſent iure inſtituendi priuati. X. de ſupplend. negligen. prælat. c. dilecto eod.* vbi prouiſus poſt ſemeſtre alteri damnatus eſt. *c. licet. eod.* vbi duo reiecti ſunt, tam ab Ordinario, quàm ſuperiore poſt lapſum cuiuſque tempus prouiſi. & Innocentius III. ſibi ius prouidendi vindicauit. tametſi idē *in d. c. literas* beneficia idoneis aſſignata, Legato ſuo ea *de patie ntia*, inquit, *permittatis ab ipſis pacificè poſideri.* ſed toleratum id fuit *dep a tientia.* ſed quia tam prælati quam Capitula, vt ibi refertur, id fecerant; & cùm eſt multitudo peccantium tolerari patienter ſoleat: ideo eo in caſu Pontifex Legato patientiam indixit, quam ipſe *in d. c. dilecto. & in c. licet.* non habuit. & quamuis non vocetur ibi reſeruatio hæc deuolutio; tamē effectu coincidit, quia nō licet alteri præter Sedem Apoſtolicam diſponere. & verba non tam ſunt conſideranda, quam mens legiſlatoris. Sed an mens hic ſit in patientia tolerare, *iuxta d. c. literas* accedente triennio; an ius Sedis Apoſtolicæ non negligere; *iuxta d. c. licet.* magna eſt ratio dubitandi. & vt regula non ſuffragetur, facit; quod indulgentia in non puniendo præterita facilior eſſe debeat; quàm in lege ferenda de futuris: ne illa ſit incentiua malorum. cui accedit quod d. regula excipiens reſeruationem generalem in corpore iuris clauſam, non videatur ſenſiſſe dumtaxat de illa vnica, quæ refertur *in c. 2. & 34. de præb. in 6.* de vacantibus in Curia, vel apud Sedem Apoſtolicam: quam interpretatur d. c. 34. alioquin enim claro & vnico verbo potuiſſet explicari, *dummodo in Curia vel apud Sedem non vacuerint.* & hęc regula Cancellariæ nata eſt pro ea parte ex decreto Concilij Baſilienſis, quod tollens generales & particulares reſeruationes, excepit reſeruationes in corpore iuris expreſſè clauſas; vt pluralitatem intelligat. neque alia tam illi potuit eſſe probata, quàm illa deuolutionum, quam Concilium Lateranenſe induxit: ſicut alterum expreſſè probauit Clemens *III. d. c. 2. §. nos itaque laudabilem.* adeoque videri poteſt Concilium Baſilienſe pluraliter loquendo, inhærere voluiſſe d. Conc. Lateranenſi. vt illa verba regulæ pluraliter prolata, non ſint referenda ad aliquem errorem; vt facit gloſſator Alphonſus; ſed ad fontem regulæ, d. Concilium Baſilienſe.

15. An poſt ius ad ſedem apoſt. deuolutum collatio ab Ordinario facta titulum aut colorem tribuat?

Corpus quidem iuris in regula intelligitur, vt comprehendat Decretum, Decretales, Sextum, & Clementinas, tanquam Pontificum authoritate probatas pridem, vel compilatas. Extrauagantes autem,

tem, quamquam ab impressoribus volumini adiungantur; id nominis creduntur adeptæ, quod extra corpus iuris vagentur; saltem corporis illius nomine non comprehenduntur. vt etiã fere loquuntur Concordata Germaniæ, in verbis *placet vti iuris scripti reseruationibus, & Execrabilis & Ad regimen constitutionum modificatis vt sequitur &c.* & d. Conc. Basilienſe tam generales, quam speciales reseruationes, siue per *Extrauagantes*, inquit, *Ad regimen & Execrabilis, siue per regulas Cancellariæ, aut per alias Apostolicas constitutiones introductas, hac S. Synodus abolet, statuens vt de cetero nequaquam fiant, reseruationibus in Corpore iuris expressè clausis dumtaxat exceptis.* vt cum Concilium Basilienſe deuolutorum beneficiorum reſeruationem admiserit; verisimile nõ videatur Pontificem per regulã Cancellariæ voluisse excludere. cùm ob d. decretum Concilij Basilienſis magno studio vbique acceptatum, & defensum, tantæ mox motæ fuerint difficultates, & tanta contentione Sanctio pragmatica Galliæ, quæ illud acceptauerat, abrogata; & Concordata tam Galliæ, quam Germaniæ tanto labore confecta, vt sanè d. regula Cancellariæ, quatenus dubia sit, interpretationem capere debeat ex ratione d. Concilij Lateranenſis, & Basilienſis. adeoque dicendum videatur, sub exceptionem reseruatorum in d. regula venire beneficia ad Sedem, seu Curiam Romanam deuoluta, & cùm de ijs aliter prouideri non possit, quam ab eadem Sede, nec præstet impedimentum quod de iure non sortitur effectum, vacare adhuc intelligenda sint, & ad eam deuoluta, ibidem vacare: & sic incidere etiam quadantenus in ipsam reseruationem *d. c. 2. de præb. in 6.*

18. Extrauagantes non comprehenduntur.

In contrarium autem facere videtur quod Concilij Lateranenſis decretum sit punitorium negligentiæ collatorum: vnde in locis citatis *carere & priuari* dicuntur, & non sub nomen & regulam reseruationum curialium vocandum. vt propriè reseruata non sunt sic deuoluta. *Chokier ad d. reg. de trien. n. 71.*

19. Iterum deuolutio an sit reseruatio hic?

Deinde etiam illa reseruatio vacantium in Curia, quamuis à Clemente *III. in d. c. 2.* laudetur; tamen Concilium Lugd. generale sub Greg. X. *in c. 3. ibid.* restringit, vt nisi intra mensem à vacatione in curia de ijs dispositum fuerit, Ordinarij collatores ea conferre possint: ideoque & hic post annum & menses nouem Ordinarius possit conferre, quasi post suum semestre etiam altero in curia lapso, & amplius. sicut Concordata Germaniæ in beneficijs in mense Apostolico reseruatis vacantibus extra curiam, habent; vt post lapsum trimestre ab Ordinario conferri possint. quæ quidem æquitas est Concordatorum. sed præter parochiales ecclesias vacantes in Curia, vacante papatu ad Ordinarijs possunt conferri. *c. si ad Apostol. de præbend. in 6.* iuris rigor est, ne in alijs reseruationibus id locum habeat. *Franc. ad d. c. 3.* nec vmquam Ordinarius potest se ingerere: *Ioan. And. ibid.* cùm Papæ nemo tempus præfigere possit, nec sibi præfixerit. sed an non præfixerit per d. Reg. de triennali? & ob eandem causam quæ mouit Lateranense Concilium ad inueniendas deuolutiones ad Sedem Ap. Pontifex motus in regula non sit ad admittendas ab ea reuolutiones, accedente triennio?

Denique decreta Concilij Basilienſis separata sunt, & vnum quidem admittit reseruationes in corpore iuris clausas; alterum, quod de triennali pacifico agit, non excipit à beneficio possessionis triennalis prouisum ab Ordinario, in casu huiusmodi reseruationis; sed quoniam hic vtimur nunc regula, in qua illa exceptio est

est expressa; non possumus in exceptione ab illa recedere: sed tantùm quærere, vtrùm sub illa lateat deuolutorum ad Sedem Apostolicam reseruatio?

Porro Concilium Basilienſe permisit Ordinarijs quandocumque inquirere in possessores beneficiorum. quod si æquum sit post triennium; tunc videbitur maximè recipiendum; quando non se tantùm offeret aliqua tituli nullitas; sed etiam in titulo ipso malum, aut species mali; & expressa iuris repugnantia. quare, vt suprà diximus de collatione lite pendente, dum alter litigantium mortuus est, tertio facta id obtinere potest: vt Iudex ex officio de eo inquirat; & cùm ita est, id quod proponit d. Concilium Basil. faciat.

20. Regula non videtur debere obtinere vbi præter tituli nullitatem est species mali.

Cæterùm sicut initio diximus litem in possessorio motam impedire ne quis fiat in petitorio pacificus; ita super regula de triennali si in possessorio est iudicatum, tollere causam petitoriâ ait Baunius *in Prax. can. lib. 3. c. 34.* vtique si super ea disertè iudicatum sit possessorem fuisse triennalem, pacificum, cum titulo colorato. nam regula nec in possessione, nec in proprietate vult talem molestari. parere autem exceptionem rei iudicatæ sententiam in vim regulæ latam, quamuis diuersa sit proprietas & possessio, ideo dicendum est; quod de causa exceptionis tam possessioni quam proprietati communi iudicatum sit. adeoque idem dicendum sit, si sententia in petitorio lata transiuit in rem iudicatam, iam non posse possessorium instituí; obstante similiter exceptione rei iudicatæ. alioquin si super regula iudicatum non sit; non nascitur exceptio rei iudicatæ. quia de illa nondum est quæsitum. *l. 1. C. si ex falſ. inſt.*

21. An super regula tes iudicata in possessorio, pariat exceptionẽ in petitorio?

RESPONSVM III.

A quo tempore computandi sint 20. dies in Reg. Canc. de infirmis?

QVæstionem non parum controuersam faciunt ea, quæ tradunt Ludouicus Gomez *ad. reg. de infirm. resignant. q. 29.* & quæ in contrarium Modernus Paris. *ad eandem regulam in princ.* Rebuff. etiam *in prax. benefic. lib. 3. ad eandem regulam gloss. 10 n. 2. gloss. 12. n. 1.* admissionem exigit: sed tamen. *n. 4. 5. 6.* tempus resignationis considerat; secus quàm Modernus, qui admissionis dumtaxat. quasi ante nihil actum censeatur. Cæterùm Azor. *Inst. mor. 2. 2. lib. 7. c. 28. q. 7. quæritur*, inquit, *à quo die computandi sint viginti illi dies, à regula præscripti? non est dubium computandos esse à die quo resignans præstitit consensum: hoc enim in regula ipsa exprimitur.* quod quidem est verum; sed an consensus ille cum effectu sit intelligendus, vt sit admissus & acceptatus à collatore, non exprimitur; nec quando ritè sit præstandus. cùm Rebuffus. *d. gloss. 10. n. 6.* secundùm stylum Romanum tradat resignationem prius esse faciendam, & postea consensum præstandum.

Enimvero secundùm ea, quæ hîc proponuntur, resignatio & consensus præstatio satis perfectæ videntur, per ea quæ gesta sunt coram notario, & testibus, atque Capitulo, collatore *die 28. Sept. 1639.* & verò si resignatio facta sit, & supplicatio Papæ exhibita sine mandato, aut saltem solemni; seu non nisi per literas familiares data; vt Romæ à festinantibus sæpe fieri solet; & postea in forma solemniter præstari consensus; tum videntur illa verba, *à die præstiti consensus*, etiam rem dubiam facere.

facere. cæterùm ea verba fortè, ex inductione prædicti styli, per posteriores Pontifices adiecta sunt: Innocentius autem VIII. edidit regulam simpliciter sub his verbis; *vt refertur in Comment. Chokier ad reg. Cancell. cum glossemate Alphonsi; Item voluit quod si quis in infirmitate constitutus resignauerit aliquod beneficium siue simpliciter, siue ex causa permutationis, & postea infra viginti dies de infirmitate decessit &c.* vbi disertè ab actu resignationis viginti dies computandi decernuntur; sed actu illo quidem, qui fit coram superiore, seu collatore; non autem notario. vt rectè Modernus *n. 5.* cùm ille nullam recipiendæ resignationis à iure facultatem habeat. adeoque in themate veniunt computandi dies viginti à tempore actus primò gesti in Capitulo, die videlicet 26. Sept.

Rectè quidem Modernus, alijque contendunt resignationem, nisi à superiori admittatur, non exuere possessorem ipso beneficio; adeòque eo sine admissione mortuo, beneficium non posse non censeri vacare per obitum: quia, vt id verum sit, ex eo inferri non potest in casu subsecutæ admissionis dies non esse computandos ab actu resignationis, vt statuit regula; sed ab actu admissionis. quia hæc separata sunt. in qualibus iure non procedit argumentatio. adeoque cùm in casu proposito subsecuta sit Capituli admissio; sumus in casu regulæ, de resignatione & collatione loquentis; & dies à resignatione, non collatione, computantis.

Vt omittamus contingere posse, vt resignatio rite fit facta, eique debeatur admissio, vt *in c. vn. de rer. permutat. in 6.* decisum est de permutationibus (vt hic à secundis commissarijs relatum est debitam fuisse) etsi collator fraudandi causa cunctetur. quando æquum erit admitti regulâ. ne sit in potestate collatoris cunctando eludere resignationes & permutationes legitimas. *contra d. c. vn. de rer. perm. in 6.* sed mora sua cuique sit nociua: *nec imputetur ei; per quem non stetit admissio, qui fecit quod per eum fuerat faciendum*: adeoque & permutatio explenda sit, etiam per superiores via appellationis, seu alia: quando irrationabiliter collator fuit morosus. & superstiti conferendum est beneficium; ex permutatione debitum, ex facta resignatione à defuncto post 20. ab illa dies, prout Modernus *vbi sup. n. 7.* regulam admittit, etsi collatio non sit secuta: quod ampliando illa de collatione loquatur. quod & de admissione dicendum foret: si & de ea fieret in regula mentio. non tamen ideo perueterteret computum ab actu resignantis ineundum, vt decernit regula. præsertim dum ratio regulæ, atque anima illius, magis militat in actu resignantis, quàm admittentis: scilicet suspicio fraudis, & successionis quasi hæreditariæ: quam meditetur moribundus. quæ tamen suspicio tolli censeatur si mors non tam sit vicina: sed vltra 20. dies absit ab actu moribundi resignantis. cuius fraudes coërcere, & præiudicium Papæ, aliorumque collatorum auertere, est intentio regulæ. adeoque illa dimensionem recipit ab actu resignantis, moribundi: non alio.

3. An retrotrahatur admissio?

Ex quibus dicendum est ad alteram quæstionem, an admissio superioris retrotrahi possit ad tempus resignationis? hic opus non esse aliqua retrotractione. quam etiam Modernus, *vbi supra n. 4. in fin.* non admittit. *admissio* inquit, *superioris non potest retrotrahi: nec valere vt ex tunc; sed tantum vt ex nunc.* idque meritò dicendum est. quoniam retrotractio est quædam iuris fictio: neque hanc inuenimus in hac quæstione à iure expressam. imo in iure satis dicitur *c. admonet. c. quod in dubijs. c. vlt. in verb. cum cedere sine licentia nostra nequi-*

quiuerit. X. de renunc. in beneficialibus omnem dispositionem dependere à superiori : & propterea etiam hoc tempus potissimum esset considerandum, quod complectitur actus substantiam : *Tusc. in verb. retrotrahi quando dicatur actus conc. 399.* & sic tempus admissionis ; nisi in regula aliter esset expressum, quoad computum dierum : vt ex primordiali Innocentij VIII. regula mox ostendimus, cuiusintentionem non mutasse dicenda est aliqua interpolatio obscurior secutorum Pontificum. neque verò est nouum posteriorum constitutionum sensum ex prioribus elici aut firmari: neque super solo resignantium actu, sine superiorum interuentu, aliquid decerni ; *vt in d. c. admonet. & in d.c. quod in dubys.* adeoque hic à solo resignantium actu in manu superiorum facto dies 20. computari ex odio talis actus.

De Institutionibus.

RESPONSVM I.

Dispensatus super ætate quoad ordinem, an eo nondum accepto promoueri possit ad præbendam, cui ille est annexus?

QVæsitum est an conferri possit vacans in ecclesia Cathedralis A. canonicatus, & præbenda, cui annexus est ordo diaconalis H. dispensato à Pontifice, vt quando ei tantùm deerunt tredecim menses promoueri possit ad diaconatum; & nunc ea ætate est, vt intra annum in vim huiusmodi dispensationis diaconatum suscipere possit?

1. Pro negatiua. Non posse suaderi videtur *ex c. 4. s. 22. Concily Trid. in verb. nec alijs in posterum fiat prouisio, nisi ijs, qui iam ætatem, & cæteras habilitates integrè habere dignoscantur: aliter irrita sit prouisio.* & Clem. *vt ij de ætat. & qualitat. ibid. innouata. c. 12. verse. minem eod. Conc. Trid.* adeò vt & dispensatio, per quam huiusmodi qualitati derogatur, subreptitia videatur haberi à *c. 5. s. 25. eiusdem Concilij.* quodque dispensatio quæ contra ius est strictè sit interpretanda. *c. 1. §. fin. de fil. presbyt. in 6.* adeòque concessa ad vnum ordinem, non ad alium. *DD. in c. fin. ibid. & Sanches de mat. lib. 8. disp. 1.* & sic concessa pro diaconatu non ad subdiaconatum ; & ad ordines suscipiendos concessa ad canonicatus & præbendas non sit extendenda. sed omnis extensio sit prohibita. *vt latè Sanches d. disp. 1.*

Posse autem videtur probari ex *d. c. 4. in verb. teneantur infra annum ordines recipere requisitos. & d. c. 12. s. 24. d. Conc. in verb. in Cathedralibus neminem ad canonicatum recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa præbenda requirit ; aut in tali ætate, vt infra tempus à iure, & à hac sancta Synodo statutum. (scilicet d. c. 4. & c. 12. s. 24.) initiari valeat.* vt Concilio sufficiat habere ætatem, qua intra annum promoueri possit ad ordinem requisitum: eamque ætatem requirere videtur non propter se ; sed propter ordinem; eiusque functiones: quas enixè requirit d. c. 4. & propter quas ordo exigitur. si igitur ordo & functiones haberi possint per dispensationem ; non videtur in considerationem venire ætas tanquam medium ordinarium relata d. c. 4. & 12. cùm extraordinario medio haberi possit idem finis.

Pro illa.

Neque verò dicendum est dispensationem extendi à facultate recipiendi ordines ad præbendam: sed legem communem conciliarem d. c. 4. & 12. eam interpretationem admittere, vt in quo finis Concilij obtinet, verba non attendantur, sed præ his valeat anima, & voluntas legis.

Quoad verò ordines; omissa il-

la

la disputatione, quam tractat Sanches *vbi sup. n. 26.* tanquam huc non pertinente, dicendum est dispensationem concessam in maiori Ordine; inclusam habere dispensationem in minori. *Sanches ibid. n. 35.* vt partem numerumue minorem in maiori. vt qui promoueri potest ad diaconatum quando ei tantùm deerunt tredecim menses; iam tunc promoueri possit ad Subdiaconatum. quia qui concedit subsequens: permittit antecedens. & quidem illud iuris Ordine seruato: adeoque, ne aduersus titulum *de clerico per saltum promoto*, ordinetur. cùm vel sola notitia minoris ætatis cum promotione ad magistratum inuoluat legis relaxationem, *l. 57. vers. fin. D. de re iud.*

3. An statutum in Cathedrali olim factũ dum collegiata esset vt tantùm teneretur ad ordinem promoueri acepta residentia illum capacem faciat?

Quæsitum insuper est, cum d. ecclesia A. iam ante erectionem in cathedralem statutum habuerit, vt quilibet intra annum, à die primæ residentiæ computandum dumtaxat, debeat promoueri ad ordinem præbendæ suæ annexum; & aliud statutum; vt prædecessori cedat annus gratiæ post eius mortem: an ideo sic dispensatus capax collationis sit? quod ad primam residentiam non teneatur in anno gratiæ; quia fructus non sit habiturus: an verò statutum cesset, per d. c. 4. & *c.* 12. §. *neminem*, tam qua parte derogat priuilegijs, quàm qua ætatem requirit, vt mox aut intra annum à collatione ordinem annexum recipere debeat? & quidem quod attinet ad priuilegium, cui d. c. 4. derogatur, personale illud esse videtur, de quo ibi agitur; non ecclesiæ concessum: vt patet ex verb. *quocumque ij* (nota) *priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate sint insigniti*: & pleniùs ex d. clem. *vt ij. quam refert & innouat ibidem*: *in d. vero §. neminem.* qui propriè huc spectat, non derogatur quidem priuilegijs & statutis ecclesiarum; sed decernitur vt habeant cononicatus athedrales ordinem sacrum annexum, quamuis antè non haberent: vt non tam quid corrigat; quàm de nouo id statuat: quod adeoque in d. ecclesia A. obtineat. Verùm stante d. secundo statuto (qua de re hîc non est quæstio) cùm ex facto seruetur, & prouiso obsit, datur sic prouiso impedimentum, quo minus promoueatur, scilicet ad residentiam non veniat; cùm fructibus gaudere non possit, ac interim non censeatur pacificus: & ante possessionem pacificam non teneatur ad onera: atqui d. c. 4. & clem. vlt ij, excipiunt iustum impedimentum.

Quoad verò ætatem d. c. 4. & c. 12. vers. *neminem* se mutuo explicant: vt ætas sufficiat; non vt de præsenti; sed intra annum ad ordinem promoueri possit (vt dicuntur declarasse Cardinales *apud Garciam. de benef. p. 7. c. 4. n. 25.*) illum vtique vtilem annum, qui functiones ordinis iuxta d. c. 4. requirit. nam cui fini exigamus intra annum quo functiones exercere non debeat?

Quoniam verò d. §. neminem, de cathedralibus ecclesijs loquens, collegiatas non tangit; vt neque d. c. 4. in illis fundationibus, quæ ante collationem requirunt ordinem actu susceptum, tempus in annum prolongat, aut vllatenus derogat; quin & c. 5. *s. 25. Conc. Trid.* illas firmat. alia est inquisitio de ecclesijs collegiatis: *de qua vid. resp. 21. 3. de ætat. & qual. præfic.*

Ne Sede vacante.

Constitutus Vicarius an habeat iurisdictionem contentiosam?

CONstitutus est à Capitulo sede vacante Officialis pro contentiosis negocijs: postea tres Vicarij, sine potestatis declaratione; nisi quod triduo antè declaratum fuerit eos constituendos cum facultate qualis de iure competit: quæritur an potuerint quendam beneficio priuare; an ille rectè appellarit tanquam pronunciatum sit à non habentibus iurisdictionem contentiosam? Et quidem vbi duo sunt vicarij, alter in contentiosis, alter in voluntarijs; non posse hunc ad alterius terminos progredi proponitur ex ijs quæ tradunt Rebuf. *in prax. in form. Vic. n.* 24. alijque.

1. Vbi duo sunt, vterque intra suos terminos se debet continere.

Constituentis mentem, & loci consuetudinem in discriminanda Officialium & Vicariorũ, vbi duo sunt, potestate attendendam existimaui *in Consult. can. de appel. consi.* 1. quoniam autem vtraque hoc in casu obscura esse dicitur, iamque ante creationem vicariorum declaratum, dandam illis omnem potestatem, quæ de iure competat; videtur commissam illis esse omnem illam, quæ ipsi Capitulo competat Sede vacante. (adeo vt quidam disputent, an aliqua penes Capitulum remaneat? *Quaranta in sum. in v. Capitulum sede vac. n.* 4.) atqui Capitulũ succedit in omnem iurisdictionem Episcopi: *c. vlt. & penult. de supplend. negligent. prælat. in* 6. Episcopus autem constituendo Officialem, similem aut maiorem potestatem ipse retinet: vt generaliter traditur, quantam quis dat, ipsum retinere. *Felinus in c. nouit. n.* 8. *vers. quod tamen X. de iudic. ex Baldo in l. qui se patris C. vnde liberi. n.* 24. *Grammat. decis.* 30. *n.* 7. *Scaccia de iudic. l.* 1. *c.* 66. *n.* 5. adeòque Capitulum, cùm Officialem constituit in contentiosis, eandem & maiorem retinet: ideoque hi Vicarij pòst creati cum facultatibus quales iure competunt, generaliter constituti videntur, non specialiter tantùm in spiritualibus; sicut Officialis in contentiosis: & consequenter possunt hi vti etiam iurisdictione contentiosa; sicut posset Episcopus, seu Capitulum, quorum vices generaliter in eos tranfierint. Sed neque videtur obscura omnino esse Capituli intentio, quippe declarando eam velle potestatem collatam quæ de iure competit; cùm illa sit vniuersalis; & intentio etiã Capituli fuit satisfacere Concilii Trid. decreto *s. 24. c.* 16. quod loquitur de vicario generali non in spiritualibus seu voluntarijs tantùm: est censendum ad mentem decreti eos constituere voluisse. *c. cassum. X. de rescript.* & verò quoniam credo, non obstante Officialis & Vicariorum creatione, à Capitulo non esse abdicatam iurisdictionem, & solicitudinem Episcopalem, in quam illud succesisse puto spectare ad Capitulum interpretationem suæ commissionis: præsertim in futurum: sicut spectasset ad Episcopum. Clarè porro mihi videtur agnosci Capituli retenta iurisdictio in Epistola Clementis VIII. *apud Quarantam vbi sup. scripta ad Capitulum Neapolitanum, in verbis; date operam, vt cultus Dei & ecclesiastica disciplina auuratè obseruetur, & ius ecclesiæ, iusque iurisdictio & libertas vbique sarta & tecta sit. neque vlla ex parte imminuatur. denique quicquid ad Dei honorem & animarum vtilitatem pertinet, summa inter vos concordia procurate quam diligentissime.* Eodẽ facit, quod Concilium *Trid. s. 24. c.* 16. iubet quidẽ *s.* vicarium à Capitulo Sede vacante constitui; non tamen omnem potestatem tribui, nihil Capitulo reseruari: imò dum *ibid.* liberatos à Capitulo iterum successori ratiõnẽ dare iubet: non tamen declarat libera-

2. Mens spectanda & consuetudo.

3. Aliàs omnis illa Vicario competit quæ Capitulo Sede vacante.

4. Et quæ Episcopo.

liberationem nulliter factam esse: item chartas Episcopales non vetat ad Capitulum peruenire; sed mandat successori restitui: & *§. 7. c.* 10. intra annum vetat; post annum permittit dari dimissorias à Capitulo. ac proinde satis liquere videtur agnosci in Capitulo iurisdictionem, & si vicarium crearit; vnum, vel plures, & œconomum pro fructibus. Id enim ea ex causa potissimùm videtur fieri iussum, quia pœne esset impossibile, vt, si Capitulum per se totum administraret, singulis ecclesiæ necessitatibus, præsertim repentinis, & moram non ferentibus, pro debito posset satisfieri.

De feudis.

RESPONSVM I.

De diuersis dominis vnius, feudi, & iure venandi.

1. Villicus vasallus an aduersus dominum præscribat?

OFficium villici feudi nomine possidetur; præscribere ergo aduersus fidelitatem non potest. *Papon. arrest. l. 12. t. 12. ar.* 20. 21. Villicus officiarius est, procurator, seu mandatarius. *l. vrbana familia & ibi Alciat. D. de verb. signif.* vnde illud euangelicum; *redde rationem villicationis tuæ.* siue ergo officium sit perpetuum, siue temporale; fines mandati domini sui diligenter debet obseruare. *l. 5. D. Mand.* & non obsistere domini vtilitati, aut committere feloniam. ex qua etiam hodie vasalli priuantur. *Gudelin. de feud. p. 5. c. 1. post Chassan. Boer. Molin. Papon. d. l. 13. tit. 13. ar. 9. & seqq.* aut debet sponte refutare feudum. *l. 2. feud. t. 28. Gudelin. vbi supra c.* 2. nec potest vasallos aut emphyteutas Domini sui, suos vasallos aut emphyteutas, aut censuarios facere; aut censualibus suis libris inscribere. quamquam enim secundus census sine præiudicio primi imponi posse dicatur; *Papon. arr. l. 13. t. 2. n. 9.* ita vt prior tempore maneat præcipuus: *arg. c. constitutus. X. de relig. dom. Papon. vbi supra citans Felin. in c. causam de probat. Ioan. Fabr. in §. adeo Inst. de loc. & cond.* tamen quoad iura dominicalia ab alio, quam primo domino recognoscenda, id non est permissum. *idem Faber in l. cùm dubitatur in princ. n. 8. C. de iur. emphyt.* & de fidelitatis iuramento diserte decisum est. *in c. 22. X. de. Iureiur.*

2. Obsistens domini vtilitati feloniam committit, & feudo potest priuari.

3. An vnius feudi plures domini esse possint?

Dux Brabantiæ omne allodium in villa W. contulit monasterio S. B. retinuit tamen in eadem *dominium altæ iustitiæ, & in sylua ff. venationes ferarum: quod teuthonicè vvildvanck dicitur: & quod monasterium non poterit extirpare syluam, nisi de Ducis voluntate*: quæsitum est an ad monasterium spectet venatio perdicum; an ad illum cui postea Dux dominium altæ iustitiæ concessit? Iure quidem naturali, & ciuili Romano venatio cuique permissa est; ita vt feræ capientium fiant. *l. 1. D. de acquir. rer. dom.* nec interfit quoad bestias, feras, & volucres vtrùm in suo quisque fundo capiat, an in alieno. *l. 3. D. eod. §. feræ Inst. de rer. diuis. c. ius naturale. dist. 1. l. vn. C. de venat. fer. lib.* 11. vt iniuriarum teneatur, qui piscari aut aucupari quem prohibuerit. *l. iniuriarum 13. §. vlt. D. de iniur.* Quamquam in Germania venatio Principibus reseruata ex historijs pridem videatur. vnde *ex Crant. hist. eccl. l. 1. c. 2.* refert Baronius *ad an.* 804. Carolum Magnum Osnaburgensi ecclesiæ nemus certis finibus definitum dedisse, *cum omni*, inquit diploma, *integritate in porcis siluestribus, ceruis, auibus, & piscibus, omnique venatione, quæ sub banno vsuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgrani in silua,*

4. Venatio ad quem pertineat?

Ossingi in perpetuum pietatis vsum donauimus: ea videlicet ratione, quod si quispiam hoc idem nemus nostro banno munitum sine prædicta Sedis Episcopi licentia studio venandi, vel aliud agendi vnquam introierit, sciat se tam diuinæ quàm regiæ vltionis vindictam incursurum; necnon pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato debere statuimus, redditurum. Insuper verò eidem Episcopo, eiusque successoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem: nisi fortè contingat &c.

6. Superuenit tandem constitutio Frederici *de pace tenenda, & eius violat. in vsibus feudorum. nemo*, inquit, *retia sua, aut laqueos, aut alia quælibet instrumenta, ad capiendas venationes tendat, nisi ad vrsos, apros, vel lupos capiendos.* quod & si non male intelligatur ne cum armis huiusmodi venatio fiat; aut defendatur armis; propter paragraphum antecedentem, & consequentem, rusticis, viatoribus, nec non militibus non idoneo loco arma vetantem; tamen multis locis generaliter recepta est huiusmodi prohibitio. vnde nata est nobilis illa quæstio, an Principibus liceat venationem subditis interdicere? de qua citati à Fachin. *lib. 1. controuers. c. 1.* & in Hollandia quidem Grotius *in Introduct. ad Batauicam iurisprudentiam l. 2. p. 4.* animaduertendum esse dicit, quod aucupium nobilium volucrum spectet ad supremitatem Principis; eorumue quibus huiusmodi ius concesserit, piscatio etiam in fluminibus, & venatio quadrupedum. nisi quod magnates liberi domini, vnum ceruum quotannis, & minores feras, vt cuniculos & lepores, omnes nobiles venari possint. in Brabantia autem *per latum Introitum ar. 33. 34. 35.* liberior est venatio. vt quilibet venari possit lepores, & vulpes per totam Brabantiam, & cuniculos extra loca immunia (*vrije varanden*) & vndique cum volucribus aucupari. denique omnibus militibus, scutiferis, alijsque bonis viris incolis Brabantiæ, per totam item Brabantiam, exceptis certis locis liberis, seu syluis regis, grandes feras venari.

Vtrobique autem animaduerti potest venationem nobiliter esse exercendam, & ferè per nobiles maiorum ferarum, etsi vnicam quotanms magnatibus tantum permittant Batani, vt diximus. vnde & alibi quæsitum est, quibus dynastis, aut toparchis, ius venandi competat? & in additionibus ad arresta Paponis *l. 13. tit. 2. arrest. 2.* iudicatū dicitur in purpura 1573. Domino quidem per totum suum territorium; vasallo autem in fundo suo dumtaxat venationem licere. & 1561. in Arrestis general. etiam domino habenti mediam, & infimam iurisdictionem. ijsque arrestis conformiter sæpius hîc iudicatum fuisse refert Christinæus *vol. 5. de venat. ferar. decis. 84. n. 32.*

Et verò cum iure quisque prohibere possit, ne alius agrum suum ingrediatur; *d. §. vlt.* venandi ius, aliumque prohibendi, magis ei qui habet infimam iustitiam quam qui altam, competere dicendum foret: quippe is fundi directus dominus est, alius tantùm terrendi potestatem habet. *l. pupillus. §. territorium. D. de Verb. sign.* quo non spectat prohibitio ingrediendi fundum, & venandi, nisi & hoc à Principe supremo concessum sit. nam qui de prohibenda venatione tractant, & speciatim Couuar. *in relect. c. peccatum. de reg. iur p. 2. §. 8.* ijs ferè vtuntur argumentis dumtaxat, quæ supremo Priucipi competant: vt is possit prohibere, vt quæ natura fecit communia, vni Principi seruentur; aut ei, cui ille ius istiusmodi dederit. *Fachin. & citati vbi sup. §. sec. est causa.* quam-

quamquam Borell. *l.4.c.3. de edict. magist.* huiusmodi venationes vel ab ipsis supremis Principibus prohiberi, multo minùs ab inferioribus posse neget, pluresque secum sentientes citat. & n. quidem 7. dominum territorij asserat posse quidem prohibere territorij (seu potius fundi) ingressum; non tamen aucupium, aut venationem.

9. Sed in casu nostro in silua H. tantùm Dux reseruat venationes ferarum: quam *ex d. ar. 34. lati introitus, & Grotio* dignissimam esse venationem ferarum grandium mox diximus: eoque Dux H. eandem sibi reseruat dictis verbis; *& in sylua venationes ferarum*, vtique ceruorum, aprorum & similium: quæ ferè alibi inter regalia habentur. adeo vt in Anglia ex constitutione Guilielmi II. capitale fuerit prehendere ceruum. *vt de eo Malmesbur.* loquitur autem Dux in singulari, de sylua; scilicet de qua paulò antè inquit, sylua quæ vocatur H. in istiusmodi enim magnis syluis grandiores illæ bestiæ solent hospitari, minores etiam alibi; adeoque harum respectu *retinuimus*, inquit, *in sylua venationes ferarum.* vbi feras eo sensu accipere congruit, quo in d. tit. de venat. *ferar. tit. 48. C. lib. 11.* vbi tota lex vnica loquitur de feris grandioribus. quo fine idem Dux stipulatur, quod d. syluam *Domus prædicta*, inquit, *non exstirpabit, neque, exstirpare poterit, nisi de nostra voluntate.* ne ea exstirpata desint feræ, & venationis voluptas ibi Principi auferatur (quale aliquid reperimus in c. cum dilecti. *X. de donat.*) In alijs autem syluis, pascuis &c. Dux omne allodium concessit, & ius omne retento tantùm altæ iustitiæ dominio.

10. Cùm ergo, quod prætor vetat in vno, censeatur in altero concedere; *l. cum prætor. D. de iudic.* & & quod de vno negatur, in altero censeatur admitti; *c. nonne. X. de præsumpt. qui res certas excipit*, inquit lex *quæsitum. §. idem respondit. D. de instru. le. non potest non videri de cæteris rebus sensisse.* dicendum est ergo tam extra d. syluam venationem non esse reseruatam; quàm in ipsa sylua venationem ferarum dumtaxat grandiorum, non minorum. idque significari ea voce *vviltvanck.* quæ in principali significatu de grandiorum ferarum captura solet intelligi à venatoribus. & in vnaquaque arte vocabula artis accipienda sunt sicut solent accipi à peritis artis. vt dicitur de modo loquendi patris-familias, regionis, *& c.l. numinis. 75. D. de legat. 3.*

Nec obstare potest, si dicatur 11.
Ducem conferre allodium *in decimis, pratis, syluis, & piscarijs*; non autem ibi addere, *venationibus*: adeoque iure piscandi expresso venationem videri reseruatam: *d. c. cum prætor. d. l. nonne*: quia argumentum istiusmodi plausibile esset, si alia verba antecedentia & consequentia non obsisterent. præterquam enim quod exempla expressa non restringant regulam; insuper subiungitur; *cum omnibus appendityis suis*: qui autē omnia dicit, nihil excludit. deinde vt generi per speciem derogatur; ita specialis præsumptio preualet generali. *Menoch. de præsumpt. l. 1. q. 29. n. 7.* adde argumentum d. c. cùm dilecti. vt interpretatio fiat plenissimè in beneficijs, cum id admittit sanus intellectus.

Id quod iuuat summopere 12.
quod monasterium S. B. iam olim fuerit in possessione aucupandi, & elocandi aucupationem perdicum: vt ex munimentis constat; & probatum fuit Ostiario, qui manu-tenuit Abbatem & conuentum in d. possessione, cum pœnali interdicto secundum literas, *non obstante appellatione.* nec huiusmodi interdictum Ostiarij à Curia hactenus est mutatum: in dubio autem sermone, & iure melior est conditio possidentis. *c. in pari. de*

reg. iur. in 6. & quando actor non potest probare rem suam esse, remanet in suo loco possessio. *§. retinend. inst. de interdict.* & hîc præsumptionem facit donationem Ducis ius aucupandi ex antiqua interpretatione comprehendisse, secundum quod & verborum donationis generalitas probat, & exceptio in non exceptis firmat regulam: & quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *c. decet. de reg. iur. in 6.* & id quod nostrum est sine facto nostro ad alium non potest transferri. *l. id quod. D. eod.* nec à quopiam plus iuris in alterum, quàm ipsi competat; *c. 79. eod. in 6.* sed is qui in ius succedit alterius eodem, quo ille, vti debet: *c. 46. eod.* sequitur aucupandi facultatem monasterio semel concessam, non potuisse auferri; nec in alium plus iuris potuisse Ducem amplius transferre, quàm ipsi iam competeret. sed eum qui oppignoratum nunc possidet dominium altæ iustitiæ, eodem tantùm iure nunc posse vti, quo Dux potuit post d. donationem monasterio factam. adeoque oppignorationem ex communi formula factam, seu venditionem, præiudicare non potuisse d. monasterio, aut emptori ius trouere in re antè monasterio donata: sed tantùm actionem ex emto ad præstandam euictionem: debereque monasterium relinqui in iure, & possessione aucupandi. cæterùm quod spectat ad dominium altæ iustitiæ Duci reseruatum, ex d. formula translatum est in C. quondam villicum Ducis, præter illa quæ eadem formula excipit, inter quæ disertè non excipitur venatio ferarum, in d. sylua Duci reseruata.

13. Enimuero quamquam per Brabantiam nobiliter cuiuis venari liceat; tamen aliàs retia tendere, aut ignobiliter venari, nec in fundo quidem suo licet. *Grotius vbi supra.* multis tamen locis pagorum Domini quilibet in suo districtu ius venandi elocant, retia & laqueos tendi permittunt in rem suam; alijs prohibent: & in huiusmodi elocatione, seu vtilitate partem dominici iuris consistere putant. sicut responsum est aucupium venationemque in fructu esse: *l. 26. D. de vsufruct.* adeoque & hîc dicendum erit hanc dominici iuris partem d. donatione Ducis comprehensam fuisse, atque ideo etiamnum d. monasterio competere.

Quæ de perdicum aucupio diximus; ex ijsdem causis tribuenda sunt monasterio, quoad aliarum volucrum nobilium, & quadrupedum venationem; exceptâ grandiorum ferarum venatione in d. sylua de H. Duci reseruata.

Mandati.

RESPONSVM I.

Commissio apostolica nullatenus est excedenda.

BReue, de cuius terminis & intellectu quæsitum fuit, ita habet; *Cum ven. frater Archiepiscopus C. qui nostri & huius sanctæ Sedis Apostolicæ in Belgicis ditionibus Nuncij munere functus fuit, ad almam Vrbem nostram, iussu nostro redierit, Nos ne propterea negotia contentiosa iurisdictionis earundem ditionum, aliqua detrimenta patiantur, prouidere volentes, ac de tua fide, prudentia, integritate, doctrina & religionis zelo plurimum in Domino confisi: Tibi vt ad beneplacitum nostrum quamcumque iurisdictionem contentiosam infra limites illius legationis, eidem Nuncio pro tempore existenti, de iure, vsu, consuetudine, aut in vim quarumcumque facultatum, & indultorum apostolicorum quomodolibet competentem, & alias eisdem modo, & forma, quibus Nuncius huiusmodi in dicta legatione existens potest, exer-*

exercere, libere & licitè posſis, & valeas apostolica authoritate, tenore præsentium plenam & amplam facultatem concedimus, & impartimur. non obstantibus apostolicis, ac in vniuersalibus, prouincialibusque & Synodalibus Concilijs editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus ceterisque contrarijs quibuscumque.

11. Iurisdictio tribuitur quæ ex officio competit, non quæ ex speciali concessione aliquando data fuit.

Tribuit hoc Breue exercitium contentiosæ iurisdictionis qualiscumque competijt Nuncio Belgij pro tempore existenti: non qualis speciatim his vel illis fuit tributa. nam si qua his vel illis Nunciorum personis facultas fuit concessa specialiter; significat generalem commissionem eo non extendi. sed regulam esse contrariam. *c. præsenti. §. loca. de præbend. in 6.*

Dixi; *Nuncio Belgij pro tempore existenti*: ijs enim verbis vtitur Breue in dispositiuo: vt in narratiuo his; *Archiepiscopus C. Nuncij munere functus fuit*: iterum in dispositiuo: *modo & forma quibus Nuncius huiusmodi* (nota) *in d. legatione existens potest* (iterum nota) *exercere posse.* significat ergo facultatem, quæ officio, muneri, seu nunciaturæ competat: non quæ personæ alicui specialiter tributa fuerit. alioquin diceret, *potuit.* quippe tum Nuncius aliquis non erat, sed ad Vrbem redierat. facultatem ergo muneri, officio, administrationi Nuncij, vt talis, concessam tribuit: non verò singulariter personis indultam. quæ non abit in consequentiam. *c. 7. & 28. de regul. iur. in 6.*

Non obstant ea verba; *aut in vim quarumcumque facultatum & indultorum apostolicorum quomodolibet competentem*; quia rursus præcedunt illa verba; *eidem Nuncio pro tempore existenti*, id est, quæ nunciaturæ, officio, muneri concessam denotant; non personis indultam.

Minùs obstant illa verba; *de iure, vsu, consuetudine.* & quod Nuncij Belgij vti ita consueuerint: quia quæ fecerunt in vim specialium mandatorum, seu concessionum; non transeunt in vsus, & consuetudines. quarum omnis authoritas est à sola longæuitate temporis: non verò à mandatis, placitisque Principum. ius enim est non scriptum consuetudo, vsus, mores. *c. mos est. c. consuetudo. dist. 1. in v. de moribus tantum tracta. & vbi deficit lex. c. veritate. d. 8. in v. consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. c. in his rebus. dist. 11.* vt si qui de vsu, aut consuetudine testentur, præmittere debeant sibi constare Nuncios in facultatibus hoc illudue non habuisse expressum; sic tamen, vel sic vti consueuisse.

2. Internuncius non potest recipere appellationes interpositas à delegatis ab ipsa S. Sede.

Quare etiamsi quibusdam Belgij Nuncijs specialiter fuerit concessum, vt rescripta ipsi dare possent, & delegare causas appellationum à Iudicibus ab ipsa Sede apostolica delegatis interpositarum; tamen id est contra ius commune, *c. studuisti. X. de off. legat.* sicut *aduersus eius sententiam, qui vice Principis cognouit, solus Princeps restituit. l. aduersus C. si aduersus rem in d. l. 1. C. vbi & apud quem. l. illi à quo. §. tempestiuum. D. ad Trebell. l. 3. §. tractemus. D. de arbit. c. innotuit. X. de elect.* vt par in parem non exerceat imperium: *sed in his omnibus casibus*, inquit d. §. tempestiuum, *atque similibus principale auxilium implorandum est.* quare & pro regula habetur, vt commissiones semel in Curia Romana signatæ, semper maneant curiales: & postquam S. Pontifex semel manum apposuit, vt nemo se possit intromittere. *c. 1. & 2. X. de confirm. vtil. vel inutil.* Dicitur etiam vltimus Nuncius asseruisse huiusmodi facultatem sibi non fuisse tributam, & si quid secus fuerit expeditum, per sub & obreptionem fuisse obtentum. &, si quid huiusmodi foret ex vsu recipiendum, tamen vsus vltimus esset sequendus: *c. cum de benef. de præb. in 6.* & vbi is varius est, neuter seruandus; sed ius commune.

Mynsing. cent. 6. obs. 42.

3. Specialis concessio excipitur: sed illa exhibenda est.

Excipit d. c. studuisti; *nisi super hoc mandatum specialite receperit.* Id porro docere debet. *l. 1. C. de mandat. princ. l. obseruare. §. hoc etiam D. de off. proconsul. glossa in c. nobilissimus dist. 97. Gambarus, tract. de off. legat. l. 1. §. qualiter legatus se gerere debeat cum prouinciam est ingressus. n. 3. c. cum in iure X. de off. delegat. c. 2. X. de dilat.* sic & *in Authent. de collator. §. eos.* missi à Principe pro fiscalibus exactionibus inchoare non possunt officium; *nisi prius*, inquit, *prouinciali Iudicio insinuauerint impositas sibi de hoc iussiones. alias posset eis resisti*, inquit Tuscus *in verb. delegato: & alys non creditur, nisi constet de delegatione. concl. 154. n. 19. si non præsentent literas suæ facultatis Præsidi prouinciæ.* vt hodie dari solent à Papa Legatis seu Nuncijs literæ credentiæ: ijsque ita exhibitis, eis credi quoad ea, quæ iure legationis, seu nunciaturæ competunt, neque tendunt in præiudicium tertij, in ijs autem, quæ legatis sunt prohibita, nec veniunt iure legationis, sed requirunt mandatum speciale, non creditur: nisi doceant de mandato. *idem Tusc. v. legato. concl. 160. post plures quos citat.* quod eo magis dicendũ est, quod & reg. 13. Cancell. reuocauerit etiam facultates Nuncijs concessas, officia ipsorum directè non concernentes.

Cùm igitur sine speciali mandato Inter-Nuncius non possit se immiscere causæ ab ipsa Sede Apostolica semel delegatæ; nec ei per hoc Breue aliquid sit datum, quod non iure muneris competat; nec aliud apud regium Concilium, vel Episcopos exhibitum, in Acta & Archiua relatum inueniatur; atque mandati fines diligenter sint obseruandi; eorumdemque excessus nullitatem inducat; *c. venerabili sub fin. X. de off. deleg. c. cum dilecta. X. de rescript. c. cui de non sac. de præb. in 6.* dicendum est vtique, quæ secus acta, commissa, delegataue sunt, nullius esse momenti. impune non pareri, *si quis supra iurisdictionem suam velit imo dicere*, inquit lex *vlt. D. de iurisdict. om. Iud.* eòque in casu præsenti magis, quod, etsi controuertatur an aliqua Nuncijs iure sui muneris sit inexemptos iurisdictio; tamen disertè ab omni authoritate legatorum per priuilegia exempti sint illi, de quibus hic quæritur. Ac multo magis à recto abscessum est, quando Inter-Nuncius ipse censuram inflixerat, ab eoque ad Sedem Apostolicam appellatũ erat, & illa causam alteri delegauerat; isque cùm de nullitate acta Inter-Nuncij damnasset, ab hoc rursus prouocaretur; ipse appellationem huiusmodi recepit; & alteri delegauit. non tantum ex supra d. causa quod appellatio definiatur ab inferiori Iudice ad superiorem prouocatio; & hi fuerint pares: *d. c. studuisti.* imò cùm, *vt ibidem dicitur* generi per speciem derogetur, in ea speciali causa superior: *c. sanè quia. X. de off. delegati*: sed etiam quod ad illum ipsum trahitur causa, à quo ante prouocatum fuit; cuius officium finitum fuerat mox atque semel pronunciarat siue bene, siue malè; ac sententiam suam executus fuerat. *c. in literis. X. de off. deleg.*

4. Excessus commissionis inducit nullitatem.

De rerum permutatione.

RESPONSVM I.

An vicariæ perpetuæ permutatio fieri possit sine assensu parochi primitiui?

REgulariter beneficia inuicem sine fraude permutare est permissum. *c. vn. de rer. permut. in 6. in verb. sua beneficia permutare volentes liberè & sine fraude ipsa resignent, & nolumus vllatenus impediri.* quia tamen resignari, & inuicem con-

conferri debent; *clem.vn.eod.* in ijs, quæ iuris patronatus sunt, seu ad nominationem, electionem, deputationem alterius quàm Ordinarij, spectant; eorum vtique quorum collatione, nominatione, electione, deputatione opus est, consequenter consensu opus est. *Rebuff. tract. de benef. lib. 3. de permut. n. 21. Azor. Inst. mor. p. 2. lib. 7. c. 29. q. 6. Garcias de benef. p. 11. c. 3. n. 21. & seqq. & ab his citati.* vbi quidam vt permutationes aliter admissas nullas esse, aut annullandas contendunt; alij firmas, vt nec annullari possint.

2. Ex eorum consensu quorum est prouidere.

Alij exigunt in patrono iustam causam dissentiendi; aut saltem, si dissenserit, & tamen permutatio ecclesiæ vtilis sit, Ordinarius iustè patroni ecclesiastici (nam laicorum fauorabilior vbique causa est) officium supplere, seu emendare possit, & permutationem admittere, & permutantibus prouidere. & *hodie*, inquit Rebuff. *vbi sup. vsus communis obtinuit, quod post requisitionem patroni maximè etiam eo non consentiente, permutatio approbetur ab Episcopo, & valeat. & sic iudicauit totus Senatus Parisiensis, vt retulit d. Quadrigarius & Zerola in Prax. v. ius patronatus. §. 6.* vbi *& plures citat*, & se ita obtinuisse ait. & refert Garcias declarationem Cardinalium pro hac sententia. *vbi sup. n. 127.* quos sequutus Lessius *de iust. lib. 2. c. 34. dub. 36. n. 198. posse*, inquit, *Episcopum, si iudicat permutationem expedientem ecclesiæ sua approbatione supplere consensum, & valere permutationem.*

3. Si dissentiant, & expediat ecclesiæ permutatio, prouidet Ordinarius.

Vtique ad Ordinarium spectat potissimùm ne quis ad beneficium admoueatur, aut remoueatur, seu renunciet. *c. admonet. X. de renunc.* etiam per viam permutationis. *c. quæsitum. §. si autem Episcopus. X. de rer. permut.* etiam in vicarijs perpetuis. *c. ad hæc. X. de off. vic.* patroni autem parum videtur interesse, cùm hodie regulariter ita permissa censeatur permutatio. *d. clem. vn.* promptius quàm olim: cùm videretur requiri aliqua necessitas, *d. c. quæsitum.* ideoque nunc vix videatur in permutatione vera dari vacatio; secus quàm in simplici resignatione, vel in fauorem (vbi nihil extra arbitrium patroni potest fieri. *Zerola d. § 6.*) adeo vt quidam nõ nisi Ordinarij authoritate opus esse crediderint in permutatione. *vide Azor. d. c. 29. q. 20.*

4. Ad episcopum hæc potissimũ spectant, etiam in vicarijs.

Enimuerò quæ de patronis ecclesiasticis dicta sunt, eadem locum videntur habere in parochis primitiuis: qui passim in iure & praxi patroni ecclesiastici nominantur: præsertim vbi ratio non est dissimilis. *d. c. ad hæc.* nam & vicariæ perpetuæ, beneficia censentur. *DD. in c. 1. X. de off. vic. latè Azor. Inst. mor. p. 2. lib. 2. c. 6.* adeoque permutari possunt. *d. c. vn. de permut. in 6. d. clem. vn. eod.* & vicariæ perpetuæ regulis sui principalis beneficij gubernantur quatenus in vtrisque eadem est ratio. *clem. vn. de off. vic. Zabarell. ibid. in 2. not. b. & q. 25.* quibus conformiter Azor. *d. c. 29. q. 32.* quæ de patronis inuitis dicta sunt, eadem respondet in alijs quomodolibet in permutatione interesse habentibus. identitas enim rationis etiam pœnalia iura in beneficijs ad non expressa extendit. *c. si postquam. de elect. in 6.*

5. Quæ & beneficia sunt & permutari permissa.

Eodemque *capite q. 16.* quamuis Pius V. *const. incip. quanta*, valde restrinxisset resignationes simplices, permutationes tamen admisisset quas canonicæ sanctiones admitterent; idem Azor. enumerat, quas non admitterent: neque tamen inter illas vicariarum perpetuarum permutationes recenset. illis ergo iure permissis parochus primitiuus sine iusta causa dissentire nõ debet; alioquin Ordinarius supplere illius officium & authoritatem permutationi tribuere poterit.

6. Ad prouidendum citra patroni assensum an opus sit necessitate ecclesiæ?

Sed exigunt quidam ad hæc vel necessitatem, vel vtilitatem magnam: *citati à Garcia. d. c. 3. n. 23. & seqq.* facit quidem d. c. quæsitum, neces-

necessitatis mentionem, sed & vtilitatis; nec addit magnæ: ideoque rectè Lessio sufficit, si Episcopus iudicat permutationem ecclesiæ expedientem; *vbi sup.* saltem vbi nihil fraudis aduersus patronum apparet. *c. 2. de renunc. in 6.*

Et verò fatendum est cùm strictior olim esset ecclesiæ disciplina, scrupulosius in beneficijs versari solitum fuisse. vt apparet ex Concilio Turonensi, & d. c. quæsitum illud citante. cùm illud simpliciter dignitatum permutationes inhiberet; d. c. quæsitum ex necessitate & vtilitate temperaret: d. c. vn. *in 6. & clem. vn. de permut.* successiuè liberiorem permutandi facultatem faceret: & vsus hodiernus magis firmaret. de quo Rebuff. vt maior hodie quasi proprietas competere videtur in beneficijs: vt & liberior de fructibus disponendi facultas tam inter viuos, quàm per vltimam voluntatem vsurpatur.

7. Vbi ergo expedit potest episcopus inuito parocho primitiuo vicariæ perpetuæ permutationẽ admittere.

Ideóque ex his omnibus existimo vicariæ perpetuæ permutationem, quam Episcopus iudicat ecclesiæ expedire, fieri posse requisito, quamuis inuito, parocho primitiuo: supplente Episcopo illius defectum, & authoritatem permutationi præstante.

De testamentis.

RESPONSVM I.

De translatione monasterij & bonorum.

CVm legatum ciuitati relictum esset, vt ex reditibus quotannis in ea ciuitate, memoriæ conseruandæ defuncti gratiâ, spectaculum celebraretur, quod ibi celebrari non licebat; Modestinus respondit, adhibitis heredibus, & primoribus ciuitatis, dispiciendum esse in quam rem conuerti deberet fideicommissum, vt memoria testatoris alio, & licito genere celebraretur. *l. legatum 16. D. de vsufruct. legat.* ad eum modum dicendum hic est cùm fundatio monastica, & officia diuina per edicta Ordinum suo in loco ritu Catholico effectum habere non possint; dispiciendum esse, quo alio modo fundatorum voluntas, vt executionem habeat, iuuanda sit.

Ad eandem rationem cùm monasterium eo loco quo testator inſſerat, exstrui non posset; respondit Pontifex *in 3. c. X. de testam.* vt loci episcopus cum hærede ageret, & alio loco ædificari curaret, ac omnia relicta loco ipsi sine diminutione qualibet assignari. In regularibus autem exemptis ipsi Generales Iurisdictionem quasi episcopalem habent, adeoque in negotijs religionis vices episcoporum supplent. L. Miranda *in Manual. præl. t. 2. q. 7. & seqq.* commutationem ergo hanc vltimæ voluntatis authoritate quasi Episcopali ipsi facere possunt. Causa autem faciendi insta ac rationabilis censetur à Panormitano, aliisque canonistis, *in d. c. 3. Gambarup. de off. & potest. leg. de later. l. 6. n. 223. Aloysio Riccio in Collect. decis. p. 3. collect. 558. in fin. à Barbos. de off. epis. p. 3. alleg. 83. n. 10.* si monasterium in loco certo à testatore construi est iussum, vbi construi non potest, vt alibi construatur.

Quod etsi de primæua constructione decisum sit, eadem tamen ratio post ruinam ac destructionem eandem Iuris dispositionem facit. & propterea Concilium Tridentinum *s. 21. c. 7.* beneficia in ecclesijs vetustate ac aliàs collapsis, quæ instaurari nequeant, fundata arbitrio episcoporum ad alias transferri iubet: etiam parochiales ad matrices seu vicinores. quin & de regularibus, vbi eadem causa subsit, id accipiendum esse

esse ratio quoque Iuris suadet, & connexio c. 8. cum præcedenti *d. s. 21.* & argumentum à pari locum habeat in beneficijs: *c. si postquam. de elect. in 6.*

Quin etiam per viam vnionis, cùm necessitas id aut euidens ecclesiæ vtilitas exegerit, coniungi monasteria, & transferri monachos authoritate ordinaria rescriptum est. *in c. sicut vnire. X. de excess. Prælat.* & iusta vnionis causa est hostilis desolatio. *c. 2. X. de religios. dom.* quinimo Clem. 1. *§. ad hæc de stat. monach.* cum in priori loco numerus competens sustineri nequit, ad alium locum, prout erit commodius, arbitrio Ordinarij, de consilio & assensu Abbatum, transferri permittuntur. quæ in exemptis rursus à Generali cum interuentu Capituli fieri posse censendum est.

5. Sic & monachorum translatio fit.

Igitur cùm in loco destructo nec conuentus formales restitui, nec diuinum officium celebrari per has turbas ciuiles licet; iustissima certè causa translationis esse dicenda est, vt ex huiusmodi vastato monasterio, monachi & bona aliò transferantur: quò consultius visum erit Generali, & Capitulo, seu Ordinis Primoribus; vt loquitur d. l. legatum. vocatis quidem & auditis ijs, quorum interest, vt loquitur d. c. 7. *s. 21. Trid.* in translationibus, & regula 21. *Cancellariæ* in vnionibus. ne piæ testatorum pereant voluntates: ne caduca fiant vllo modo relicta in piam causam. *Panorm. in d. c. 3.* Quemadmodum S. Congregatio Cardinalium an. 1608. commisit Nuntio apostolico, & Episcopo Antuerpien. vt collegia quædam sub hæreticis sita transferrent, ad loca vbi exercitium esset Catholicæ religionis. ex eademque causa Bredâ Lyram translatus est conuentus de Vredenborch. *vt diximus in iur. Pont. nou. anal. de cler. non resid. n. 36.* & quamquam non in omnibus alijs id executionem obtinuerit ob inducias, seu alias causas; satis tamen hîc est fuisse iudicium Sedis apostolicæ, quod transferendi iusta causa sit religionis impedimentum, & vis hæretica. quinimo œcumenici Concilij Trid. censura *s. 25. de reg. c. 5. in fin.* vt ob malorum hominum facinora, & leuioris generis impedimenta Episcopi, & alij superiores, si ita videbitur, Sanctimoniales ex rure transferant intra vrbes.

6. Eius iusta causa hæreticorum violentia.

Sed an opus sit transferendorum consensu? vocari & audiri vult d. c. 7. *& reg. 21. Cancellariæ* eos, quorum interest: consensu audiendorum, cùm causa subest, negat opus esse Rebuffus. *in praxi benef. l. 1. reg. de vnion. glos. 11. n. 3. per c. dilectus X. de his quæ vi vel met. & ibi. DD. Innoc. in c. in Lateranen; de præbend. Panorm. & alij in c. nullus. de iure patron.* & sic in d. c. 5. *de reg. Trid. in fin.* transferendarum monialium non exigitur consensus, sed & per censuras inuitæ compelluntur.

7. An opus sit transferendorũ consensu?

Videtur tamen nonnihil obstare d. Clem. 1. *§. adhæc. de stat. monach. in verb. cum consilio & assensu Abbatum*: sed gloss. *in verb. assensu; si hoc*, inquit, *non addidisset, sufficiebat consilium quærere. de arbitris. c. cum olim.* igitur in alijs vnionum translationumque casibus, quam qui ibi proponitur, scilicet ne soli habitent monachi, vbi clarior erit necessitas, aut euidentior vtilitas, communi iure sufficiet auditos esse eos, quorum interest, quamuis non assenserint.

Quod hoc in casu multò maximè obtinere debet; quod nullus hîc extet religiosus in domo destructa professus; in quo iura collegij conseruata possint censeri: sed deuoluta omnia sint ad ipsum Ordinem. *vt multis Scioppius in eo libro quem dedit de bonis monasteriorum per Germaniam pridem destructorum per hæreticos occupatis, & per tractatus Imperij, veteribus dominis resti-*

8. Cum hîc nullus sit professus nullus refragari potest.

restituendis. Prior autem qui hic superest, administrationem tantùm habet sibi commissam; & amouibilis ponitur. vt & Concilium Trid. *s. 25. de reg. c. 2.* omnes monasticos administratores, & officiales ad nutum superiorum facit amouibiles. d. porro Clem. *§. ad hæc* agit de Abbatibus, qui dignitates suas in titulum beneficialem possident, quibus competit plenaria administratio in spiritualibus, & temporalibus, & irreuocabilis, nisi ex delicto: & propterea sequitur inter vtrosque euidens iuris diuersitas. vt in Abbatibus, non nisi quatenus de iure exprimitur, auferri aliqua authoritas inuitis possit; administrationem tantũ amouibilem habentibus in totum vel in partem à committentibus possit. *l. Iudicium D. de Iud.* adeoque nec possit sine offensa voti obedientiæ, & paupertatis Prior, Vicarius, aut procurator Generali, & Capitulo administrationes commissas reuocanti, non obedire; & contra illius iussum bona monasterij detinere: quin si contumaciter perseuerent, in pœnas d. c. *2.* in fin. regulæ, & Ordinis incidant.

9. Administratores sunt amobiles.

Atque hæc quidem ita se habent ex Iure communi. Cæterùm quoniam hic ordo ex concessione Gregorij XV. communicationem habet priuilegiorum aliorum Ordinum, & in alijs quibusdam Ordinibus inuenitur concessum 1. vt superiores monasteria minùs commodè sita transferre possint ad loca oportuniora; cum suis reditibus; etiam inuitis locorum specialium superioribus: 2. vel vbi Domini temporales bona ad monasteria spectantia occupant, vel quæ sterilia sunt, & inaquosa. 3. ac denique cùm transferunt, bona omnia, exceptis ecclesijs, vendere, & ad alia loca transferre. quoad primum, vt constitutione Sixti V. *apud Em. Rodric. Eom. 2. q. 50. ar. 4.* data refertur facultas Congregationi S. Benedicti Portugalliæ, vt id posset Generalis d. Congregationis: secundum; concessione P ij. 11. *bulla illius apud eum dẽ Rodric. in collect. priuil. mendicant.* conuentui S. Benedicti Vallesoletano: tertium; *bulla 7. Alexandri IV. apud eundem Rodric.* Generali Minoritarum: inferendum est, has easdem gratias, & facultates Generali & Capitulo huius Ordinis competere, per d. communicationem à Gregorio XV. factam quoad omnia priuilegia, gratias, & indulta concessa alijs Ordinibus, superioribus, monasterijs, & locis, quibus de iure, vsu, consuetudine, priuilegio, aut concessione apostolica in genere, vel in specie ac tam coniunctim quàm diuisim, seu aliàs quomodolibet vtuntur, fruuntur, & gaudent, vti, frui, & gaudere possint, & poterunt quomodolibet in futurum: dummodo tamen sint in vsu, & non sint reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa, sacrisque canonibus, & Concilij Tridentini decretis, aut constitutionibus apostolicis non repugnent: pari modo non solùm ad eorum instar, sed pariformiter, & æquè principaliter, perinde ac si illis nominatim, & in specie concessa fuissent.

10. Suffragantur priuilegia hic specialia per communicationem.

Neque verò hisce obstat constitutio Pauli II. super alienatione bonorum ecclesiasticorum: quippe Innocentius VIII. 1487. declarauit hunc Ordinem ab eadem constitutione esse exemptum. nec porro Paulina constitutio ad hos casus, iure priuilegioue permissos, pertinet: (idem; est sensus aliorum id genus canonum) sed ad alios extra iuris priuilegiorumue permissum attentatos ex ambitiosa cupiditate bona Deo dicata profanis vsibus applicare, & cum diuini cultus detrimento sibi vsurpare præsumentiũ. huiusmodi enim verbis vtitur Paulus: cuius extat constitutio in c. vnic. de

de reb. eccles. non alien. in extravag. commun. cùm hic finis translationis sit in contrarium, vt magis diuinus cultus augeatur per translationem, quàm si pauci in loco priori, sub hæreticis latitantes, sine religionis exercitio, aut alio ecclesiæ fructu prouentus à fundatoribus relictos absumant; cùm per translationem finis testatoris haberi possit: & debeat per d. l. legatum, & d.c.3. vt *memoria*, inquit d.lex *legatum* (is finis ibi propositus fuerat) *testatoris alio & licito genere celebretur*: & sic *defunctorũ pias voluntates*, inquit d.c. 3. *episcopali decens est studio adimpleri*. ergo sic erit decens in Ordine exempto studio Generalis, & Capituli pias fundatorum voluntates adimpleri.

His igitur consideratis existimo posse Generalem istius Ordinis cum Capitulo translationem, quã dixi, facere, vna cum omnibus bonis, siue in specie retinendis, siue si satius videbitur ritè distrahendis, & pretio in aliũ locum transferendo, & applicando: atque Priorem, vicarium, aut procuratorem illius & Capituli decreto opponere se non posse, aut mandato non obedire; sine grauis peccati, pœnarum, & censurarum periculo.

RESPONSVM II.

De institutione liberorum, & bonorum diuisione per testatorem facta.

PAter Petro & Danieli hæreditatem vniuersam reliquit; alijs liberis certas summas. ab illis rationes, aut inuentarium exigi vetuit; post summas adiecit hæc verba; *per quas de filiali portione illis erit satisfactum, & illi alijs exæquati.*

Quæritum est, cùm exæquatæ non credantur esse portiones; an supplementum debeatur?

1. An parentibus facultates suas declarantibus standum sit?

In Nouell. 48. statutum est, vt ei, qui moriens iurauit quantum haberet in bonis, omnino hæredes credant: nec vlteriùs inquirant. sed iurato: sine iuramento autem facta declaratio veritati non officit, *l. 1. C. arb tut. l. scrip. C. comm. vtr. iud. l. si fund. §. si libert. D de leg. 1. l. cũ pater. §. pat. qui fil. D. de legat. 2. l. 15. §. vlt. D. ad leg. falc.* quasi tunc nõ fuerit exquisita declaratio: adeò vt velit eam hæredes suos sequi. enixiorem voluntatem indicat iuramentum. *d. l. cum pat. §. fil. l. cum quis. §. codicillis. D. de legat. 3.*

2. An diuisio sequenda.

Sed & cùm pater vlteriùs progreditur, & bonorum diuisionem inter liberos facit; ea seruanda est per hæredes, & Iudicem. *l. parent. C. de inoffi. test. l. filij. l. si cogit. l. vlt. C. fam. erc. l. si filia. §. si pat. l. ex parte. §. intest. D. eod.* si modò vel pater, vel liberi omnes subscripserint. *Nouell. 18. in 4. part.*

3. Nomina & unciæ vt scribendæ?

Adiecit Nouella 107. non notis & indicijs; sed claris literis dispositionem vltimam inter liberos perscribi debere: & propria quidem testatoris manu hæredum nomina, & vncias.

4. Quid si sit imparitas?

Quod si imparitas appareat in rebus diuisis, seu relictis; si modò inofficiosum non sit testamentum, oppugnari non potest. *d. l. filij.* sed quod plus vni quàm alteri tributum videtur, per modum prælegati censetur relictum: & in diuisione ab intestato, per modum donationis causa mortis. *d. l. si cogit. Gudel. in Iur. nouiss. lib. 2. c. 4. in fin.*

5. Quid si pater exequatas esse portiones narret: an disponere censeatur?

Enimuerò ait pater æqualitatem hic esse: quæritur ergo an ea affirmatio dispositionem inducat, vt & inquiri possit inæqualitas; & ad æqualitatem reduci debeat: an verò ea narratio nihil disponat? & quidẽ falsa demonstratio, vel causa non mutat dispositionem. *l. falsa demon. l. demonst. §. 1. D. de cond. & dem. §. huic prox. Inst. de. legat. rectè Cuiac. in paratit. C. de fals. caus. adiect. leg. in fin.* sic vniuersaliter loquitur; *demonstratio rei vel quantitati adiecta, & ratio legandi superuacua est.* igitur nihil hæc vel illa nocet. dispositionẽ ergo sequi oportet. adeoque superuacuo nihil attento summã & quantitatem à testatore expressam

sam. *l. si non desig. l. refert. in v. nihil nocente falsa demonst. & tot. tit C. de falsi caus. ad. leg.* quare etiam decisum est dote iam reddita, tamen si quasi reddendæ nomine 40. legentur, ea deberi. imò, quod propius ad nostros terminos accedit; si pater putet vnum ex filijs decem accepisse, & ideo alteri præleget decem, æquationis causa; etsi fratet decem non sustulerat, alter tamen prælegata decẽ habebit: quãquam secus foret, si conditionaliter legatum fuisset, si alter decem sustulisset. *l. ita legatum. 12. l. demonstratio. 10. §. quod autem. D. de condit. & demonst.*

Itaque enuntiatio illa, seu narratio æquationis, nihil disponit. sed significat testatorem æstimatione sua æquasse hæreditatem Petro & Danieli vniuersaliter relictã, cum portionibus relictis alijs liberis. adeoque quamuis in hæreditate maior massa videatur, tamen certa & incerta nomina tanti per auersionem æstimasse videtur; & significare voluisse æqualitatis sibi curam, & amorem fuisse.

Vetuit autem testator, inquiri, aut rationes exigi, vel inuentarium: ideoque & æstimationem illam controuerti voluisse se significat: sed velle, vt isti æstimationi, seu declarationi stetur. quæ expressa dispositio satis enixam eius voluntatem patefacere videtur: vt de iurata declaratione dictũ est: & per eam cessare in non iurata illa, quam supra diximus, præsumptio.

Tradi quidem solet quod verba enuntiatiua principaliter in vltima voluntate propter se emissa, videantur facere dispositionem. *per l. 1. C. de fals. caus. adiecta legat. l. ex hac scriptura D. de donat. l. & eo modo. l. etiam hoc modo. D. de legat. 1.* sed enimuerò habent hæ leges eiusmodi verba, vt de donatione, de legato facto disertè, vel per consequentiam necessariam loquantur. sciant, inquit d. *l. ex hac hæredes mei me donasse*, clarè. non minùs aliæ per consequentiam. *l. 1. C. si falsa causa adiect. leg.* alioquin regulariter narratio, vel enuntiatio non facit dispositionem. *Vid. Tusc. verb. enunciatiua concl. 82. Menoch. de arbit. cas. 461. n. 15. & seqq.* & cùm verba hic non enuntient aliquid gestum, sed describant, circumloquantur, aut circumstantias memorent, ad rationem falsæ demonstrationis, aut causæ pertinent. *de quibus supra, & tractat Azo. aliique ad d. tit. C. si falsa causa adiecta leg. & ad leges suprà citatas. ac alibi.*

Cæterùm offert se alia difficultas, quod vnciæ, seu summæ singulis præter vniuersaliter institutos relictę; non tantùm non sunt scriptæ manu testatoris; sed neque eâ quâ reliquus textus testamenti imò fortè manu vnius ex duobus vniuersaliter institutis hæredibus: imò dubitatur an antequam Notario & testibus ostenderetur à testatore testamentum, fuerint inscriptæ, an post mortem.

Verùm cùm testator exhibuit testamentum Notario & testibus, non necessarium fuit illud legendum prębere; sed cùm dixerit illud suum esse testamentũ; nec tamen testatio mentis esse possit non expressis vncijs; sequitur credendum esse ante d. exhibitionem inscriptas fuisse. *arg. legis non codicillum. C. de testam.* quodque solemnitates substantiales interuenisse præsumantur. *l. faciendum. D. de verb. oblig.*

Porro testamentum, de quo agitur, non est imperfectum inter liberos; sed secundùm mores & edictum an. 1611. perfectum. quod adeoque non requirit manu testatoris scribi hæredum nomina, & vncias: sufficit subscriptum esse à testatore, testibus, & Notario, quæ enim inter extraneos hodie solemnitates sufficiunt; multo magis sufficere debent testamento patris inter liberos.

Quod si autem vnus ex hæredibus vniuersaliter institutis vncias inscripserit, quamuis iubente & dictante testatore, pro non scriptis habendæ sunt. *l. filius. l. diuus l. Impuberem.*

Impuberem. D. de falsis. & C. tot. tit. de his qui sibi adscript. quippe censetur commodum illud sibi adscripsisse, quod minus est in summâ adscriptâ, quàm esset in vera filiali portione: & omne hîc commodum consideratur. *d. l. Impuberem. §. adimendo. §. si testamentarius. in verb. quoniam nullum ipsius commodum est*, ideoque filij tanquam præteriti, seu quibus nihil relictum est, dum summa sic scripta pro non scripta habetur, irritum faciunt testamentum. *Instit. de exhered. lib. in princip.* Neque hæc ad solemnia tantùm faciunt testamenti; quia & in milite obtinent scribente testamentum commilitonis. *l. quod adhibitus. C. de his qui sibi adscript.* vt etiam apud nos obtinere debeant, etsi per mores nobis, vt militibus, remissæ sint solemnitates. quod & in notario & parocho adhuc memorat edictum anni 1611. art. 12. Quin & S. C^tum. Libonianum seu Claudian. non tantùm nullitatem, sed & pœnam irrogat. *d. l. Diuus.* & ignorantem etiam tenet. *l. 2. 3. 4. 5. C. de his qui sibi adsc.* imo & in causa, vbi de veritate non dubitatur. quia etsi causa impulsiua legis cessat, non mox cessat lex. etsi adhuc pater subscripserit. *d. l. Diuus. §. plane. cum seqq.*

Et verò an scribenti tantùm obsit sua culpa, an etiam cohæredi cum scribente vniuersaliter instituto? quæri potest: & deciditur *in d. l. filius. §. sequens. D. de falsis.*

17. Quid si notario tantum quis sibi dictauerit adscribendum?

Eadem controuersia mouetur quando nõ quidem quis sibi scripsit, sed vel notario tantum dictauit. vt apud Pecquium de *testãt. coniugum lib. 3. c. 10.* videre est ex contentione Molinæi *ibid.* cuius rigor rei gestæ primordium spectat; benignior sententia inchoat rem ab interuentu notarij. Ita tamen vt ille mentem ipsius testatoris diligenter excipiat. *Idem Pecq. eod. l. 1. c. 17. Charond. Resp. l. 5. v. 46. Busius. ad l. 21. D. Qui testam. fac.* adeo vt sicut nec sufficiat subscriptio testatoris generalis, cùm quis sibi quid adscripsit, sed requiritur vt dicat illa se iubente ita esse scripta, & à se recognita: *d. l. diuus. §. plane.* sic & necessarium contendatur specialiter scriberi testatorem ita ex mente sua ab alio dictata esse Notario, & à se recognita.

RESPONSVM III.

De testamento à notario testatore & testibus signato quidem, sed in quo nec signationis, nec interrogationis, an scribere possent, est mentio.

IVbet edictum anni 1611. testamenta subscribi per testatorem & duos testes, si quidem scribere possint: super quo à Notario, parocho, seu vice-parocho interrogabuntur: qui tenebuntur in vno alteroue casu eius facere mentionem in suis instrumentis. ex quibus verbis ortum est dubium, an Notarius teneatur mentionem facere suæ interrogationis, an tantum scientiæ, potentiæue, aut ignorantiæ scriptionis testatoris, & testium: item an expressa in casum scientiæ & potentiæ huius mentionem facere; an dicere testatorem & testes secum subscripsisse?

1. Quando ex actis infertur præcessisse interrogationem satis ist.

Et sanior sensus videtur interrogationis mentionem non esse faciendam; quando dicit declarasse testatorem se nescire scribere; quippe ea declaratio præsupponit factam esse interrogationem. *argumento §. si scriptum. Inst. de stipul.* Iterũ satis esse videtur si scripserit testatorem & testes secum subscripsisse: quod actus ipse id satis inferat: & rationi, finique legis satisfaciat. & Concilium priuatum validum esse testamentum respondit ad relationem Senatus Audomarensis *28. Iulij. 1621. & Concilij Artheſien. 12. Nouemb. 1628.*

Facit ad hæc quod edictum mentionem fieri velit in vno atque altero casu, scilicet quod scribere sciant aut nesciant; subscripserintue. nam interrogationi faciendæ non tribuit duos casus: sed precisè vult illam fieri, quamquam non certa forma verborum, dummodo effectus habeatur: ideoque non opus est præcisè interrogare expressè, sed si dixerit; *placetne subscribere?* & accepto calamo subscripserint; implicitè satis interrogatum: rationi, & fini, legis erit satisfactum. nec in testamento illo Audomarensi alia fuit interrogationis mentio. & in edicto quod pridem in Gallia latum est, interpellatio huiusmodi tantùm requiritur.

2. Dum finis edicti obtineatur.

Vt autem in vno atque altero casu scientiæ vel ignorantiæ, potentiæ, vel impotentię mentio fiat: vel expressa vel qualiter diximus implicita; finis edicti, dubij scilicet, aut falsi vitandi causa, admodum facit. quippe, quamuis testator & testes subscripserint re ipsa; notarius tamen aut parochus subscripsisse eos non adiunxerit; & testes forte postea corrupti subscriptiones aut subsignationes suas negauerint; notarius aut testes obiuerint: hæredes se non agnoscere testium signaturas bona vel mala fide dixerint; non erit obtentus finis vitandi dubij, aut falsi. ideoque omnino dicendum est expressam aut implicitam, vt diximus, mentionem esse faciendam tam quoad testes: quàm testatorem. nam edictum coniuncta, & plurali locutione omnes videtur comprehendere.

Cùm ergo in hac causa mortuo notario in protocollo non inueniatur facta mentio huiusmodi interrogationis, nisi quoad testatricem; quod ob impotentiam, & cæcitatem scribere nequiuerit: de testibus autem ne quidem additum sit à notario, quod secum subscripserint: quamuis eorum nomina subscripta inueniantur: neque supposititia habeantur: forma tamen seruata non est: neque finis per illam obtentus: sed accidit per casum ignorantiæ, & probitatis hæredum. adeoque id obtinet, quod ab eodem Concilio responsum retulimus super omissione notarij *in iur. Pont. Nou. anal. de testam. n. 20.*

Accedit quod codicilli, de quibus quæstio, conditi sint à testatrice cæca: in cæcis autem Iustinianus *in l. hac consultiss. C. qui testam. facere poss.* præter communes solemnitates exigit, tabularium: aut, si deest, octauum testem: vt quamuis moribus nostris aut in edicto id disertè non exprimatur: tamen videri possit huiusmodi casum nota speciali indigere. qualia si non sint expressa censentur omissa. *l. item. §. ait. D. De iniur.* casus autem omissus dispositioni iuris relictus. *l. si extran. D. de condict. ob caus. l. si cum dotem. D. sol. mat. l. commodissime. D. de lib. & posth.* adeoque Princeps intra iuris communis cancellos edictum suum voluisse continere. *DD. ad l. hæredes mei D. ad Trebel. Bald. ad l. fidei commissum D. de legat. 3. Iason ad d. l. commod. Alciat. reg. 3. præsumpt. c. 12.* aut saltem accuratè admodum atque eximiè consuetudinarias & edictales solemnitates seruari.

Sed obiecta est Actrici exceptio, quod codicillos ratificauerit, iuxta illorum tenorem hæreditatem diuidendo, quotam suam recipiendo, & ex illa partes, seu reditus vendendo, coram magistratu cum tutore extraneo, vt moris est, & aduocato suo:

Sed quoniã iuris ignorantia nemini, vt iuris sui iacturam faciat, obesse solet; & hęc, quam diximus, nullitas iam tunc ante in quæstionẽ non venerit; subintrat hæc controuersia; an per aliquos actus quis censeatur id ratificare, cuius nullitatem ignorat? quam latè tractat Sanches *& authores ab eo citati de mat. l. 2. disp. 30.* & verius sanè est non

non ratificari id, cuius nullitas ignoratur. *c. 2. & c. fin. X. de cong. feru.* quoniam nihil est tam consensui contrarium, quàm error. *l. si per errorem. D. de iurisdict. omni. iud.* pro errante autem aut ignorante etiam ille habetur, qui titubat, dubitatue. *l. vlt. de condict. indeb.* vt quamuis leuis mentio iniecta fuisset huiusmodi difficultatis; per alios tamen actus non facilè etiam titubans tacitè censendus sit ratificasse. *per ea quæ Sanches vbi sup. latè tradit.*

Cæterùm quoniam fassus hic est hæres ab intestato sibi notam esse defuncti voluntatem; sed obiecit eam legalibus sollemnitatibus non esse conformem, obiectus est *§. fin. Inst. de fideicom. hæred.* sed is loquitur in eo qui priùs voluntatem negauit: non si ab initio fassus sit, & super defectu sollemnitatum exceperit. *Mynsing. Sneichduin. alyque ibid.*

RESPONSVM II.

Siquis aliquem testari prohibuerit an hodie pœnæ legales obtineant.

IVre Romano multi sunt casus, in quibus fisco applicantur, quæ indignis auferuntur. *D. & C. de his quæ indignis. & specialiter D. & C. si quis aliquem testari prohibuerit, vel coegerit*: quæsitum est, an huiusmodi leges per mores nostros receptæ sint?

1. Negatiua probatur.

Et quidem Bugnion. *de lois abrogées. l. 2. sec. 27. moribus*, inquit, *Gallicis nullo fere casu quod aufertur vt indignis fisco defertur.* idem tradit *l. 4. lem. 38. & latè Christinæus vol. 1. decis. 200. n. 17. & multis seqq. vbi citat authores omnino multos, & singulatim Molinæum ad Consuet. Paris. tit. 1. §. 8. gloss. 3. n. 9. in hoc regno*, inquit, *nec ex illo titulo D. & C. de his quibus vt indignis, nec ex titulo, si quis aliquem testari prohibuerit quicquam ad fiscum deuoluitur*, ac denique *n. 26. certum est hanc opinionem vbique*, inquit, *vsu & praxi esse receptam, ac proinde ab ea in consulendo & iudicando non esse recedendum, passim enim omnes indigni pro incapacibus & pro non scriptis habentur.* quod in fratricida latè deducit An. Rob. *rer. iudicat. l. 3. c. 7.* asseritque Christinæus & in his ditionibus eam sententiam esse receptam iudicio antiquissimorum practicorum Consiliariorum, & aduocatorum, eandemque iterum sequitur vol. *4. tit. de his quibus vt indignis n. 5. & seqq. citatque rursum plures authores, quos etiam secuti sumus in not. Iur. Belg. tit. de iur. fisc. verf. pen.* quorum ea ratio dari potest, quod hæ ditiones Belgicæ sint consuetudinariæ. *vt deduximus in Iur. pont. nou. anal. de const. n. 11. & altius in Hiatu. l. 1. c. 3.* & singulatim Brabantia. vt patet ex legibus Ioannis Ducis an. 1312. vt mirum non sit apices illos iuris Romani, subtilemque distinctionem inter incapaces & indignos, vt illis tanquam non scriptis ad agnatos deuoluatur successio; ab his tanquam qui successerint id auferat Fiscus, quo digni non sunt; per consuetudines non esse receptam: sed benigna eas simplicitate indistinctè fauere agnatis, vt penes hæredes proximiores maneat, quod alteri auferendum est. quemadmodum eædem consuetudines omnes subtilitates iuris scripti in condendis testamentis reiecerunt; sola notarij & duorum testium præsentia contentæ. adeoque partim testatum, partim intestatum decedere permittunt. quod Romanæ leges soli militi permittebant. & bellicosus ille populus, in quo nemo olim non militabat, si necessitas ingrueret, vt liquet etiam ex dictis legibus Ioannis Ducis, ad omnes transtulit. & quidem aliquæ consuetudines adeò fauent consanguineis, vt vsum testamenti quædam non permittant omnino; quædam

2. In patria hac consuetudinaria.

3. Quæ in vltimis voluntatibus respuit veteres subtilitates.

4. Fauet cognatis, exclu. so fisco.

ad trientem tantùm patrimonij, & iam olim Tacitus *de moribus Germanorum* scripserit vsum testamentorum illis fuisse ignotum. vt facile creditu sit ex legibus Romanis voluisse fisco deferri, quod ab intestato ad illos pertineret, si indignus defuisset.

Quemadmodum antiquus etiã rigor fiscalis arripiebat qualiacumque etiam sine crimine caduca. cuius rei iniquitas caducorum abrogatoriam legem extorsit vel ipsis Romanis. *l. vn. C. de caduc. toll.*

5. Ad mores feudales.

Quinimo vt consuetudines aliæ alias prouocant, & interpretantur secundùm casus similes, vt decernunt etiam dictæ leges Ioannis Ducis, coniecturare licet in his indignorum causis per proximiores agnatos excluſum Fiscum: ad imitationem consuetudinum feudalium; per quas qui fratrem occidit, vt totum feudum haberet, feudo quidem priuatur, vt indignus; sed non ad Fiscũ illud; sed ad proximum agnatum defertur. *c. 1. §. similiter. vbi gloss. in verb. fratrem. Quibus modis feudum amittatur.* iterum si vasallus in dominum deliquerit, & si ob odium patris etiam filio feudum auferatur, non tamen agnato proximo. *c. vnic. tit. si vasallus feudo priuetur. l. 2. feud.* quam coniecturam iterum iuuat, quod tota hæc olim gens fuerit militaris, & feudorum consuetudines leges sint militares.

Adeoque tum in genere recipiendum videtur Fiscum per mores nostros partem petere non posse, quæ indigno aufertur; tum in specie, si quis aliquem testari prohibuerit, minimè posse.

RESPONSVM III.

Siquis aliquem testari prohibuerit, qua pœna Fisco aut quæstori criminali teneatur?

SI quis testari aliquem prohibuerit si per mores loci compendium fisco non deferatur, sed agnato proximo; quæsitum est, an Fiscus ad arbitrariam pœnam agere possit?

Semotâ vi, cuius correctio est ex lege Iulia, non videtur olim alia pœna alia fuisse, quàm vt prohibens ex vi aut dolo lucrum non faceret. *l. 1. D. si quis aliquem testari prohibuerit.* sed successit lex Alexandri Seueri *l. 1. C. eod.* quæ crimen adiunxit. *vbi gloss. in verb. crimen* illud vocat extraordinarium. adeoque Menoch. *de arbitrar. l. 2. cas. 395. n. 1.* dicit criminalem pœnam iure definitam non esse; sed arbitrio Iudicis relictam. quam cùm authores alij aliam exigant; ipse *hodie*, inquit, *non iniuria dicere possumus, omnibus in casibus pœnam hanc esse arbitrariam.*

Porro in arbitrarijs statuendæ sunt pœnæ ex causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu; pro religione iudicantis, vt considerat hæc omnia lex aut facta. *D. de pœn.* ita tamen vt semper in mitiorem partem Iudex inclinet. *c. de causis. de off. deleg. c. in pœnis de reg. iur. in 6 l. si præses. l. fide interpretatione D. de pœnis.*

Denique ex authentica *vt nulli Iudicum §. & hoc peruenit.* non tantùm simplum ex interesse læso; sed & duplum ex pœna præstandum contendunt authores *Menoch. ibidem n. 27.* sed id quidem læsis, criminaliter autem, *iubemus*, inquit, *huiusmodi extra cingulum factos in exilium destinari. præmiserat* autem hæc; *ita iniquè*, inquit, *agunt occasiones lucrorum*

rum: vt neque testamenta concedant facere &c. sed inquit, *quidam prouincialium Iudices*: & propterea ad tales restringunt illum §. DD. *citati apud Menoch. n.* 29. & quamuis ille dissentiat, ob verba, *aut aly cuilibet*; tamen locus ille agit de Iudicibus, eorumque vicarijs: vt verba generalia videantur ad rubricam restringenda. vt solet dici rubrum cum nigro esse concordandum. præterquam quod illa verba generalia tantùm ponantur in prohibitione. post quam ita pergit ad pœnam; *si verò*, inquit, *quidam huiusmodi odibilem rem in quolibet loco nostræ reipublicæ præsumpserit agere, aut ministrare* (nota) *ei, qui hoc præsumpserit facere, iubemus huiusmodi extra cingulum factos &c.* agit ergo de ijs, qui cingulum habent, id est Iudicibus; aut qui eis ministrant; id est officiarijs. vt priuatio dicitur supponere habitum, & valere argumentum ab illa ad hunc ductum.

4. Arbitrium vt moderandum?

Sequitur ergo, quamuis variè disputetur quousque se extendat arbitrium Iudici commissum, ad pœnam irrogandam; in hac tamen materia prohibentis testari infra pœnam amissionis cinguli, seu exilij retinendam esse: quando prohibens non est Judex, aut ex eius officio. & est ratio summa differentiæ: quod Iudex obtentu potestatis delinquens, eiusue officium, teneatur de vi publica, non autem priuatus.

Præterquam quod rectè Menoch. *vbi suprà* tradat *n.* 25. locum non esse pœnæ prohibentis testari, quando testator exinde moram habuit, & libertatem postea testandi; sed neque si leuis fuerit prohibitio; seu impedimentum; aut dolus malus abfuerit. *n.* 32. 33. multo minus si quod actum est ad amicam inductionem tantùm spectarit. vt *in l. vlt D. & C. si quis alium testari prohibuerit*, & n. 30 probationes exigi clarissimas, adeoque testes omni exceptione maiores.

De sepulturis.

Vbi sepeliendi sint coniuges?

1. Vxor apud maritum præmortuum.

VXor eligere sibi potest sepulturam, quamuis marito non assentiente. *c. de vxore. X. de sepult.* si non elegerit, sepelienda est apud virum. *c. ebron. c. vnaquæque, 13. q. 2.* si plures viros habuerit; 2. Eumque vltimum. apud vltimum *c. is qui. §. fin. de sepult. in 6.* sed quid si viro præmoriatur? pulcherrimam vocat quæ: 3. Vbi si præmoriatur? stionem Panormitanus. *in d. c. de vxor. n. 6.* videntur enim ea iuris loca ita de vxore loqui, vt præmortuo marito apponatur. rectè tamen ait Panormitanus rationem militare in illis locis assumptam; vt *quos Deus coniunxit, homo non separet*; nec in vita, nec in morte. ideoque si maritus non tantum sepulturam elegit, sed etiam sepulchrum, monimentumue ædificauit quod electionem non facile permittit variari: recte dici in eo sepeliendam vxorem præmortuam. vt quos coniunxit coniugium, coniungat sepulchrum *d. c. ebron.* quod apud nos iuuari quidam rectè putant ex communione bonorum quæ per coniugium inducitur. vt si stante matrimonio sepulchrum ædificet maritus, commune vxori censeatur; & sepeliatur tanquam in suo: sin ante coniugium structum fuerit, vbi iure statutario, seu pacto domus & ædes etiam soluto matrimonio manent communes. idem dicendum est, vbi non manent: cessat cummunionis, & legis *ergo. 4. §. is autem. 21. D. de fidei commiss. libertat.* argumentum: non tamen ratio d. c. ebron.

Quid si ergo non proprium sepulcrum habeat maritus: sed maiorum, in quo intendat sepeliri? & existimat Panormitanus idem dicendum: si tamen resolutio certa sit. ne, si contingat variari, vxor sepulta maneat inter extraneos:

quod viua non præsumeretur voluisse. Quærit iterum, si maritus nec proprium, nec maiorum habeat sepulchrum; sed vxor habeat maiorum; an inferri debeat maritus in illud; quo illata, aut inferenda sit vxor? & magis est, vt debeat: ex eadem ratione *d. c. ebron.* si tamen non sit sepulchrum familiare; sed hæreditarium: non enim censetur vir transire in familiam vxoris; sed contra: iura autem hæreditaria communicari marito per vxorem videntur. Pium tamen est argumentum, vt non excludatur maritus: quod per coniugium vna caro factus sit cum vxore; quæ excludi non potest.

4. An maritus in sepulchro maiorum vxoris?

De parochiis.

RESPONSVM I.

An rector aut decimarum possessor teneatur præter summum sacrum ad aliud pro populi commoditate.

PRæscribit Concilium *Trid. s. 21. cap. 4. de ref.* vt in omnibus ecclesijs parochialibus, & baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, vt vnus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, & cultui diuino peragendo; cogant Episcopi rectorem, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum.

Quæritur, vbi populus est numerosus; & rector sufficienter dotatus; teneatur ipse, aut qui maiores decimas percipiunt, populo curare sacrum matutinale suis expensis, vel plura præter summum, pro populi necessitate, qui conuenire omnes non possunt ad summum? nec antè obligetur populus quàm non sufficiant omnes decimæ portioni congruæ, & isti onerari. vt in secunda parte *d. c. 4.* tum demum ad onus vocatur populus cùm necesse est, siue in subsidium, non sufficientibus fructibus quomodocumque ad ecclesiam pertinentibus. voluit enim Concilium necessitati populi prouisum esse, & tot esse sacerdotes, quot sufficiant cultui diuino celebrando, populo necessario. vnde videtur & id consequens de pluribus sacris vtique necessarijs, vbi non omnes ad summum conuenire possunt.

Verùm neque timorati parochi, neque Episcopi, Abbates, & Capitula, qui incorporatas habent parochias, & primitiui pastores dicuntur, id præstant: neque antiqui canones parochum obligant, nisi ad summum sacrum, seu missam parochialem. ad quam parochiani conuenire debeant. *de qua fusè Theophilus parochialis. p. 2.* eoque & Concilium secundùm antiquos canones accipiendum est, dum distertè aliud non exprimit: vt nihil de missa matutinali: de qua nec antiqui canones.

a. Mutuo ut.

Sanè, *si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est, qua iure ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuit. optima est enim legum interpres consuetudo. ita lex 27. D. de leg.* cùm ergo huiusmodi onus antiqui canones parochis primitiuis, seu vicarijs non imposuerint, neque consuetudo, nec Concilium *Trid.* exprimat; non videtur *recedendum ab eo iure, quod diu æquum visum est. l. 2. D. de constitut.*

b. Quia ergo.

Nec verò necessitas audiendi sacri, quoad illos qui distracti cura familiæ, pecorum, aliáue ad parochialem missam conuenire non possunt, facit vt secundum tertiumue sacrum habeatur pro necessario cultu diuino, cui peragendo assumendi sint sacerdotes, quia vel simpliciter excusari possunt, ob

ob impedimentum; ne teneantur ad audiendum sacrum: secundùm ea quæ habet Nauar. *in Manual. c. 21. & passim Summistæ*: vel iterum ex consuetudine, qua in pagis præsertim vbi plura sacra non celebrantur, impediti censentur hactenus non obligati. & in huiusmodi missæ audiendæ etiam relaxanda obligatione valere consuetudinem tradit idem Nauarrus. *ibid. n.* 4.

Imò audiendæ missæ parochialis tanta olim fuit obligatio *ex Concilio Constant. 6. general. can.* 80. vt si quis tribus Dominicis abesset, nisi impeditus, excommunicaretur: eaque ratio vt alicubi obseruaretur, vt missa vnica dici permitteretur. quod reprehenditur *in c. necesse. de consecrat. dist.* 1. & alicubi adhuc obtinet, vt sub summo sacro alia fieri vetentur. *Choppin. de sac. policial. 2. tit. 7. n.* 31. vbi ille consuetudini etiam deferendum censet. & *in d. c. necesse.* non dicitur obligationem incumbere; sed omnium deuotioni satisfieri non posse, si vnius tantum missæ more seruato sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte (seu ad parochialem missam) conuenerint.

4. Cur verba Concilij eò non pertineant.

Et verò, si Concilij verba *cultus diuini peragendi* extendenda sint ad sacrum matutinale, aliudue, non opus est exigere numerosum populum. cùm quæuis vel maximè exigua parochia, etiam paucarum familiarum, huiusmodi necessitatem sacri matutinalis patiatur. cùm in omnibus ferè familijs, præsertim rure, aliquis ad sarcinas, custodiam domus, pecorumue relinquendus sit; & missæ parochiali adesse non possit. exigit autem Concilium Trid. valde singulariter populum numerosum. non igitur vbi non est numerosus obtinet. *arg. à contrario sensu. quod in iure dicitur esse validissimum. de quo latè Euerard. in loc. leg. loc.* 82. atqui generatim traditur legem obtinere, vbi ratio legis obtinet, aut vbi certum est illam non obtinere, quærendam esse aliam legis rationem. *vide Euerard. in loc. legal. in loco aration. legis.* 78. *cum seqq.* vnde cùm in non numerosis populis obtineat tamen necessitas audiendi sacri; nec tamen obtineat decretũ d. c. 4. alia quærenda est d. c. 4. ratio. nec obligare dicenda est illa necessitas, vbi populus est numerosus, parochum primitiuum, vicarium seu rectorem ad plura sacra. sed cultui diuino satisfacere censebitur, sufficienter administrando omnia sacramenta; prædicando verbum Dei, catechisando, missam parochialem celebrando, vesperas, laudes, aliaque, quæ potest, officia subeundo, secundùm consuetudinem loci. *c.* 1. *9. X. de celebrat. miss.*

4. Et si ad omnes qui parochorum iure & loco sunt.

Dixi parochum primitiuum, vicarium, seu rectorem: quia Concilium Trid. rectores vocat, seu alios ad quos pertinet. eo vtique modo, quo in secundo casu d. c. 4. loquitur, *in verb. ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus.* quales possident tam primitiui parochi, quàm vicarij, seu rectores. vt res illæ ad omnes transeunt cum suis oneribus. eademque æquitas est in vtroque casu, & ad omnes matricis ecclesiæ fruuctũ possessores spectat decretum d. c. 4. sed eo tamen ordine, vt priùs teneatur rector, seu vicarius, quàm primitiuus. quia constituta illorum portione congrua translata sunt in illos onera parochialia ex formula omniũ vnionum, & incorporationum: in subsidium autem tantùm tenentur primitiui; dum congrua portio non sufficit. seu potius illa augenda est ad rationem oneris, cui ferendo sit impar. quæ portio pendet ab arbitrio Ordinarij loci. ita vt certa taxa præscribi vix possit, ob locorum, temporum, & pretiorum varietatem.

RE-

RESPONSVM III.

De congrua parochorum & Vicariorum portione.

1. Postulari an debeat, & à quo posit?

IVdicium hoc non dari, nisi postulatum fuerit, *ex l. 4. §. hoc autem iudicio. D. de damn. infec. & ibi DD.* ait Rebuffus *tractat. de congrua n. 14.* sed rectius dicitur ex officio incumbere Ordinario *ex clem. 1. de iur. patronat.* non tantùm initio, vt admittit Rebuffus; sed & postea; si vicarius non tantùm congruè non se sustentat; sed nec hospitalitatem, & alia parochi onera, vt decet, sustineat. parochianos denique, eosque quorumcumque interest, congruæ portionis assignationem postulare posse diximus *in consult. can. tit. de paroch. consult. 7.* quinimo rectè Rebuffus *vbi sup. n. 15. 16.* non posse ait vel expresse vicarium renuntiare portioni congruæ? in præiudicium successorum, vel iurium Episcopalium, adde, vel pauperum, & hospitum. quin & *n. 31.* simoniacam dicit esse conuentionem de non petenda congrua portione, si initio fiat, sed nec transactione, aut aliàs tolli posse. *n. 90. 91.*

2. Vicarius perpetuus esse an debeat?

Portionem congruam restringit Rebuffus ad vicarium perpetuum *n. 18.* sed extendit secus Concilium *Trid. s. 14. c. 18.* vbi vacante pastoratu debet Episcopus statim idoneum vicarium *cum congrua*, inquit, *eius arbitrio fructuum assignationis portione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore prouideatur.* temporali ergo hic etiam vicario congruè prouidetur. *ex qua ipsius*, inquit, *ecclesiæ onera sustineat.* hæc enim describitur congrua. sed & Tridentinum. s. 7. c. 7. congruam assignari vult vicario etsi non perpetuo. & sic in præsentatione à religiosis exemtis assignari iubetur. *in d. c. de monachis. X. de præb. c. 2. de supplend. neg. Prælat. c. 1. de præb. in 6.* vbi id extenditur ad qualescumque patronos: &, nisi id præstiterint, & vicarios præsentauerint, supplet Ordinarius. *clem. 1. de iur. patronat.* cuius clementinæ ordinem *n. 25. & seqq.* contendit Rebuffus esse sequendum; alijs contendentibus non esse necessarium. imò sepius vacantis adhuc vicariæ taxatur congrua portio; vt magis idonei prouocentur.

3. Quæ congrua?

Vicarium ad rationem reddendam obligant canones *in c. in Lat. Quiranens. de præb. c. ex literis in fin. de iur. patronat. c. cum & plantare. §. in eccles. de priuileg. c. sane. 16. q. 2.* Episcopo quidem de populi cura; Abbati verò pro rebus temporalibus, ad monasterium pertinentibus: id est, illis, quas nomine monasterij, seu patroni recipit. non verò de portione sua congrua, nisi sit regularis, quia rei suæ quisque moderator est, & arbiter. facultates suas alteri nudare, aut rationem dare non tenetur. sed earum tantùm, quas nomine alieno administrat. *clem. quia contingit. de religios. dom. latè Rebuff. ibid. n. 40. & seqq. vide quæ diximus in Consult. can. de regular. conf. 6.*

4. A quo congrua peti possit?

A quo congrua peti possit quærit Rebuffus *ibid. n. 47.* & ait generaliter ab omnibus qui ecclesiæ prouentus recipiunt. *latius diximus de paroch. conf. 4. §. nam ad laicos. de repar. eccl. cons. 4. §. igitur. & in iur. pont. noui anal. de paroch. n. 12. & seqq. de feud. n. 3. de ædificand. eccl. n. 13.* vbi de decimis feudalibus etiam diximus. quæ si cum dominijs, & sub feudis iam antè laicis concessis ad ecclesiam venerint; huiusmodi decimæ à laicis feudi nomine possessæ, non tam censentur ab ecclesia moueri, quàm ab illis dominijs; neque naturam ecclesiasticarum induisse. *Vide Vantes. de decim. conf. 439. n. 4. 9.* sed ob nexum feudalem qui reuersionem impedit ad primæuam naturam mero iure, cùm illa sit spiritualis;

ille

ille secularis; magis ad iudicium seculare quàm ecclesiasticum pertineant. *c. ex transmissa. X. de foro. comp.* quamuis nostratia edicta decimas quocumque titulo ab ipsis ecclesijs possessas non eximant ab oneribus ecclesiasticis. quod iterum examinandum est cum patroni aut donatores decimas ecclesijs non simpliciter dederunt, sed sub oneribus, quæ annuè præstanda sunt. nam eatenus censendæ sunt adhuc penes laicos esse. quia bona non dicuntur nisi deducto ære alieno, onere atque impensis. *l. mulier. D. de iur. dot. L. fructus. D. sol. mat. l. 1. C. de fruct. & lit. exp. C. præsenti. §. fin. de off. ord. in 6.* denique dicendum est de omnibus decimis onus feudale retinentibus, releuatisque à laicis, penes quos adhuc est directum dominium suo modo, vt verè non recuperent naturam spiritualem, sed tantum quæ liberè sunt reuersæ. quamuis edicta non consonent.

7. Qua actione? Qua actione petenda sit congrua? etiam quærit Rebuffus. *n.* 52. & rectè ait condictione ex lege, & d. decretali de monachis &c. vindicari etiam potest, si in re certa semel fuerit constituta. sic vindicare dicuntur, qui indultum habent de percipiendis noualibus, vnam earum medietatem, alteram relinquunt pro congrua parochi. *c. 2. §. 1. & seqq. de decim. in 6.* & in Gallia praxim ait obtinere Rebuffus, vt vicarij & parochi petant sibi adiudicari decimas veteres, & nouales; & in subsidium congruam portionem: sed is modus apud nos non vsurpatur. nisi fortè non antiqua satis sit possessio aduersarij, & titulus non appareat. tunc enim parochus præsumptionem pro se habet, nisi titulus exhibeatur, aut immemorialis sit possessio. *c. 1. de præscript. in 6.* quod capitulum latè examinauimus *in Consult. can. de decim. cons. 5.*

Petitur ergo hîc regulariter assignatio congruæ portionis. nec opus est hodie expressione nominis ipsius actionis. sed contingit nonnumquam dubitari, quotam cum alijs decimarum partem habeat parochus? & nisi titulus possessione liquida sit, pro parocho standum est. *d. c. 1.* cui fauet ius commune, quatenus aliud non liqueat. sed cùm parochum diximus, primitiuum non excludimus: dummodo talem esse constet. quo casu potiora sunt illius iura, salua vicario congrua. *Rebuff. d. tract. n. 108. & seqq.*

8. Coram quo iudice? Quærit exinde Rebuffus *n.* 55. coram quo Iudice peti debeat congrua portio? & ait coram Ordinario. idque conuincunt textus quos supra allegauimus etiam aduersus quomodolibet exemtos. negat *n.* 57. ad inferiores id spectare: tametsi alicubi obtinuerit, vt & Archidiaconi de illa statuant. Conseruatores Apostolicos permittit cognoscere, non Iudices sæculares. quod & tradit Ant. *Faber. in Cod. suo. tit. de iurisd. omn. iud. d. 18.* sed apud nos quid obtineat diximus *in iur. Pont. nou. anal. de paroch. n. 12. & seqq.*

9. Quo ordine litis. Negat etiam *n.* 60. summariam illius esse cognitionem: sed apud nos contra statutum est in Synodo prouinc. Mech. 1607. Romæ probata. *tit. 17. c. 4. diximus ibid. n.* 11. & probat edictum ad illam *ar.* 15.

10. Quanta? Quanta debeat esse congrua? quærit Rebuffus *n.* 80. quartam quartæ assignari aliquando solitam liquet *ex c. exstirpandæ. de præbend.* sed apud nos ferè duæ tertiæ à nobilibus olim possidebantur, quæ multis locis fundandis monasterijs, aut collegijs datæ sunt; vna tertia parocho relicta. quæ vbi fortè videbatur exuberare aliquantulum, multis locis ipsæ parochiales incorporatæ sunt monasterijs, aut Capitulis; & sic ea tertia diuisa vt vicarius mediam tertiam obtineret. iudicio Curiæ quartam pro congrua instar Trebellianicæ adiudicatam refert Rebuffus.

buffus. Concilium Trid. autem *ſ. 7. c. 7.* tertiam, maiorem vel minorē partem adiudicari permittit. d. autem c. exſtirpandæ exigit vt pars vicarij ſit ſufficiens. remittit quidem d. c. 7. illud arbitrio Ordinarij; ſed vtique ſecundùm canones re-regulato: id eſt, vt loquitur Clemens *in c. 1. de iur. patronat. in clem. vt ſecundùm conſcientiam moderationem portionis*, inquit, *ipſius debitè faciant; nec odio, vel fauore, vel alias in pluri, vel minori circa illam ſcienter excedant.* vnde queritur Pius V. quoſdam Ordinarios, ex facultate arbitrij per Concilium conceſſi, *ita modum*, inquit, *exceſsiſſe, vt parum aut nihil ex fructibus, redditibus, & prouentibus parochialium eccleſiarum ſic vnitarum eccleſijs, monaſterijs, beneficijs, collegijs, aliſue locis pijs remanſerit. cùm tamen ad diuina officia celebranda, hoſpitalitatem ſeruandam, & charitatis opera exercenda, & onera illis incumbentia ſupportanda vniones eſſent factæ.* quare impoſterum portionem congruam non minorem eſſe voluit ſcutis quinquaginta, nec maiorem centum. quod ferè imitatum eſt Concilium prouinc. Mechlin. 1607. *tit. 17. c. 3.* vt neque deſit vicario quod neceſſarium ſit: nec ſupra id patronis auferatur; quo minus & illi oneribus ſibi incumbentibus poſſint ſatisfacere.

Itaq;, vt Rebuffus ait *n. 16. & ſeqq.* expendenda ſunt in vicario illius victus, dignitas, gradus, ſcientia, nobilitas, familia neceſſaria, denique beneficij onera, cathedratici, ſynodatici, ſimiliumque iurium Epiſcopalium, hoſpitum pauperum, fabricæ, procurationum, ætatis, mos regionis, & beneficij facultates. vt dos conſtituitur ex dignitate, & facultatibus, ex numero liberorum. *l. ſi filiæ. 43. de legat. 3.* quæ omnia tamen à Pio V. intra centum ſcuta rediguntur: *cuiuſcumque*, inquit Pius, *valoris parochialis eccleſia vnita fuerit. & habita etiam ratione reditu & onerum loci cui parochialis ipſa vnita ſit.* ita quod portiones vltra & infra dictas ſummas ſcutorum centum, & ſcutorum quinquaginta hactenus aſſignatæ, vel in poſterum forſan aſſignandæ, quoad ceſſum & defectum huiuſmodi nullius roboris & momenti exiſtant, & ad ſummas prædictas reductæ & auctę reſpectiuè cenſeantur. vnum tantum caſum excipit, quo eccleſia vnita non excedit ſcuta quinquaginta. tum porro ſufficit, quod *omnes fructus*, inquit, *eum dumtaxat attribuantur vicario perpetuo.* vt vicarij cauſa in defectu potior ſit, quàm eccleſiæ, cui facta eſt vnio. *Faber in Codice l. 1. t. 2. def. 5. 3: Rebuff. ibid. n. 101.*

Sed neque apud nos obtinet quod ait *n. 65.* Rebuffus, vt inter onera referatur clericus, quem debet habere parochus; & ſine quo miſſam celebrare non poteſt. *c. propoſuit. X. de fil. presbyt.* ſed populus illum alit per ſingulas domos, aratra, aut aliàs annonam aſſignando. & ferè ludi-magiſtri officium coniungitur *iuxta. c. 3. X. de vita & hon. cler.* quo fit vt ex mineruali magis competenter alatur: & orbo eccleſiaſticus ſeruetur, qui in ſortem domini vocatos huiuſmodi muneribus addicit. eoque & penti literarum eſſe debent, non ſutores aut ſartores duntaxat. nam imperitos ad tonſuram promoueri eſt prohibitum ſub pœna ſuſpenſionis à collatione clericatus. *c. fin. de tem. por. ord. in 6.* & deſiderat Concilium *Trid. ſ. 23. c. 17.* vt omnes functiones reipſa ſuis ordinibus reſtituantur.

Quæritur iterum *n. 85.* quid in quartam imputari debeat? & ait Rebuffus non aliud, quàm quod iure eccleſiæ ſuæ habet: non extra eam cauſam, non obligationes incertas, non diſtributiones, non anniuerſaria, non alias fundationes, non legata pro miſſis, aut quodcumque lucrum aliunde habitum, quam iure parochiali.

At

At verò Pius V. congruam constituit *computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obuentionibus communiter percipi solitis.* & consonat d.c. 3. Concilij Mechlinien-sis: *computatis*, inquit, *certis fructibus, & emolumentis, ac incertis, seu accidentalibus, quæ ad certam summam communiter tribus aut quatuor annis vltimò præteritis, redigi possunt.* Et neque Pius V. neque Synodus certa illa vel incerta requirit haberi iure parochiali. quinimò Concilium Trid. *s. 24. c. 13.* parochorum tenuitatem suppleri vult per beneficiorũ simplicium vnionem: at illa semper eam clausulam habet, vt nihilominus illorum supportentur onera consueta: cum quibus res transire dicitur ad quemcumque possessorem. & d. Synodus à Sede apostolica probata etiam admittit vnionem vicinarum, & minorum ecclesiarum parochialium. vtique rursus cum suis oneribus: quibus vtrobique vicarius satisfaciat, nec stipendia ex fructibus deducat.

Sed vtique quasi iam propria, per vnionem ecclesiæ onera subit. vnde aliquando, dum citra vnionem huiusmodi prouentus percipiuntur, id solum, quod onerum honorario soluto supereſt, in congruam imputandum videtur. quamuis Synodus d. c. 3. vnionibus adiungit, & comparat deseruituras. vnde in hac prouincia idem de vtrisque non improbabiliter dicitur iudicium.

Nec vllibi statuitur, vt gratis debeat habere parochus congruam: & labor quilibet alius missæ, aut cuiuscumque officij diuini, anniuersarij, laudum, vesperarum, non possit proficere ad congruam inueniendam. non enim otio parochi fauent leges. sed & dominicis, festisque diebus, atque aliàs sæpe celebrare tenetur: cum qua obligatione generali sæpe compatibilis est fundatio specialis, etsi amplior fuerit labor, quàm ex obligatione generali debeatur, satisfit intentioni canonum, si quo modo sufficienter viuere, & onera ecclesiæ supportare valeat. & verò Constitutio Pij V. desiderat finem vnionum non interuerti, quantum fieri potest per substractionem fructuum: ita tamen *vt nihilominus*, inquit, *cura animarum & parochialium laudabiliter exerceatur*: id obtineri potest quamuis parochus ad peculiarem insuper laborem aliquem obligetur. finis autem moderatur media. idque eò magis dicendum est, quod d.c. 13. Concilium Trid. post media ibidem proposita permittit Episcopo, vt *qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris aut parochiæ necessitate decenter sufficiat.* commodior autem erit ea ratio, quæ eiusmodi onera & fructus confundit, nec delicatè nimis vicario faueat: dummodo tantum redigatur, quod sufficiat.

12. Pro necessitate ecclesiæ & temporis.

Pro rectoris, inquit, *aut ecclesiæ necessitate*: in alternatiuis autem sufficit alterum adimpleri. *c. 70. de reg. iur. in 6.* adeo vt portio pro ecclesiæ necessitate congrua, augenda non sit pro necessitate personæ: sed semel rectè constituta, vt minui non debet; *c. auaritiæ. de præbend.* ita nec augeri. ex contrariorum disciplina. & imputare sibi debeat, qui beneficium sibi non sufficiens acceptauit. *Rebuff. ibid. n. 92.* nisi rebus fortè mutatis. *ibid. n. 93. 100.* Parochiæ autem magis quàm personæ rectoris respectum habet d. Synodus d.c 3. *in verb. nisi fortè parochiæ amplitudo aliquid amplius vltra 50. libras requireret.* quæ verba examinauimus *d. cons. 3.* & Conc. Trid. *s. 21. c. 4.* vbi populum numerosum in vno casu, & in altero distantiam locorum considerat. vbi etiam est casus singularis, vt cùm pro numero populi plures assumendi sunt à rectore sacerdotes; etiam taxa Piana, & prouincialis debeat excedi.

13. Quibus in rebus?

Denique *n. 81.* quærit Rebuf-

fus, quibus in rebus assignanda sit portio? & ait in fructibus, & prouentibus beneficij. *c.1. de præb.in 6. clem. 1. de iur. patronat.* ad quem modum Concilium Trid, *d.c. 7. portione*, inquit, *etiam super certa re assignanda.* vbi & res vna, quod non probat Rebuffus. *n.* 84. & stabilis, seu ex fructibus assignari potest. Objicit sibi Rebuffus *c. vobis. 12. q. 2. nec cuiquam clerico pro portione sua aliquod solum ecclesiæ putetis esse deputandum, ne per incuriam & negligentiam minuatur*: sed non agit de portione vicariorum, sed administratione vetere bonorum ecclesiæ, tunc adhuc indiuisorum; arbitrio Episcopi administrandorum & partiendorum. at verò d. Constitutio Pij V. & d. c. 3. synodi Mechlin. dum iubet illam congruam non supra centum scuta, nec infra quinquaginta taxari, pensionem nummariam videtur significare. at verò exaudienda est illa secundùm Conc. Trid. *d. c. 7. s. 7.* quod & in rebus permittit assignari: & porro pergit Constitutio Pij V. *siue in quantitate*, inquit, *aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo seu alia re stabili huiusmodi portio constituatur.* & quia Concilium commodiorem rationem permittit Episcopo *d.c.* 13. *s.* 24. satius plerumque erit in rebus certis assignari portionem, cuius merces, quæ detrahetur patrono, sæpe minor futura esset, quàm fructus ex ipsius industria vicarij eundem fundum colentis, seu administrantis colligendus. accedit quod rerum pretia sequuntur caritatem annonæ; in pecunia autem illis mutatis sæpius actum agere oportet, & parochos futuris ex mutatione controuersijs exponere. quod vitandum quantum fieri potest.

14. Exequenda appellatione remota.

Ad extremum quod super congrua portione statutum est appellatione suspenditur. *Rebuff. n. 19.* d. Synodus *c.* 4. non obstante appellatione iubet exequi, quod & delegati apostolici sequi tenentur. cùm Synodus illa sit Romæ probata. imò Trid. *d. c. 7. s. 7.* ab assignatione congruæ portionis remouet appellationes. vtiq; quoad effectum suspensiuum. vt *d. Synodus d.c. 4. & citati à Barbos. in Collect. DD. ad d. c. 7. in verbo appellat.* & hîc datur auxilium brachij sæcularis, siue per interlocutoriam, siue definitiuam quid sit decretum. *vide vbi sup. in Iur. pont. no. anal. n. 12.* etiam ad parochianos collectandos. *ibid.* quæ remedia quò magis sunt promta, minùs licet cessare à diuinis, etsi populus in ministrandis necessarijs deficeret. *Rebuff. n. 94.*

RESPONSVM III.

De finibus parochiarum.

DVm quæritur de finibus parochiarum magnam præsumptionem faciunt fines pagorum, iurisdictionumque sæcularium. quippe Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, dioeceses, parochiæ institutæ sunt secundùm loca, limitesque prouinciarum, vrbium, pagorum. *c. vrbes. c. in illis & tot. dist. 80. c. prouincia. cum seqq. dist. 99. c. sitote. 6. q. 3. c. ecclesias. 3. q. 1. c. pastoral. X. de his quæ fiunt à prælat. Concil. 1. Constantinop. c. 2.* adeo quidem, vt & semel constitutos fines confundere, mutaréue vllatenus, rigidè vetitum sit. *c. licet. c. quicumque. c. inter. 16. q. 3.* neque præscriptio admittatur. *ibid. & c. super. X. de paroch.* tanquam irrationabilis. *c. cum sint homin. 5. X. de decim.* ita tamen si fines legitima probatione, vel alias indubitata fide appareant. *d. c. super in fin.* alioquin præscriptio etiã in his finibus valet. *c. per singulas. cum pluribus alijs. ibid. q. 3.* ita vt quadragenario possessori finium turbatio fieri non debeat. *c. volumus. 16. q. 4. c. quia. X. de præscript.* vt tamen

1 Ad eorum cognitionem spectat finium sacrorum, siue locorum, siue

2 Non tamen semel

3 Non proper finium, siue

men territorium non facere diœcesim ait d. c. licet *in fin.* ita nec præscripta diœcesi territorij conuentum adimi statuit c. sicut. *ibid.* neque adeo firma certitudo ex finibus pagorum sumi potest; quin speciales circumstantiæ generalem præsumptionem vincant, aut eneruent. neque enim firmatæ semel parochiæ mutationē capiunt si qua accidat, vt fit sæpe, in finibus iurisdictionum sæcularium. *c. 1. §. nam quod scisitaris. dist. 10.*

At hic de antiquis parochiarum finibus, distinctionéue nulla proferuntur munimenta: fines etiam iurisdictionum sæcularium non seruatos hic, vt fines parochiarum constat, dum immemoriali vsu probatum est, & spiritualem iurisdictionem exercitam, & decimas vltra illos fines esse perceptas, sepulturas vti parochiales, parochialia iura presbyteri, custodis vltra illos fines recepta, habitantes extra fines in rectores fabricæ parochialis, mensæque S. Spiritus, seu eleëmosynarum parochialium assumptos. vt ex finibus sæcularis territorij argumentum liquidò hic fallat. & ratio distinctionis parochiarum. scilicet vt quisque sui gregis opportunè curam habere posset. *Conc. Trid. s. 14. c. 9. d. c. ecclesias* hîc non seruetur, cùm hic fluuiolus, iurisdictionum sæcularium terminus, quàm proximè alluat vnam ecclesiam parochialem, quam maximè in medio ferè populi cura animarum exigeret esse collocatam. *si contentio fuerit*, inquit c. plures. *ib. q. 1. de terminatione duarum matricum; plebes vtrarumque discernant: & si non conuenerint; Dei iudicio discernatur.* ergo vtriusque parochiæ seniores huiusmodi fines determinare debebant: si conuenire non possent, Dei iudicio discerni debet contentio. Dei iudicium vocat glossa iuramentum, sortem, iudicium Ecclesiæ. quod vltimum ita accipiamus; vt cùm neutrius ius liquet; Ecclesia, vt olim omnium parochiarum fines posuit, eadem in obscuratis ex arbitrio suo statuat.

4° Quid statuendum in incertis?

Igitur cùm non esse, & non apparere eadem censeantur; nec demonstrari possint hîc olim distincti fines; nec præscriptione aliqua satis vniuersali quæsiti: nec plus præscriptum quàm possessum dici possit: vterque autem parochus permixtim hos, illosue agellos, prout quisque vigilauerit diligentius, proscissis ericetis nouales fructus decimando, & parochialia ministeria obeundo, possederit; neuter vniuersim vicum aliquem ex ijs, qui controuertuntur; & sic minimè obtineri possit intentio canonum, distinctionem parochiarum exigentium; meritò hoc casu recipietur decretum eiusdem Concilij *Trid. s. 24. c. 13. § in ijs.* vt permixtæ huiusmodi parochiæ disterminentur; & cuique suus populus, aut grex proprius assignetur: quem exinde comitetur lac, & lana; quæ cuiusque pastori cedat. quemadmodum & *in c. 13. X. de decim.* Alexander III. Episcopo permittit assignationem decimarum noualium, quæ non fuerint natæ intra certam parochiam: alioquin propriæ vult relinqui. cùm ergo inter duas parochias hîc tantùm sit contentio; nec certi sint fines; poni vtique illi inter vtrasque possunt, & singulis suæ decimæ assignari. quod dubium nullum habet in terris adhuc incultis, in quibus nec possessio parochialis, nec præscriptio vlla est. sed & agelli illi, quorum decimæ pridem possessæ, & præscriptæ sunt; confusionis parochialis tollendæ causam nihilominus habent. vt & salus populi rationem exequendi decreti *d. §. in ijs*: vt terminentur indistinctæ parochiæ, vtiliori modo prout loci qualitas exegerit; vt loquitur Trid. vnde & quæ alter parochus intra alterius terminos nunc præfigendos

olim possederit; iure quidem parochiali; terminis nunc illis sublatis, decimæ, aliæque vtilitates parochiales, tanquam accessoriæ, & in consequentiam iuris parochialis nunc distincti, atque inuicem sublati, & attributi; cedant oportet cuique parocho, intra suam nunc parochiam.

RESPONSVM IV.

De Mendicantium prædicationibus in parochijs.

IN *ecclesijs parochialibus*, inquit clem. *dudum de sepultur. fratres* (Prædicatores & Minores) *nullatenus audeant vel debeant prædicare, vel proponere verbum Dei; nisi fratres prædicti à parochialibus sacerdotibus inuitati fuerint, vel vocati; & de ipsorum beneplacito, & assensu, seu petita licentia fuerit, & obtenta: nisi Episcopus vel Prælatus superior per eosdem fratres prædicari mandaret.* consonat quoad Minoratas Regula S. Francisci *c. 9.* quæ disertè vetat suis prædicare inuitis parochis. & quoad Prædicatores, eorum etiam Regula statuit, quod fratres omnia facient in diœcesibus Episcoporum, cum eorum licentia. & sic Martinus Papa prædicationis officium illis commisit, *sine præiudicio prælatorum, & rectorum. Sabarel. ad d. clem. dudum. §. ab olim. quæst. 25.* & seqq.

1. Invitari debent, non invitis parochis concionari.

Eandem clementinam *dudum* obseruare promiserunt omnes Ordines Mendicantes ciuitatis A. in Concordatis cum Capitulo initis.

Iterum Concilium *Trid. s. 5. c. 2. s. 24. c. 4.* statuit, ne in ecclesijs non suorum Ordinũ sine licentia Episcopi, aut illo contradicente vllatenus prædicent. & Greg. *XV. const. incip. inscrutabili* rigidius prohibuit; & ipsis Ordinarijs facultatem compescendi concessit. sed & hîc Capitulum ius ex antiquis priuilegijs Alexandri VI. & Leonis X. instar Ordinarij fuit, quæ est hodie per erectionem Episcopatus A. cessent respectu Episcopi; non tamen respectu cuiusuis tertij. vt propterea Ordines Mendicantes sine Capituli licentia, & obstante eorum contradictione, prædicare non possint.

2. Cum Episcoporum licentia, cũ nulla contradictione.

Præterea officium prædicandi Ordinibus Mendicantibus commissum est in solatium & subleuamen oneris, non in præiudicium Episcoporum aut parochorum. *D. Bonauentura in Tractatu quare Minores prædicent. D. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 4. ad 2. & in 3. p. q. 67. ar. 2. ad 2.* & disertè exprimit d. clem. dudum. *sub fin. in verb. sic eos in prædicationis officio, & propositionibus verbi Dei, ac omnibus aliis suprà dictis tanquam cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes, prompta benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, vt proinde illis æterna beatitudinis præmium augeatur, & animorum salutis incrementa felicia prouenirentur.* coöperatores ergo ad auxilium assumpti, non debent supplantare parochos in suis ecclesijs, ad quas olim ad formam ex d. clem. recitatam sunt admissi. Sic Imago *primi seculi l. 6. c. 1.* de Societatis in Belgium admissione respondet; *sed neque nos adhuc vsi priuilegijs, neque porro vsuros cum passorum offensione, quibus non emũ veniamus. sed adiutores, & administri. Vide Zuares t. 4. de Relig. l. 9. c. 1.* vbi sic priuilegia docet intelligenda. cùm non derogent Ordinariorum & parochorum iuri. *l. 6. c. 3. Statuta Societatis De Missionar. ar. 7. priuilegium Greg. XIII. quod refert Compend. V. Confess. §. 2. in V. non repugnantibus tamen* curatis.

Neque verò qui heri vocauit, hodie tenetur vocare; qui heri inuitauit, hodie inuitare, sed qui heri voluit, hodie potest nolle: nec quæ precariò, quod duntaxat durat, quamdiu visum est concedenti; *l. 1. D. de precar.* admissa sunt, parere possunt obligationem in

in futurum: quantocumque temporis lapsu. *l. si certis annis. & ibi DD. C. de pact.* tùm quia tempus non est modus inducendæ obligationis: *l. obligationum ferè. §. placet. D. de act. & obl.* tum quia actus agentium vltra eorum intentionem non operantur. *l. non omnis. D. de reb. cred* tùm denique quia actus voluntarij non extenduntur, nisi quatenus de necessitate inferunt. *l. 1. §. si quis hoc interdicto D. de itinere actuque priuat.* Ideoque Capituli admissio ad normam d. clementinæ, extendi non potest ad obligationem, vt inuiti in suis ecclesijs parochialibus Mendicantes prædicatores aliter, quàm illa præscribat, pati debeant.

5. Nec priuilegia sunt contraria, nisi Episcopus contra mandet in specie.

Et quamquam Ludouicus Miranda *in Manuali prælat. tom. 1. quæst. 50. ar. 4. conc. 2.* quædam his contraria priuilegia *Alexandri IV. Clementis IV. & Sixti V.* alleget; tamen subiungit ipse nec his vti debere Minoritas: obstante instituto S. Francisci. at verò dicendum est nec illa ipsa esse contraria: quippe quæ conditionem exigunt licentiæ vel Legati, vel Ordinarij; eamque exceptionem admittit d. clem. *dudum. in §. in ecclesijs vero parochial. in fin.* vbi mandatum contrarium superioris excipitur.

6. Sine præiudicio id fieri parochorum illa volunt.

Adiuncta etiam est clausula; *vt fiat absque ecclesiarum parochialium præiudicio.* quod etsi intelligi Miranda velit de decimis, primitijs, &c. nihilominus materia subiecta, de qua sermo est, conuincit & de eadem esse accipiendum. *Euerard. latè in loc. legal. à subiecta mater.* & de tali præiudicio, ad quod negat D. Bonauentura Minores prædicare. vt non tantùm parocho cedere teneantur volenti ipsi prædicare: vt decisum refert Barbosa *de off. paroch. cap. 14. n. 5.* & satis innuit Triden. *d. c. 4. in verb. vel ipsis impeditis*, & expressè cauit Synodus Antuerp. *an. 1609. tit. 11. c. 7.* sed etiam ne contemnant parochum, & insultent tanquam ipso inuito prædicantes.

Denique conditionem habent d. priuilegia, vt diximus, mandati Episcopi, seu Legati: cui refragari non possunt parochi: & quasi in voluntate superioris inclusa sit voluntas inferioris: vt ait Miranda: sed non eo sensu loquitur d. clem. *dudum.* quæ parochorum vocationem, inuitationem, beneplacitum, assensum, licentiam petitam, & obtentam exigit. sed quia parochi indiscretè aliquando possent dissentire; adiecit clem. exceptionem contrarij mandati superioris: *nisi*, inquit, *Superior per eosdem fratres prædicari mandaret.* non sufficit ergo Superioris licentia generalis prædicandi; sed specialis cuiusque parochi, aut illo dissentiente mandatum (non licentia generalis tantùm) Superioris contrarium: adeoque & speciale. nam & illud causæ, cur parochus dissentiat, cognitionem exigit: & in generali concessione non censentur ea venire, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *c. in general. de reg. iur. in 6.* non est autem verisimile Superiorem aliquem concessurum aduersus canones, vt via regia Mendicantes inuitis rectoribus vbique possint suggestum ascendere parochialem, adeoque d. priuilegia, exigentia consensum Superioris, intelliguntur de eo, qui sit conformis iuri, in ædificationem, non destructionem. & vnde *animarum salutis incrementa felicia procurentur*: vt loquitur d. clem. *dudum, seu Bonifaciana illi inserta.* Sic etiam in admissione Societatis IESV in Belgio Rex literis suis datis 20. Aug. 1556. inseruit, ne se possent ingerere exercitio vllarum rerum ad officium pastorale pertinentium, sine scitu, consensu, ac beneplacito tam parochorum, quàm Ordinariorum ad quos pertineat. & in Sanctiori Concilio iudicatum est 18. Mart. 1644. pro Ordinario Gandauensi mutante, au-

7. Quod vt intelligatur?

ferente, transferente ad parochos quasdam cathechizationes alijs pridem antè commissas. Vide quid in Gallia declaratum sit an. 1633. apud R. Belley. *En la Reuision de l'aduis d'un docteur.*

Neque verò satis d. clementinæ congruit, aut rationi; quod quidam videantur dicere, si stationes illis auferantur, recursuros sese ad Concilia regia: vt in illarum possessione manu-teneantur: quia satis clarum est sine alio titulo non competere beneficium possessorium: nec est vllus hîc Ordo, qui proferet alium possessionis titulum. sed potiùs obstant Concordata in quibus promiserunt seruare d. clementinam *dudum.*

Quin & si Romæ tales minæ & recursus indicarentur, possent Generalibus Ordinum à Papâ ea indici, quæ huiusmodi propositæ succiderent. vt nonnunquam accidit.

De Decimis.

RESPONSVM I.

An decimæ agnorum sequantur conditionem prædij?

IN pago N. soluuntur decimæ agnorum: & in eodem est prædium feudale, quod soluit solummodo manipulum trigesimum tertium ex fructibus prædialibus: parochus nascentibus in eo prædio agnis exigit vndecimum: colonus offert trigesimum tertium, ad ratam prædialis decimæ; contendit vlteriùs se non teneri.

1. An quota agnorum sequatur quotam frugum prædij.

Parochus procul dubio fundatam habet intentionem in iure communi quoad decimum; in consuetudinario hîc quoad vndecimum agnum.

Omnis ergo quæstio ex eo dependet, an rata consuetudinaria prædij affectet aut transeat ad agnos; seu ius ipsum reale prædij communicetur istis animalibus in prædio natis, an verò huiusmodi animalium species regulentur communi iure pagi consuetudinario?

Pagi inquam: quia edicta Caroli V. quæ agunt de nouis & insolitis frugibus decimandis, semper mentionem faciunt pagi: vt illius per annos quadraginta recepta consuetudo in decimandis frugibus sit seruanda: vt etiam pullorum decimas solui velit natorum in prædio nouali, si in pago pullorum decimæ soluantur. 2. An consuetudo pagi.

Mobilia, sanè vt sunt animalia, dicuntur sequi conditionem personæ cuius sunt, non glebæ aut loci vbi sunt: imò censentur esse in loco domicilij eius, cuius sunt. *Burgund. ad consuet. Fland. tract. 1. n. 21.* ideoque loci illius statuto subijci. *idem ibid.*

Adeoque inferri rectè videtur agnos in eo loco natos, vbi vndecimus parocho soluitur, iure consuetudinario pagi debere decimari, non ad ratam prædij.

Et quamquam glossa *in c. ab Apostolicæ X. de decimis* animalium decimas magis annumeret prædialibus, quàm personalibus: tamen *ibidem* etiam asserit, vt & alij Doctores, quos etiã sequitur Wamesem. *de decim. cons. 445. n. 4. Monet* vbi plures *de decim. c. 4. n. 16. 17.* animalium decimas deberi non vbi stabulantur, sed vbi pascuntur; aut etiam diuidi inter vtramq; parochiam. *Vide Rebuff. de decim. q. 8. n. 11. q. 6. n. 2.*

Vnde sequi videtur decimandi modum & ratam etiam rediendam esse ad consuetudinem loci vbi soluenda est decima. ergo videndum an iste grex ouium non soleat pasci in locis parochiæ, vbi integræ decimæ soluantur.

Sed obijci posset *ex l. 2. de verb. sig.* gregem haberi per modum accessionis ad prædium, vt equos & boues ad arandum; vaccas, oues ad stercorandum. *l. cum quidam D. de fund. instruct.* instrumenta autem fundi

fundi vt accessoria sequi conuenire conditionem fundi principalis, vt boues illius loci in quo laborant. *d. l. cum quidam.* sed præterquam quod dici possit hæc animalia non haberi omnino vt instrumenta prædij; sed pro œconomia, & arbitrio coloni; manifestum est in materia decimarum equos, boues, & vaccas non sequi conditionem prædij, aut vllatenus hîc decimari; adeoque nec hîc gregem ouium fundi naturam sequi debere, aut prædio quoad quotam decimarum pariari.

Nihilominus hoc argumento vsus est Wamesius *de decim. cons.* 441. *n.* 11. sed non ad eum effectum; sed vt censeantur animalia illi parocho debere decimas, cui & prædium in quo stabulantur.

Verùm *ibid. n.* 10. ait consuetudinem ibi probatam esse, vt ibi debeant agni decimari, vbi stabulantur, non vbi pascuntur: sed videtur de consuetudine speciali locorum, non generali agere: quia in alijs consilijs sæpius ingerit considerationem loci, vbi pastæ fuerint oues. *c.* 450. *n.* 1. 3. *de decim.*

Et singulatim alibi: *vbi pastoris intentio*, inquit, *sine vllo impedimento erit bene fundata contra colonos; ea potissimùm etiam consideratione, quod animalia publicis & communibus pascuis, non tantum quæ conducti titulo possidentur, sed etiam alijs plerumque alantur; & sic ratione prædij, vbi stabulantur, hanc immunitatem habere non debeant.*

Quibus verbis satis videtur decidere à prædio, vbi stabulantur animalia, his non imprimi immunitatem; vt ibi omnimodam (agit enim de Cistercienfibus) ita nec hic aliqualem: scilicet quoad minutiorem quotam.

RESPONSVM II.

Hodie decimas in laicos etiã via permutationis transferri non posse.

DEcimarum, spiritualiumque iurium laicos esse incapaces passim receptum est: *c. decimas.* 16. *q.* 2. *c. causam. de præscript. c.* 2. *de Iud.* vtilitatem tamen temporalem, conductionis titulo, aut simili, à laicis haberi nihil vetat: si non ad longum nimis tempus concedantur. & ante Concilium Lateranense solitas fuisse in feudum dari, seu ad tempus, seu perpetuò, constat de facto. Concilium autem celebratum sub Alexandro III. vt demonstrat Couuarruias, *variar. resol. l.* 1. *c.* 17. *n.* 8. magno conatu eam praxim sublatam voluit. adeo vt vetuerit ne laici decimam à se possessam in alium laicum possent transferre. *c. prohibemus. X. de decim.* sed nec ab ijs nomine pignoris in alias ecclesiasticas personas, & nisi à proprijs ecclesijs recipi. *c. final. X. de decimis.* sed neque à religiosis quibusdam priuilegiatis quocumque modo sine diœcesanorum assensu. *c.* 3. *X. de priuileg.* quod generatim intelligendum est de decimis perpetuò in feudum laico concessis; non tantùm iniquo aliquo titulo detentis. *de quo Guttier. pract. l.* 1. *q.* 15. vt indistinctè Innocentius III. *in c. cum apostol. in fin. X. de his quæ fiunt à Prælat.* de decimis quę laicis in feudum sunt concessæ *monendus est*, inquit, *laicus, qui decimam detinet, vt eam restituat ecclesiæ, ad quam spectat. quiſi fortè induci nequiuerit, sed eam cum diœcesani consensu alteri ecclesiæ assignauerit, præsertim religioso conuentui constabit ipsa donatio.* constare non posset, si omnino iniquus possessor esset laicus, quia talis v. g. qui post Concilium Lateranen-

1. Vt olim in feudum dari soleant.

2. Post Conc. Lat. veteretur. (quod non æquè seruatum.)

3 Qualiter à laicis in monachos transferri possint.

se acquisiuit per excommunicationem ad restitutionem compellitur. *c. ad hæc. X. de decim.* & aliàs *quod meum est sine facto meo non potest ad alium transferri.* Saltem non sine iusta causa, etiam in decimis. *c. plures. c. Statuimus. c. fin.* 16. *q.* 1. Ideoque decimæ post Concilium Lateranense in feudum concessæ ne quidem de consensu diœcesani possunt religioso loco donari. *c.* 2. *§. sanè, de decim. in 6.* cùm antè infeudatæ possint de consensu diœcesani. *ibid.* & quidem solius. *d. c. cum apostolica.* si enim post d. Concilium concessio facta fuerit, irrita est; & concedens puniendus. *d. c. ad hæc. c. quamuis. X. de decim.* ante illud Concilium autem possidentes, cum periculo possederunt. *d. c. prohibemus.* quoniam pleræque à Martello, & sequacibus non satis liquido titulo à laicis arreptę fuisse creduntur. aliæ per concessiones apostolicas, vt in Hispanis asserit Guttieres *d. q.* 15. obtentæ. vt & in Flandria quædam à summis Pontificibus datæ ipsis Comitibus, in subsidium sumptuum ad pellendos barbaros necessariorum multę autẽ possessæ fuerunt à successoribus sine scientia tituli primæ acquisitionis. qui ob bonam fidem damnandi non erant, periculum tamen rei alienæ subesse poterat. & ideo multa omnino diplomata pontificia reperias, quibus in religiosos translatio decimarum à laicis facta probetur: narrantur autem illi eas possedisse *tanquam alios suos reditus,* nullo alio acquisitionis titulo expresso, quasi ignoto. diœcesanorum etiam diplomata huiusmodi diuersa videas, quę narrant emptas per monachos à laicis huiusmodi decimas; postquam tamen parochis oblatæ fuissent; illique negassent ad pretium soluendum sibi suppetere facultates; igitur in quadantenus dubijs possessoribus admittenda est translatio in monachos, ex consensu diœcesanorum; dum modo non constet post Concilium Lateranense infeudationes esse factas. nam & ante factas esse possessorem probare non oportet; sed præsumitur. *Guttieres vbi sup. q.* 16. *diximus in Iur. Pont. nou. anal. de repar. eccles. n.* 2. & 13. *de decim. n.* 2. 40.

Cæterùm nec crediderim ante Concilium Lateranense passim licitum fuisse decimas infeudare. *de quo Couarruias & Guttieres vbi supra.* vsum inualuisse diximus de facto. hodie à Concilio, & Alexandro III. locis *vbi suprà præsertim d. c. ad hæc. d. c. quamuis. X. de decim.* prælati & diœcesani vetantur decimarum concessionem laicis facere, aut confirmare. ne quidem eo loci, vbi Ordinarij retinuerunt facultatem alienationes ecclesiasticas permittendi. quoniam, etsi generatim de rebus ecclesiæ non alienandis statutum sit, admittitur tamen exceptio necessitatis, aut euidentis vtilitatis: prohibitio tamen illa exceptionem istam non admittit. & sic curia Romana decimarum alienationem in laicos reijcit, etiam quando prædiorum, aliorumque bonorum admittit.

Quod enim Moneta *de decim. c.* 5. *n.* 62. de fructibus ait laico ob merita concedendis; nihil continet spirituale; & vtilitas tantùm quædam in concessionem venit; non ius ipsum, aut titulus decimarum. quod autẽ addit non per viam priuilegij aut concessionis, sed alienationis, cùm causæ cognitione fieri posse: *per c.* 2. *de his quæ fiunt à Præl.* nihil simile textus innuit. neque dicitur H. cui ibi decimæ concessio facta, an clericus an laicus fuerit, itaque clericum dicere *cum Glossa* oportet. vt iura concordent. itemque concessionem temporalem fuisse, *vt eadem Gloss.* vel ante Conc. Lateranense factam vt ius ipsum iterum non fuerit translatum, sed commoditas, fructusue dumtaxat.

Quibus expensis, quamuis per mores laicæ decimæ in commercium

veniant, nec seruetur antiqua, quâ diximus prohibitio, tamen dicendum est permutationem quam fecit Capitulum S. G. cum laico de decimis I. & iure patronatus, seu personatus sui, cum decimis illius B. & confirmationem sui Episcopi non posse subsistere, obstante d. c. *ad hæc. d. c. quamuis. c. peruenit. 1. q. 4. c. bene quidem. c. venerab. de consir. vtili vel inutil.* quamuis enim in vicem videantur recuperari ab ecclesia aliæ decimæ, pridem laicales; non tamen ideo harum alienatio permissa est: nam & permutatio in hac materia ad alienationem pertinet. *c. 1. X. c. vnic. de reb. eccles. non alienand. in extrauag. com.* idque multò magis hîc obtinet ideo, quod longè impar sit quæ recuperatur ei, quæ alienatur. ideoque laicus graue pretium superaddidit.

6. Præsertim quæ titulo spirituali omnino colliguntur.

Vt omittamus ius patronatus & personatus hic spirituale esse, & titulum quo possedit Capitulum istas decimas: scilicet per incorporationem d. personatus. non verò ius patronatus & personatus venire in consequentiam vniuersitatis bonorum: sed esse causam dominij, & possessionis: ideoque multò magis illius iuris spiritualis laicum incapacem esse: & simoniam videri in contractum obrepere. quare antiqua forma erit, vt decima laicalis emeretur per ecclesiasticos à laicis; ius patronatus illis donaretur: at ecclesiastici donare non possunt; quia nec alienare.

Accedit quod diœcesanus hic, de cuius assensu citati canones loquuntur, accipiendus sit de loco beneficij; non autem beneficiarij, quia quæuis dispositio beneficium spectans pertinet ad diœcesanum situs. *c. omnes basilicæ, 16. q. 7.* non autem Ordinarium loci, vbi degit beneficiarius. adeoque incorporationis solutio spectat ad eum, qui vnire potest. quia eius est soluere cuius est ligare. ideoque non satis est Episcopum Ordinarium Capituli consensisse; sed requiritur in quacumque dispositione consensus Ordinarij ipsius beneficij. & sic intelligendum venit Concilium Trid. circa vniones reuidendas *s. 7. c. 6.*

RESPONSVM III.

De Noualium immunitate à regularibus cultorum.

AB annis plusquam 500. cepit monasterium de V. in eoque loco instituit, destituitque pastores, religiosos, pleno iure, sine Ordinarij interuentu: *iuxta c. 3. §. in eccl. X. de priuileg.* decimarum partem tertiam collegit, ac de terris, quas sumptu aut operis suis coluit, decimas non soluit. conuenitur à Capitulo B. quod alias duas tertias ibidem ex donatione quondam Arnulphi magni an. 961. ibidem obtinet, pro immunitate sua probanda, *iuxta l. 1. & 2. D. de except.* obijcit priuilegia, & possessionem.

Prius est Innocentij *III. an. eius tertio, id est Domini* 1200. 4. *Kalend. Augusti. decimas*, inquit, *laborum seu nutrimentorum suorum spretis priuilegijs Apostolicæ Sedis*, extorserint: alterum 4. *non. Augusti eiusdem anni: Sanè*, inquit, *noualium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat.* priores literæ formulam non continent priuilegij; sed epistolæ excitatoriæ Ordinariorum: vt hos religiosos aduersus malefactores tueantur. inter maleficia autem refertur, quod quidam ab illis extorquebant decimas laborum, seu nutrimentorum suorum, quæ vox *laborum* generalis quidem est: *c. ad audientiam. 12. X. de decim. in verb.* *nam si intelligeremus tantummodo de noualibus vbi ponimus de laboribus, de noualibus*

1. Laborum vox quid?

noualibus poneremus. verùm non sunt illa verba concessiua priuilegij; sed vel desumpta ex antiquo formulari, seu stylo Curiæ, qui tunc fuerit secundùm *c. ex parte.* 10. *X. d. decim.* vbi Alexander III. qui paululum antecessit Innocentium III. *nolumus*, inquit, *latere, quod prædecessores nostri ferè omnibus religiosis decimas laborum suorum concesserant.* vnde natus ille stylus vsque ad Innocentium III. potuit durasse non mutatus; aut, quod etiam innuunt literæ, ex querela religiosorum sumpta ea verba possunt censeri.

2. Omnibus ferè olim illorũ immunitas regularibus concessa.

Et verò, vtcumque illud fuerit, connectuntur hæc verba; *spretis priuilegijs Apostolicæ Sedis*: quæ relatio facit vtique, vt illa inesse censeantur referenti, cum omnibus suis qualitatibus: *l. esse toto. D. de hæred. instituen.* ergo videndum est quænam hîc sint priuilegia: speciale est huius monasterij illud, cuius verba mox recitauimus; & paucis diebus post alias literas expeditum fuit. & generaliter Alexander III. *in d. c. ex part. prædecessor noster*, inquit, *Hadrianus solis fratribus Cisterciensis Ordinis & Templarijs, & Hospitalarijs, decimas laborum suorum, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, indulsit: cæteris verò, vt de noualibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persoluant: quem sumus super his imitati. Quare ij, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de alijs rebus ecclesiæ suæ non possunt subtrahere, vel sibi aliquid vlterius vindicare.*

3. Deinde restricta ad nouales.

Vt ergo Alexander III. generaliter, ita & vicinus illi Innocentius III. in hoc speciali priuilegio, à noualium dumtaxat decimis immunitatem concessit: præcipitque *in d. c. ex parte* Alexander ad res alias non extendi.

4. Arbitrorũ sententia Capitulo duas tertias

At verò arbitrorum quadam sententiâ duæ partes decimarum adiudicatæ sunt Capitulo, *quorumlibet fructuum crescentium in terra, quæ ecclesiæ Capituli aliquando fuit decimalis.* etiam noualium præsentium, & futurorum; sicut Arnulpho narrantur concessæ à Papis, *de terris cultis & incultis*: & sic conformiter *d. c. 1. de decim. in 6.* vt noualium concessio ad ratam veterum redigatur. & videtur ratio d. sententiæ alludere ad causam *c. cum in tua.* 30. *X. de decim.* vbi deciditur fructuum decimas spectare ad monasterium cui terra fuerat decimalis; quamuis tales fructus antè non percepisset. & sic in d. sententia addicuntur duæ partes *quorumcumque fructuum* præsentium & futurorum, crescentium in terra, quæ ecclesiæ B. aliquando fuerat decimalis: seu quæ vnquam ei soluerit decimas, quamuis superuenirent fructus insoliti. & fieri potest quod aliquæ terræ nullas soluerint decimas seu præscripsissent immunitatẽ, quas excluderet d. clausula, & fortè fuerint tales aliquæ noales à religiosis de V. ad culturam redactæ, ad quas respexerint d. arbitri. nam etsi mero iure, aut ex tenore priuilegiorum suorum non sint liberi; potuerunt tamen siue ratione indultorum, quæ dabantur ante tempus d. c. *ex parte* 10. siue ex intellectu obscuro d. literarum *datar. 4. kal. Aug.* possedisse noualium immunitatem & præscripsisse secundùm rationem c. cum *personæ. de priuil. in 6. vers. & si priuilegium exhibitum non ad plenum per se sufficiat. &c.* quod eò magis procederet quo antiquius esse monasterium de V. doceri posset. vt ex historijs inuenitur antecedere datas omnium diplomatum pontificiorum, à d. Actoribus exhibitorum. quippe apud Sueiro *in Annalibus Flandriæ ad an.* 1123. inuenitur Abbatem tunc 23. tribus annis administrasse abbatiam seu præposituram de V. adeoque ab anno 1100. antiquissimum autem munimentorum pontificiorum exhibito-

exhibitorum à D. Actoribus non peruenit vsque ad illam ætatem, adeoque & antecedit fundatio tempus d. c. ex parte. 10. *X. de decim.* sed illo tempore sedit Paschalis II. author c. decimas 16. *q.* 1. *& c. nouum.* 2. *X. de decim.* quando religiosi de laboribus suis decimas non soluebant. quo iure immunitatem cepisse, & continuasse potest monasterium de V. de terris suo sumtu cultis. quæ ætas etiam superat omnes à d. Actoribus obiectas decretales restrictiuas. sed diploma Arnulphi datum an. 961. & antiquius est, & complectitur suprà d. clausulam *de terris cultis, & incultis.* sed quia & illa contra ius est, *in c. tua. §. fin. X. de decim.* credi posset dedisse contrariæ possessioni causam: præsertim in primæua incipientis monasterij paupertate, & quoad noualia ab eo ad culturam redacta, cuius antecessores DD. Actorum miserti fuerint, & quoad illa per suam patientiam d. clausulæ priuilegiariæ renunciauerint. *c. accedentibus. X. de priuileg.*

5. Antiquitus religiosi vt nullas decimas soluebant.

Quibus considerationibus remotis, D. Reo valde obstarent quæ suprà diximus, & quod etiam qui priuilegia summa habent, ea non possunt extendere ad possessiones post Concilium generale acquisitas: *c. nuper. X. de decim.* quod priuilegium super noualibus concessum non extendatur ad noualia anteà ab alijs possessa: *c. dudum. X. de priuileg. c. 2. in princ. de decim. in 6. c. commissum. X. de decim.* quod generatim priuilegio priori non derogatur per posterius, si de illo non fiat mentio: *c. veniens de præscript. c. ex multipl. X. de decim.* quamuis prius sit generale, posterius speciale. *gloss. & DD. in c. generi. de reg. iur. in 6. Abbas in d. c. veniens & in c. 1. X. de rescript.* quod potentius debeat esse priuilegium quàm sola possessio: & hæc tamen illud operetur: *d. c. dudum. & d. c. 2.* quod non facta mentione illius non creditur mutata voluntas: *c. cùm olim. de re iudic.* eoque minùs præsumatur voluntas Concedentis alteri ius tollendi: *c. pastoralis. de donat.* & nominatim in materia decimarum. *d. c. dudum. d. c. 2. c. commissam. 9. dilecti. c. quid nouale. X. de verb. signif.* adeoque cùm in d. priuilegio monasterij non fiat mentio prioris concessionis, & priuilegij Capituli DD. Actorum, non videbitur huic per illud esse derogatum. vt sic vtrisque expensis rectè fit lata olim arbitralis sententia, & Ordinarij confirmatio in lite exhibita, his quæ diximus conformis.

6. Quomodo priuilegia immunitatum restringenda?

Videamus nunc an intentioni D. Rei ius commune sit conforme, quod de laboribus suis decimas dare non teneatur, vt contendit: *ex c. 2. X. de decim.* vbi genus nouum esse exactionis dicitur, si clerici à clericis decimas exigunt: *ex c. decimas. 16. q. 1. quod à monachis siue clericis communiter viuentibus nulla ratio sinit, vt milites* (seu nobiles, eorúmue donatarij) *aut Episcopi* (pro sua quarta Episcopali, aut vbi eis reseruatæ sunt) *aut personæ qualibet* (seu parochi, seu clerici ecclesias, altaria, seu decimas obtinentes. c. quæsitum 1. q. 3.) *decimas de laboribus seu nutrimentis suis proprijs extorquere debeant.* ita vt vlli generi decimationum subijci illic videntur. *ex c. quæsti. ibid. decreuit*, inquit, *facer iste conuentus, vt Episcopi & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad ecclesias suas deferri faciant, familiæ verò eorum ibidem decimas suas vbi infantes eorum baptisantur*, &c. denique quod multis locis videantur priuilegia super decimis & immunitate concessa restringi à iure, id fieri in gratiam ecclesiarum parochialium: vt in multis locis exprimitur: adeoque Præpositum de V. eius loci parochum primitiuum fauorem & extensionem promereri, non in odium illius limitationes esse retorquendas. sed enim-

7. Obiecta pro immunitate regularium.

enimuero Rebuffus *tract. de decim. nouo*, vt ait, intellectu d. c. 2. X. *eod.* interpretatur de decimis personalibus, ne eas clerici à clericis exigant. idque probat per exceptionē ibi subiunctam de clericis qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, vt eis decimas debeant. Cæterùm quia idem c. 2. est eiusdem Pontificis Paschalis II. cuius est d. c. decimas. 16. *q.* 1. quod agit de laboribus etiam, & nutrimentis; & d. c. quæsti de agris & vineis loquitur; videtur etiam in illis accipiendū: & propterea rectius glossa *in d. c. ex parte.* 10. *X. de decim. in V. laborum.* distinguit tempora, canones, & decreta citat, secundùm quæ magis minusue immunes fuerint clerici, ac religiosi. vt clarum est eos textus, qui in gloss. citantur, non nisi ex temporum ratione conciliari posse. prout & in priuilegijs, seu indultis ex temporum diuersitate contrarietatem soluit d. c. ex parte 10. quod & satis innuit iure communi eos ad decimas obligatos alioquin esse, qui priuilegia, quæ iuris sunt relaxatio, & quasi priuata lex, petunt. quia frustra impetratur, quod iure communi conceditur. *l. vnic. C. de thesaur. lib.* 10. atque adeo omnes religiosi mero nunc iure ad decimas obligati forent; si non haberent priuilegia. Priuilegiorum causa fuisse credi potest, quod refrigescente charitate parochi, ad quos cum parochiarum & bonorum ecclesiæ distinctione decimæ tranſierant, non tam ad dominium olim quàm administrationem pro omni suo clero; *vt diximus in Consult. canon. de decim. cons.* 5. *&* 7. religiosi in prima sua paupertate non satis, prout opus erat, compatiendo erogabant; aut decimas nimis rigidè exigebant; ideo largiora immunitatum indulta sunt concessa: posteà cœperunt religiosi ditescere, & parochi nimium per indulta alicubi depauperari, & egere; restrictaque sunt indulta. *c. suggestum. c. nuper. X. de decim. c. 2. eod. in* 6. vt latius referuntur restrictiones *in d. gloss.* adeoque priuilegia hodie diligenter inspicienda sunt, secundùm diuersitatem temporum diuersimodè concessa, eorumq; tenor exactè seruandus. *c. porro. X. de priuileg.*

8. Ex temporum successu soluenda.

Quod illa autem hinc inde restringantur à iure, fieri id in gratiam parochorum, verum quidem est sæpius: sed & illud aliquando in gratiam aliorū, vt antiquiorum possessorum. *d. c. dudum. d. c. 2.* vnde in plerisque indultis posterioribus solet inseri generalis clausula hæc; *sine præiudicio iuris alieni. quam excussimus in Consult. can. tit. de decim. cons.* 7. vt hac in causa non videatur prodesse quod monasterio de V. competat ius parochiale, quamdiu priuilegium ecclesiæ B. concessum non fuit nimis damnosum. *d. c. suggestum. X. de decim.* vt si ex priuilegio Arnulphus, aut actores eius donatarij totas decimas ad se traxissent: tunc enim dimidiam noualium relinquere debuissent parocho. *d. c. 2. §. statuimus.*

Restat igitur, vt videamus de possessione DD. Actorum, & D. Rei. & quidem cùm præscribitur ius decimandi aduersus eum, cum iure communi decimæ competunt, eò quòd præscribenti ius commune aduersetur, requiritur possessio centum annorum sine titulo; 40. annorum cum titulo. *c. 1. de præscript. in* 6. tamen cùm præscribitur aduersus priuilegiarium sufficit sola possessio continua 40. annorum. *c. accedentibus. X. de priuileg.* vbi aduersus Templarios, vtique maximè priuilegiatos *d. c. ex parte. c. nuper. X. de priuileg.* allegata tantùm fuit possessio 40. annorum, & quatenus *si Abbat*, inquit, *& monachi sufficienter ostenderint, quod à Templarijs decimas de terris prædictis per 40. annos continuò perceperint sine lite* (nota) *vsq; ad præstationem ipsarum Templarios compellatis.*

latis. satis ergo erit & hîc ostendere possessionem 40. annorum sine lite sibi mota à DD. Actoribus, seu eorum antecessoribus. & ratio est, quia d. c. accedentibus dispositio non procedit in vim præscriptionis, ad quam multa sunt requisita; sed præsumptæ renunciationis priuilegij: quod amittitur faciliùs, etiam solo non vsu, quàm id quod iure defertur. *cùm enim*, inquit d. c. accedent. *tanto tempore contra indulta priuilegia decimas soluerint, eis renuntiasse tacitè præsumuntur*. idem deciditur *in c. si de terra* x. *eod*. quod tantùm 30. annos requirit ad præsumtionem, & decisionem huiusmodi.

Et quamquam hæc loca agant de priuilegio immunitatis amittendo, quodque non idem sit in immunitate acquirenda sine titulo per non solutionem, sed requiratur vt ostendatur ratio exemtionis à decimis, *c.* 24. *x. de decim. Rebuff. eod. tit. n.* 40. 41. 55. tamen cùm non tantùm nō solutio, sed & priuilegium habetur, quod creditur sufficiens, etsi non sit; præstat tamen præscriptioni titulum, vt 40. annis procedat. *c. cum personæ. de priuil. in* 6. atque ita hic eam immunitatem, quæ ex rigore verborum non competeret: vt quamuis decimæ non sint præscriptæ, cùm eæ terræ non fuerunt monasterij operis & sumptibus cultæ; sed solutæ à colonis: præscripta tamen sit immunitas culturæ monasticæ. *vt diximus*.

10. Examinatur possessio & illius probatio.

Ex ijs autem quæ testes deposuerunt, munimentisque exhibitis constat monasterium de V. de terris suis laboribus cultis fructus integros in horrea auexisse, immunes à decimis, & quidem sine lite. nec enim arguunt quidem DD. Actores litem vllam motam esse desuper aduersus monasterium.

Negant siquidem eiusmodi culturam & immunitatem, seu non prestationem decimarum; eò quòd semper ipsi elocarint suas decimas sine talium exceptione: sed id non satis est. quia eiusmodi indefinitæ & generales elocationes intelliguntur commodè secundùm ius & priuilegia: vt vniuersalitas eorum sit tantùm, quæ eandem habent rationem. *latè Tuscus, & ab eo citati in verb. Indefinita æquipollet vniuersali, & quando secus. conc.* 86. Neque contraria DD. Actorum assertio tollit iuris præsumptionem, in qua fundatur dispositio d. c. si *de terra*. sicut in rebus incertis feudalibus v. g. & censualibus, territorijs, seu iuribus locatis vel venditis non singulorum descriptorum censuum, canonum, seu iurium territorij, catalogi, seu iuris debetur euictio; sed totius complexi iuris dumtaxat. vt in hæreditate vendita. *Papon. arrest. l.* 11. *tit.* 4. *arrest.* 17.

Rectiùs DD. Actores arguunt aduersus testimonia, & munimenta: quia d. c. accedent. requirit, vt possessio sufficienter ostendatur; & si allegans in probatione defecerit, aduersarium iubet absolui.

Sed perperàm aiunt in hac causa testes, qui olim monasterio famulati sunt, aut impræsentiarum famulantur, tanquam domesticos non censeri idoneos; quippe & ipsi clerici ac monachi in causa suæ ecclesiæ, aut monasterij testificari iure possunt. *c. cum nuntius. c. insuper, & quæ vtrobique à gloss. latè citantur. x. de testib.* præsertim cùm hodie famuli mercede conducti, quamuis in eadem domo habitent, ex contractu tantùm operas præstant; non gratis impensas accipiunt; nec eis vltra operas locatas imperari potest: & magis vtique extranei censendi sunt, quàm clerici, aut monachi in causa ecclesiæ suæ: cuius hi sunt partes & membra. cùm ergo maior sit ratio repellendi testimonium clerici & monachi, quàm famuli; & illud tamen admittatur; debebit & famuli, *arg. à maiori. de cuius*

11. De domesticis & olim famulis; an præbent?

energia latè Euerard. in loc. legal. A maiori; præsertim dum famuli esse pridem desierunt. quippe qualitas adiecta verbo intelligitur secundùm tempus verbi. *l. in delictis. §. si extraneus. D. de noxal. glem. si benef. de præbend.* adeoque quod dici solet de testibus domesticis repellendis intelligitur de ijs, qui domestici sunt tempore quo testantur, seu repelluntur.

Sed & videndum est an testimonijs & munimentis possessio quadragenaria sit satis probata? & quidem ad illius probationem sufficit probare principium, & finem, & aliquid de medio. *gloss. in c. volumus. v. inconcussam. 16. q. 4. Bart. in l. Celsus. D. de vsucapion.* eo enim ipso continuitas mediorum præsumitur, quod extrema probentur. *Menoch. de præs. l. 6. n. 1. & 13.* sed si vterque possessionem inuicem contrariam prætendit, aut alter præscriptionem, alter interruptionem; ab vtraque parte testes recipiuntur; & si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. *c. illud. X. de præscript.* vt etiam immemorialis præscriptio cesset si qua de visu vel auditu sit in contrarium memoria. *l. 2. §. item labeo. D. de aqua pluuia arc. l. 8. arbiter. 28. D. de probat.* probanda fuisset ergo à DD. Actoribus interruptio; si ante 40. annos, & de præsenti D. Reus probarit proprijs operis aut sumptibus monasterij terras fuisse cultas, & fructus à decimis immunes auectos.

12. Probandũ principium & finem.

13. Medium an præsumitur, an interruptio?

Et quamuis daremus DD. Actores habere intentionẽ fundatam in generalitate iuris decimandi; quoad duas tertias; tamen, quoniam & illud ex priuilegio natum est; & contra dispositionem iuris: *d. c. tua. §. fin. X. de decim.* imperfectæ probationes faciliùs recipiendæ sunt. tum propter fauorem antiquitatis d. monasterij; vt passim illum DD. admittunt; tum propter causam d. c. ex parte. 10. X. *eod.* quod olim, omnibus ferè religiosis generaliter de laboribus fuerit concessa immunitas. vt ibidem dicitur. imò tum ea quasi iuris communis fuerit, *d. c. decimas.* cùm monasterium hoc construeretur. eoque in principio fundationis illa vsos nostros fuisse; aut has terras olim ad culturam redegisse; & sic ex noualibus (quales semper exinde manent *c. fin. X. de decim.*) decimas non soluisse, probari censeatur. *arg. d. communiter accidentibus.* quia præsumitur pro eo, quod communiter accidit. adeò vt onus probationis contrariæ transferatur in aduersarium. *Euerard. vbi sup. loc. à communiter accidentib.* & quia mutatio non facilè præsumitur. *Menoch. de præs. 37. 42. & aliis pluribus seqq. eiusdem libri.* & ex præsenti possessione præsumptio inferetur de præterita. *Moneta tract. de decim. c. 5. n. 74. 103. & seqq.*

14. Antiquitatis fauorabilis probatio.

Si tamen imperfectior probatio videbitur, poterit redire D. Reus ad possessorium iudicium. quod semper licet. *l. naturaliter. §. nihil commune. D. de acquir. poss.* vsque ad causam conclusam. *posteralis. X. de caus. poss. & propr.* vt hæc causa per appellationem reducta est ad statum litis contestatæ. *l. furti. 6. D. de his qui not. infam.* In possessorio autem iudicio possessiorum aliquot annorum possessio satis sufficiet ad securiorem spem victoriæ. ac deinde, si reperatur causa petitoria, secundùm possessorem erit iudicandum, nisi de iure petitoris euidenter doctum erit. *§. retinendæ. inst. de interd.*

De regularibus.

RESPONSVM I.

De Donatis, an sint veri religiosi?

VT quis verè sit religiosus requiritur professio expresse, quæ vel

vel tacitè facta alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. *c. vn. de vot. in* 6. eiusmodi votum non faciunt Donati, sed solummodo obedientiæ & fidelitatis. quod, etsi fiat in manibus Prælati, simplex dumtaxat est, non solemne. vnde concludit Caramuel *in Coment. ad Reg. D. Benedicti. disp.* 36. *n.* 409. monachos illos non esse, sed monasterij famulos; dimitti posse; quamuis non exire, sine licentia Superioris. imò virtute promissæ obedientiæ non posse imperari eis castitatem, aut paupertatem. quod illa tantùm se extendat ad fidele seruitium, non virtutes regulares imperandas. quamuis verò ex simplici voto non possit irritari matrimonium; impediri tamen posse eo loci vi-

2. Vt vota faciant secundùm regulam, non sanctu tantùm.

debitur, vbi pridem non obedientia tantùm, sed & castitas, & paupertas à se offerentibus fuit exacta. vt decretum Ordinis Cistercienſis an. 1233. & aliud. 1213. de tonsura & peculiari habitu refert *ibid.* Caramuel. *n.* 411. & simili formula non obstante ait censendos tantùm promittere iuxta leges monasterij. eoque, si vel expressum sit Donatos per votum suum non fieri veros religiosos, cùm illud facerent; vel leges Ordinis aut loci ita habeant; statuendum est secundùm illas receptos per huiusmodi votum non aliud consequi, quàm quod verbis expressum, vel huiusmodi legibus cautum est.

3. Vbi Donati profitentur secundùm regulam sunt veri religiosi, non alibi.

Cæterùm sicuti Donati emittunt tria vota secundùm regulam; vt in Benedictinorum congregatione Vallisoletana, erunt veri religiosi. *Em. Rod. tom.* 2. *quæst. reg. q.* 78. *ar.* 2. non illi qui sic non promittunt. *idem eod. tom. quæst.* 21. *ar.* 1. omnis enim professio solemnis debet fieri secundùm regulam aliquam approbatam. *d. c. vn. Em. Rod. tom.* 1. *q.* 1. *ar.* 2. *consonat Trid. s.* 25. *de reg. c.* 1. *in verb. vitam instituant ad regulæ quam professi sunt præscriptum*, vnde & religiosi regulares dicuntur, & per eiusmodi certæ regulæ professionem, statum perfectionis assumere. *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 7.

Facit c. in præsentia x. *de probat.* per quod ait Panorm. non eò quẽ monachum effici, quod quis donet se & sua monasterio: sed requiritur professio regulæ approbatæ, seu emissio trium votorum in religione approbata. vt non sufficiat illorum emissio in modo aliquo viuendi approbato, quamuis per Sedem Apostolicam. vt glossa *in clem. cum ex eo. de sent. excommun.* habet modum viuendi tertiæ regulæ S. Francisci approbatum esse à Nicolao Papa; sed non pro regula: vt nec fiat religiosus qui illum profitetur. *& sequitur Nauarr. cons.* 12. *de reg. per rationem quam diximus. & iterum cons.* 7. *ibid. in fortioribus terminis, quin & generatim cons.* 81. *&* 82. *ibid.* respondit Donatos non esse monachos. & nuncupatim oblatos collegio turris nouæ speculorum ex eiusmodi defectu non esse monachos, promissâ quamuis obedientia, paupertate, & castitate, quòd promissa obedientia huiusmodi non esset monachalis. scilicet quæ secundùm regulam fiat, quare & Nauarrus *& gloss. in clem.* 1. *de decim.* ait constitutionem pœnalem aduersus monachos non comprehendere Donatos. vnde & Lud. Miranda *in Man. prælat. quæst.* 29. *ar.* 2. illam sententiam, quod Donati non sint monachi, certissimam esse ait apud omnes. imò minùs esse Donatum, quàm Conuersum passim omnes tradunt *ex c. ex eo.* §. 1. *de elect. in* 6. *c. vt priuilegia. de priuil.* & verò cùm non eadem formula profiteantur monachi & Donati, & forma det esse rei; *c. in ciuitate. & ibi gloss. de vsur.* omnino est statuendum non hos, vt illos, esse monachos.

4. Non si tantùm donent se & sua monasterio.

5. Aut secundùm laudabilem modum viuere voueant.

6. Etiam promissa obedientia, castitate, & paupertate.

Neque his obstat, vt ait Nauarrus *d. cons.* 7. *ex Panormitano aliisque in Rub. c.* 1. *de reg.* quod videatur

7. quamvis in manu potentis aggregare Conventui seu Corpori: nisi id velit, & quo potest modo.

verè esse religiosus, qui vouit tria substantialia vota religionis, in manu eius, qui potest eum aggregare religioni approbatæ: *arg. c. cum ad monasterium. de stat. monach.* id enim accipiendum est ita, vt qui potest aggregare, etiam velit. nam actus agentiu non operantur vltra eorum intentionem. *l. non omnis. D. de reb. cred. c. fin. X. de præb.* atqui nec emittens, nec recipiens vota Donatorum eos intendit fieri religiosos, vbi illa non emittunt secundùm certam regulam approbatam; sed secundùm quædam statuta non approbata, vt regulam, sed tantùm vt statuta, & laudabilem viuendi modum.

8. Iterum non obstat, *secundùm Nauarrum d. cons.* 81. *n.* 9. quod qui promittit obedientiâ perpetuam, videatur promittere tria vota substantialia: *c. consuluit. X. qui cler. vel vouentes. vbi Innoc.* atque is sit religiosus: Donati porro illam promittant: quia non sufficit quælibet obedientia; sed requiritur monachalis: seu secundùm certam regulam: at hanc non promittunt Donati. Et quamquam nec Societas IESV, nec Carthusiani habeant regulam; sed tantùm statuta; ea tamen sunt approbata tanquam regula. qualis non fuit modus viuendi Congregationis, de qua Nauarr. *d. cons.* 82. in qua ea propter non obtinere præceptum clausuræ, monialibus præscriptum declarasse Greg. XIII. refert. vt de tertia regula S. Francisci diximus. quare & Pius V. Tertiarias iussit recipere regulam aliquam approbatam; & secundùm illam emittere tria vota substantialia religionis; & ijs factis, cogi ad clausuram. tales etiam sunt *Commissi* in Benedictinis Cassinensibus. *de quibus in illorum Declarationibus ad c.* 58. *Reg. S. Benedicti.*

Et vero in Ordine D. Benedicti Congregationis Bursfeldensis triplex est dumtaxat differentia personarum: primo earum quæ choro deputantur: secundò Conuersarũ quas vocant: tertiò Donatarũ. itaque professionis actus ad illorum aliquam speciem referendus est. neque enim Abbati cuiuis alias formulas proponere iure permissum est, ita vt votum solemne possit inducere. *c.* 1. *de relig. dom. in 6.* de choristis vota emittentibus secundùm regulam, non est dubium: neque de fratribus laicis, quorum professio à choristis substantiâ non differt; eoque veri religiosi sunt. *Caramuel in d comment. disp.* 36. *n.* 407. *Vide Hastenium disp. mon. l.* 3. *t.* 1. *d.* 8. Sed an in Belgio conuersi, quos vocamus, eodem modo voueant, religiosique fiant? idem Caram. latè quærit *disp.* 37. de Donatis dicendũ est, quamuis tria vota alicubi emittant, non tamen profiteri regulam; eoque solemnia illa non esse. vt diximus.

Rectè ergo Caramuel *n.* 425. facti circumstantias, in quæstione de Donatis proposita, examinandas esse dixit. & porro, vt solemnis sit professio, *requiruntur*, inquit, *præter annum probationis & alias com. munes circumstantias, vouentis & acceptantis voluntas, & expressa promissio.*

In casu autem, de quo quæritur, nec annus nouitiatus fuit, nec voluntas acceptantis alia, quàm Donatam recipere: nec vouentis, quàm Donatam esse: ideoque cùm in substantialibus conuenerint, & vouens & acceptans; & cætera in consideratione venire non possint ad mutandam rei substantiam; *Caramuel. ibid. n.* 428. 431. dicendum est Donatam, de qua quæstio, veram religiosam non esse; dimitti posse; matrimonium contractum valere; quamuis contrahendum à nondum dimissa, impediri possit: in dimissa, vide vt philosophetur Caramuel, & nihilominus Mirandam. *d. q.* 29. *ar.* 1. 2. 3.

RESPON-

RESPONSVM II.

De receptione valida, à qua inchoetur nouitiatus, & potestate recipientis.

1. Receptio inualida, an postea ratificari, & retrotrahendo cõputari ab ea tempus nouitiatus posit?

QVoniam ad validam professionẽ prærequiritur annus integer nouitiatus: *Conc. Trid. s. 25. de regular. c. 15.* & sicut ad professionem requiritur consensus illius, qui habet potestatem monasterio, seu Ordini incorporandi: *c. fin. de regul. in 6. Lessius de iust. lib. 2. c. 41. dub. 7.* ita & in receptione, habitusue concessione, à quo inchoari possit nouitiatus. *d. c. 15. in v. post susceptum habitum; Mirand. in Manual. tom. 1. quæst. 15. per varios articulos.* neque potest quis receptionem, non legitimè, factam, retrotrahendo ratificare, nomine suo non factam; ex generali regula iuris, qua *ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum c. 9. de reg. iur. in 6.* si autem eius nomine esset facta receptio: probabile est ratificare posse. *Lessius d. dub. 7. n. 62.*

Quamuis enim actus initio nullus à lege possit confirmari: vt *in l. cum hic stat. x. de donat. inter vir. & vxor. l. 2. C. si quis alteri vel sibi.* regulare tamen est, vt quod ab initio non est validum, tractu temporis non conualescat. eoque nec Superior, qui legi est subditus, retrotrahendo validare possit actum nullum; vbi lex disertè id non permittit. non ergo receptionem inualidè, & non suo nomine factam, retrotrahendo validare. eoque sequitur annum nouitiatus computari non posse à tempore receptionis inualidæ; sed demum à tempore, quo Superior consensit.

2. Receptionis summa ratio.

Et huiusmodi initij receptionis summam esse habendam rationem etiam ex eo constat; quod Vrbanus VIII. dispensans super non receptis secundùm præscripta Clementis VIII. (*quæ habentur apud Quarant. in summa Bull. v. Monasteria. §. institutiones super receptione nouit.*) in locis ad nouitiatum designatis *bulla 2. April.* 1631. adiecit clausulam, *si modò ad habitum, aliàs canonicè essent recepti.* canonica autem receptio requirit, vt diximus, in recipiente facultatem incorporandi monasterio, seu Ordini. nam prouincia, quasi pro vnica domo reputatur, vbi constitutiones eam communionem faciunt. *Suares tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9.* vt in hoc Ordine, vbi recipi debent tanquam filij totius prouinciæ. quæ receptio instar adoptionis est, & quâ iura Ordinis receptis tanquam filijs communicantur. eoque facienda est ab eo, qui toti saltem prouinciæ potest incorporare. neque actus legitimi conditiones, aut partitiones recipiunt. *c. actus legitimi. de reg. iur. in 6. tot. tit. x. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.*

3. Receptio nulla facta à non habente potestatem quam Vicarius non habet constitutus ab Inter-Nũtio, cui iurisdictio contentiosa tantùm demandata.

Porro in casu, de quo quæritur, legitima fuisse receptio dici non potest, quia Vicarius super paucis conuentibus ab Inter-Nuntio constitutus, recipiendi facultatem non habuit? quia nec ipse Inter-Nuntius, qui non potuit plus iuris in alium transferre, quàm ipse haberet. datus enim fuit ille dumtaxat ad exercendam iurisdictionem contentiosam. *Breue retulimus supra Mandati. resp. 1.* fines autẽ mandati diligenter sunt seruandi. *l. 5. D. mandat.* neque iurisdictio contentiosa demandata ad aliam potuit extendi. *arg. c. dilect. x. de off. ordin.* nec aliud in illum transijt, quàm sine quo illa expediri non posset; seu quod inde dependeat. *c. præterea de off. deleg.*

Contentiosa porro iurisdictio exercetur in inuitos. *l. inter stipulantem. §. 1. D. de verb. obligat.* vbi contra reum actor contendit. at hîc non fuit contentio cum Prouin-

cialí; quippe qui nec citatus fuit. nam omnium iudiciorum principium est citatio. §. *omnium. Inst. de pœna tem. lit.* sine qua, & litis contestatione non potest censeri, aut subsistere iudicium. *c. Nunc. X. de litis contest.* & quamquam in iudicijs summarijs, vt sunt regulariũ, litis contestatio non sit omnino necessaria; tamen nunquam citatio, defensio, probatio, similiaque omitti possunt. *clem. sæpe. de verb. signif. vers. non sic tamen.* sed neque potuisset Inter-Nuntius inter illos aliud quàm ius dicere, & sententiam petitis conformem dare. *d. clem. sæpe de verb. significat.* eoque non aliquem constituere pro aliquot conuentibus vicarium. tum quia nemo id petere poterat: nemo sine authoritate Apostolica diuidere prouinciam. *tot. dist.* 101. quod & inhibuit Nicol. IV. quoad prouincias regulares. *Rodrigues quæst. regular. tom.* 1. *q.* 23. *ar.* 8.

14. Et vt potuerit, mãsit tamen ille ad nutum reuocabilis.

Denique esto constitui potuerit ab Inter-Nuntio Vicarius aliquot conuentuum; cum iurisdictione quasi Episcopali: quam exigit illa administratio: cùm nec legatus ex vi officij habeat collationem beneficiorum, quamuis simplicium; *c. officij de off. leg. in 6.* tamen mãsisset illud officium, seu beneficium manuale ad nutum Superioris reuocabile. *c. monach. c. cum ad monasterium de Stat. monach.* neque officij vel beneficij naturam mutat, quod alter sic contulerit. *clem. vn. verb. præmissa. de supplend. negl. prælat. vbi gloss. in verb. reuocari.* quia eodem iure, quo primæuus collator, censetur conferre. *ibid. in verb. negligentiam super hoc suppleant eorundem. Sanches in præcepta lib.* 7. *c.* 29. *n.* 133.

Posse autem in hoc Ordine Generalem quoscumque in officijs constitutos reuocare, seu absoluere, præter Prouinciales; decisum est in illius constitutionibus, & consonat Trid. *de regular. s.* 25. *c.* 2. *vide Dianam tract. de dubijs regularium. res.* 117.

Reuocasse autem, liquet eo ipso; quod etiam d. Vicarium inferit obedire Prouinciali, propter repugnantiam, qua & subesse Vicarius non potest, & non debere obedire. *l. vbi repugnantia. D. de reg. iur.* vt liquet rubrica de maioritate & obedientia, à qua nec eximi potuit, vetante constitutione Vrbani VIII. *in c. pastoralis.* 1626.

Neque obstat appellatum esse à Generali ad S. Congregationem Regularium: tum quòd appellatio friuola non excusat ab obedientia. *c. cum parati.* 19. *X. de appell.* & reiecta sit ab eo appellatio tanquam friuola. vtpote sine causa legitima ab ijs interposita, qui non grauantur iniustè. *Portel. v. appellare, post plures.* neque patet hactenus introductam, aut admissam esse à Congregatione appellationem post annum & amplius. neque sola lis aufert Superiori iurisdictionem *c. nonne.* 8. *q.* 4. *c. olim.* 26. *X. de accus.* neque appellatio, quamuis legitima, in alia causa iurisdictionem. *c.* 6. *c. proposuit. X. de appell. l. vnic. D. Apud eum à quo prouocauit.*

Sed neque hæc lis, neque appellatio facit ad præsentem casum vbi consensu opus est Generalis, seu Prouincialis. qui non solùm positiuè hîc non adest; sed in contrarium expressus dissensus; cum clausula, quod si qui reciperentur ad habitum, vel professionem, omnia gesta pro irritis haberet. prout eam clausulam adijcere potest is, cuius est monasterio, aut Ordini incorporare. *vide Sanches in Præcept. l.* 5. *c.* 4. §. 71.

RESPONSVM III.

De anno probationis.

COntendit Petrus professionem suam in Ordine Minimorum esse nullam, ex decreto *c.* 15. *s.* 25. *de regular. Concil. Trid. in verb.*

verb. nec qui minori tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur: professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem. &c. se autem ait non ita in probatione stetisse: sed nomine tenus tantùm probatum fuisse; cùm verba intelligenda sint cum effectu. *l. 4. §. condemnatum. D. de re iudic.* eoque qui duret. *l. si pro patre. §. versum. D. de in rem. verso. in verb. versum autem sic intelligimus, ut duret versum. c. nam & ego. X. de verb. sign. Tusc. Verba intelligenda cum effect. concl. 90. & effectus à causa regulatur, & attenditur potius quàm verba. concl. 49. & 50. & perseuerantia requiritur, vt effectum producat, concl. 315. & Venisse non videtur qui non stetit. concl. 75. c. postquam. c. cupientes. vbi gloss. in v. comparare. de elect. in 6. non solum vt quis veniat, sed etiam ex sui mente exigit, quod vsque ad finem negocium prosequatur.* Sed & perseuerantem huiusmodi probationem finis d. c. 15. exigit, cùm & probatio spatij annalis inducta sit tam in subsidium fragilitatis humanæ, quàm vt nouitius asperitates Ordinis, & monasterium mores illius valeat experiri. quod vtrumque diligenter est obseruandum. *ita c. ad apostolicam. X. de regular.* quare & D. Benedictus *in regula. c. 58.* iubet nouitijs prædici, & prædicari omnia dura, & aspera: & regulam pluries prælegi. qualia & habent Institutiones, quas Clemens VIII. pro nouitijs præscripsit. *§. prouideant. & §. curam adhibeant. apud Quarantam in sum. v. monasteria.* & Concilium *Trid. de regular. c. 1.* eximiè mandat, vt regulares dirigantur imprimis ad ea, quæ ad suæ professionis perfectionem pertinent, ac si quæ alia sunt alicuius regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta obseruanda, vt est in Ordine Minimorum perpetua à carnibus ex voto abstinentia. Vide de necessaria nouitiorum probatione Haftenium *disquis. monast. lib. 4. tract. 3.*

1. Annus probationis ad validam professionē, & reipsa probatio facta requiritur.

Ait ergo Petrus non aspera & dura satis sibi fuisse prædicta, sed ita blandè se & molliter habitum, vt prædictum non fuerit peculiare votum de abstinentia ab omni cibo non quadragesimali, & per septem menses in nouitiatu ægrotantem, & carnibus vsum fuisse, adeo vt tempore professionis intenderit expresè ad huiusmodi abstinentiam non obligari ex voto, & sub peccato mortali; sed tantùm quasi ex regula & constitutionibus Ordinis, quæ nec sic ligent, & super quibus facilè dispensetur.

Ait insuper annum probationis debere esse continuum *c. 1. de regular. in 6. in v. per totum sequentem annum*: etiam ex decreto Concilij *d. c. 15. in verb. per annum in probatione steterit*: qui enim interrumpit, non censetur stare. *diximus in Consult. can. h. t. cons.* 18. idque satis est receptum: sed, quomodo annus interrumpi censeatur, paulò magis controuersum. Contendit Petrus interruptionem accidisse ex eo, quod, cùm monasterium peste contigerit esse infectum, educti fuerint in pagum vicinum, & domum sæcularem nouitij: vbi, etsi sub Superiore, erant tamen immixti sæcularibus; neque exactè exercitia monastica seruabant: & ipse ad monasterium reuersus, ex cibis quadragesimalibus, quos stomachus eius non ferat, inciderit in septimestrem morbum: ex quo ita decubuit, vt nec asperitatem habitus probaret: tametsi continua habitus delatio essentialiter requiratur ad probationem: *Mirand. in Man. prælat. q. 22. ar. 6. Sanches in decal. l. 5. c. 4. n. 29. Tamburin. de iur. abbatiss. d. 4. q. 7.* quamquam neque sæculari vteretur, nec abstinentiæ quadragesimalis probaret austeritatem. vt quamuis nec in Superiore, nec in ipso culpa fuerit, reuera tamen defuerit realis probatio duritiei Ordi-

2. Continua etiam.

nis. præſertim deducta ex ſpatio annali tam mora vnius aut amplius menſis peſtifugę manſionis; quàm morbi ſeptimeſtris, qui ſolus maiorem partem anni abſtulit. vt, ſi à maiori parte deſumatur denominatio, dici non poſſit per annum *ſtetiſſe in probatione*: eaq́ue imprimis continua. cùm & ipſa continuatio pars maxima ſit auſteritatis. *vt rectè Silueſter in Sum. v. religio 50. vbi hæc habet; ſicut patet quod is qui difficultatur ieiunare quadraginta dies, facile ieiunaret eos, ſi inter diem & diem interponeret aliam diem refectionis, vel plures: tum quia textus dicendo indefinitè auſteritates, omnes vniuerſaliter comprehendit. vt not. per Dyn. de reg. iur. in Rub. & facit de decimis c. ad audientiam.* accedit quod morbus mox à profeſſione illum iterum inuaſerit, iudicio medici ex cibis quadrageſimalibus. vt morbus ei ſemper ſit timendus, & vitæ periculum, vt ait. ex his infert Petrus ſe profeſſum eſſe antequàm ſtetiſſet in probatione per annum; & quidem integrum, eoq́ue nulliter.

Et quidem manſionem extra monaſteriũ naturâ ſuâ non obeſſe nouitiatui conſtat *ex c. inſinuante. X. qui clerici vel vouent.* ſed c. 1. de *regular. in 6.* exigit intra monaſterium: *in Ver. qui per totum annum in monaſterio permanſerit.* tamen ex iuſta cauſa moram extra monaſteriũ factam non interrumpere nouitiatum, ſi modò non longa ſit, & facta ex Superioris aſſenſu, ſatis receptum eſt. *L. Miranda in Man. prælat. q. 22. ar. 5. & 4. alijq́ue paſsim.* vt morbum etiam exigui temporis non interrumpere, ſatis ratio probat, & praxis vniuerſalis.

Verùm hæ circumſtantiæ morbi ſeptimeſtris, & manſionis peſtifugæ extra monaſterium ſimul in vnum annum concurrentes, tantam lacunam faciunt, vt vix tertia pars remaneat reipſa probandæ auſteritati; & diſciplinæ monaſticæ. vt ſanè non deſit iuſtæ ſpecies querelæ. eaq́ue ex cauſa in Ordine Minorum refert Miranda *d. q. 22. ar. 5.* ſtatutum; vt, præter caſum tranſlationis, non computetur tempus, quo nouitij ante exitum in probatione ſteterint, ſed poſt reditum annus probationis incipiat.

Iuſtæ ergo ſpecies querelæ hîc ſubeſt. ſed an ſpecies tantùm? & Miranda quidem *d. ar. 5.* ex ſententia, vt ait, omnium, religioſum qui in infirmaria monaſtica, vel hoſpitali, ſub obedientia Superioris egerit, ægrotans ad menſes quamuis decem, in fine eiuſdem anni rectè, ac validè profiteri: & ſatis eſſe ſub obedientia experiri vniuerſaliter aſperitates Ordinis, non ſingularum requiri experientiam. quæ eadem tradit Sanches *in Decalog. l. 5. c. 4. n. 28 & 52.* vbi in terminis docet in Ordine Minimorum *nouitium toto anno ægrum, eoq́ue carnibus & lacticinijs vtentem validè tamen profiteri ad finem eiuſdem anni.* quod verum fuiſſe ante Concilium Trid. non dubito; cùm liceret experientiæ renuntiare; & renuntiare cenſeretur ipſo facto profitens. *d. c. ad apoſt. X. de regu.* ſed id cùm hodie non liceat, *L. Miranda in Manual. prælat q. 22. ar. 7. Sanches in Decalog. l. 5. c. 4. n. 19. Tamburin. de Iur. Abbatiſſ. d. 4. c. 7.* vtique nec expreſsè nec tacitè lapſum anni præueniendo; *vt in d. c. ad apoſtol.* & Tridentinum nunc requirat, vt *in probatione ſteterit per annum* nouitius; & noſter per ſeptem menſes ante profeſſionem, & rurſus pôſt paſſus ſit morbum recidiuum: vt ſonticus dici, & impedimento eſſe videatur, *iuxta legem, morbus ſonticus. D. de verb. ſignif. l. quæſitum. D. de re iud. l. fin. D. de ædilit. edict. Sanches in Decal. l. 4. c. 16. n. 36. 7. 38. l. 4 c. 45. n. 41.* deeſſe non parum probationi videri poteſt: & ſi Medicorum iudicio ſtomachus incurabilis iudicetur, impedimentum, quod in Ordine Minimorum, ob quartum

3. Longu[s] morbu[s] probatio-nis inter-ruptio[nem] facia[t]?

votum ciborum quadrageſimaliũ, eſſentiale cenſeatur, videbitur, neque ſuffeciſſe probationem ſub ſolo nomine obedientiæ, ſine reali tam grauium alijſque Ordinibus ignotarum auſteritatum experientia. Si dicas in gratiam Ordinis illud impedimentum cenſeri; ſciuiſſe Superiorem, admiſiſſe tamen ad profeſſionem; eoque diſpenſaſſe: quærendum erit, an verè pro tali habuerit, verè ac poſitiuè intenderit diſpenſare; eamque facultatem habuerit: alioquin ſeriùs id nunc fieret: cùm interim vxorem duxerit; vt iam diſpenſari, aut validari actus ante geſtus nequeat, aut ius vxori interim quæſitum auferri, ſeu matrimonium irritari. quod poſt conſummationem non minùs indiſſolubile eſt, quàm religionis votum.

Cæterùm extra caſum morbi ſontici, ſeu impedimenti huiuſmodi, ob ſolam non experientiam huiuſmodi continuæ abſtinentiæ, non auſim nullitatis damnare talem profeſſionem. cùm in caſu longioris abſentiæ, & in curia manſionis, etiam poſt Concilium Trid. Sacra Cong. cenſuerit valere profeſſionem. apud *Nauar. de regular. conſ. 32. n. 5.* aitque is nullum Doctorem docere contrarium, *nec auderet*, inquit, *vt puto: ergo non eſt abſque vlla lege dicendum quod teneatur experiri omnes auſteritates in ſpecie*: ſed dici poſſet d. c. 15. legem eſſe nouam, quę nullitatem nouam inducat. ob conſiderationem multorum apoſtatarum, qui ſi debitè ante Trid. fuiſſent probati, fortè non apoſtataſſent. ſed etſi non omnino omnes auſteritates nouitius teneatur experiri; at neque nullas poteſt: & præcipuè eam quæ tam ſingulari voto præſcribitur. conſideratis etiam ijs, quæ ſuprà deducta ſunt. quæ vt puto eſe non contemmenda, non tamẽ, vt dixi, auſim certò à Nauarro diſsentire, donec S. Cong. etiam noſtri caſus facto examine aliter declararit.

Neceſsariam porro, quam diximus, inſtructionem, nouitio datam non eſse, reijciendum eſt vti non veriſimile *c. quod non. X. de præſumt.* vel ante propoſitam non fuiſſe votorum formulam, vel ignoraſse illum cùm profiteretur conditionem Ordinis. *l. qui cum alio D. de reg. iur.* præſertim quod peculiariter author Ordinis ſuos quarto voto obſtrinxerit abſtinentiæ quadrageſimalis. cuius vitam ei prælectam non fuiſse credibile non eſt. & vel in ipſo officio illius in Breuiario Rom. refertur. vt ſuſpecta ſit talis allegatio. *c ubi. X. qui matr. accuſ.* quare neque ad iuramentum ignorantiæ recipiendus videtur. *c. Vidua. X. de regul.* quod fortè aliàs obtinet. *d. c. vlt. Nauarr. de regul. conſ. 42.* eò quòd hic obſtet ei iuris præſumptio. *c. vlt. §. fin. X de iureiur. c. per tuas. X. de probat. c. tua nos. X. de ſponſal. Menoch. de præſumt. l. 1. q. 77.* & teſtimonia eorum, qui cum illo nouitij fuerunt. qui & de morbo, ſed non ſontico; & manſione extra monaſteriũ, ſed de licentia & ſub obedientia Superioris teſtantur. vt nec hîc colluſio vlla reperiri, nec argumentum c. ſuper eo. *X. de eo qui cognouit conſang. vxor.* locum habere poſſit. & porro vel ſola votorum formula conſueta, iuxta quam edidit profeſſionem, huiuſmodi allegationem excludit.

Nam etſi certum ſit ad votum requiri conſenſum, & Petrus neget ſe vouentem conſenſiſse in obligationem ſub mortali; tamen non defuit conſenſus in votum ipſum, & cauſam: etiamſi effectum totum non intenderit. an id ſufficiat *vide Sanches in decalogum. l. 4. c. 1. n. 18. & multis ſeqq. c. 2. n. 18. & ſeqq. de mat. l. 1. d. 9.* & porro quæ allegatur intentio, in foro externo ſine plena probatione, quæ non eſt poſſibilis, *d. c. tua nos.* recipi non poteſt. *d. c. vidua.* præſertum cùm nec vlla proteſtatio priuata, aut declaratio ſuper intentione

tentione verbis professionis, & regulæ contraria, emissa ab eo fuerit.

RESPONSVM IV.

De corrupta professa, in abbatissam electâ.

1. Currupta quæ virgo putabatur, validè est professa, neque iam dimittenda.

QVod si me virginem emere putarim cùm esset mulier, emptio non valebit, inquit Vlpian. *in l. alioquin. D. de contrahend. empt.* si ei nuptias, quamuis iuratus, promisi, quam virginem putaui; si deprehenditur corrupta, non teneor ducere. *Less. de iust. lib 2. c.* 18. *dub.* 10. *n.* 72. *c.* 42. *dub.* 4. *n.* 22. sic per ædilitium edictum in multis redhibitioni locus est; præsertim quoad conscium vitij, si deceptus voluerit. *Less. c.* 17. *d.* 5. *n.* 33. adeo vt & religionem fraudulenter professus, ob vitium suppressum eijci possit. *idem c.* 41. *de stat. rel. d.* 7. *n.* 62. nihilominus dicendum est, corruptam, quæ putabatur virgo, professam, quamuis vitio cognito non fuisset admissa, validè esse professam. sicut matrimonium cum corrupta initum, quæ putabatur virgo, validum est; nec dimitti potest. quia huiusmodi qualitatis ignorantia non tollit consensum circa substantiã actus. qui nec est solubilis ex voluntate partium: nec factus conditionalis ex eo, quod quis ita sit affectus, quod si vitium sciret, coniugium carnale, aut spirituale non admitteret. neque enim influit ea affectio in actum admissionis, sed concomitanter tantùm se habet. non poterit ergo sic professa eijci. quia iam non præstat impedimentum religioni.

2. An in abbatissam eligi possit?

Sed an corrupta eligi in Abbatissam, seu illa electioni consentire possit? agimus autem de illa, cuius vitium occultum est, eaque corruptione, quæ carnis integritatem tollit. nam & voluntariam pollutionem passa, manente carnis integritate, consecrari potest consecratione virginum. *Less. de iust. lib.* 4. *c.* 2. *d.* 16. *n.* 120. Quæstionem nostram tractant Paulinus Berti. *in prax. crim. reg. tit.* 4. *de vis. t. c.* 13. *n.* 3. *Em. Rod. quæst. reg. t.* 1. *q.* 64. *ar.* 4. *t.* 2. *q.* 55. *ar.* 3. *L. Miranda in Man. pral. de mon. q.* 7. *ar.* 6. *Bonacina de mat. q.* 4. *punct.* 17. *n.* 4. 5. 6. *Sanches lib.* 5. *in decal. c.* 5. *n.* 21. 22. *Diana tract.* 2. *de dub. reg. res.* 99. *Barbos. de potest. eptsc. p.* 3. *al. leg.* 100. *n.* 14. *& de iure eccles. lib.* 1. *c.* 45. *n.* 24. *Portel. v. Abbatissa*, vbi quærit de vidua, & ait se habere scriptum Suares, dicentis neque esse de iure diuino, neque naturali, neque eccleiastico, quod Abbatissa sit virgo. citanturque apud illos alij.

Nihilominus communiter credi solet Abbatissam debere esse virginem. *ex c. iuuenculas, 20. q.* 1. vbi iuuenculæ fieri Abbatissæ prohibentur: *nullam nisi sexagenariam*, inquit, *virginem velari permittas*. cuius ratio à glossa traditur, *ibid.* quòd aliàs ad virginitatem adhortari non possit. *c. vna. dist.* 26. iterum glos. in c. *quomodo virginibus ad verbum eligatur.* 31. q. 2. Insuper, *in c. si quis omnem.* 1. *quæst.* 7. Maria quæ peccatrix fuerat, dicitur inter diaconissas non esse relata. denique *c. si Paulus* 32. *q.* 5. vbi Hieronymus virginibus, quæ membra Christi prostituerunt, applicat illud Isaiæ 47. *descende, sede in terra virgo filia Babylonis.* vnde & corruptas descendere potiùs, & in puluere sedere, quàm inter Abbatissas assumi debere, vt nec inter diaconissas, videtur dicendum. denique & ipsa virginum velatio, seu consecratio virginitatem exigit. vt Leo I. statuit *ne monacha benedictum capitis velamen reciperet, nisi quadraginta annorum virginitatem probasset. ita Breuiarium Rom.* super eáque interrogatur consecranda: adeoque & eandem merito exiget dignitas

dignitas Abbatialis. Ad extremum facit Concilium *Trid. ſ. 25. de reg. c. 7. in verb. laudabiliter vixerit.*

Porro verba d. c. iuuenculas *ſexagenariam virginem* accipiunt aliqui, vt ea ætas dumtaxat ibidem exigatur: ad antitheſin iuuenculārum: nomen autem virginis illapſum ſit, ſicut dicuntur monaſteria virginum, & loquitur Trid. *vbi ſup. c. 17. in verb. libertati profeſſionis virginum &c.* tametſi nonnunquam vel viduæ, vel occultè corruptæ etiam in monaſterijs habeantur. Rectè tamen & de vtraque qualitate d. c. *iuuenculas* accipi poteſt. cùm Gregorius *in Regiſt. lib. 3. ep. 11. vnde ſumptum eſt d. c. iuuenculas*, vtramque conſideret: *in verb. cuius ætas hoc, atque mores exegerint.*

3. Valida eſt electio.

Cæterùm, quoniam de vitio occulto agimus, ſi contingat putatam virginem eligi in Abbatiſſam, validam eſſe electionem, confirmationemque dicendum eſt. vt matrimonium corruptæ quæ putabatur virgo. quamuis enim eligi confirmarique non debeat corrupta, etſi occultè; nec electa aſſentiri, ſi citra infamiam poſſit repugnare electioni; nihilominus ſi eligatur, aſſentiatur, confirmetur; actus erunt validi. quia d. canones non induxerunt incapacitatem ſimpliciter corruptæ. vt & in matrimonio carnali quædam impediunt, quæ non dirimant contractum matrimoniū. ſicut & aliàs multa fieri prohibentur, quæ facta tenent. Neque porro benedictio Abbatiſſæ per ſe abſolutè eſt neceſſaria. vt multæ non benedicuntur. *clem. attendentes. §. ſtatuimus. de ſtat. monach.* minùs prioriſſæ, ſimileſque præfectæ. de quibus etiam tamen agit Trid. & accipi etiam poteſt d. c. *iuuenculas.* eoque per benedictionem, non ſimpliciter neceſſariam, non videtur inferri neceſſitas virginitatis.

Quod ſi obieceris d. c. *ſi quis omnem.* quod ibidem, vt à ſacerdotio repellitur, qui fornicatus eſt poſt baptiſmum; ita & promotus per vitij ignorantiam degradatur, dum id poſtea venit in notitiam: eoque inferas occultè corruptam, cùm vitium innoteſcit, deponendam: dici poteſt in neutro caſu d. c. *ſi quis* vſu, praxique receptum eſſe. deinde leges pœnales non extendi extra caſum ſuum; neque in illis maſculinum comprehendere fœmininum. denique puriſſimam functionem eſſe ſacerdotis, à qua procul diſtat prælatura monialiū. cùm monachi Abbateſque veteres in ſorte fere laicorum reputarentur dumtaxat: illorumque Abbatum gradum tranſcendere fœminæ, nec hodie poſſint. vt iſte rigor, quamuis non eſſet obſoletus, trahi nullatenus poſſet ad fœminas. Vt omittamus, quod ait gloſa, durum eſſe, ſi verbum fornicatio accipiatur de ſimplici; & non potius de adulterio, aliſque grauioribus carnis vitijs. quale eſſet ſi virgo, poſt votum iam in religione emiſſum, eſſet corrupta. cuius nulla paritas eſt cum illa, quæ adhuc libera peccauit occultè.

4. Electa ſi citra infamiam nequit diſſentire, poteſt electioni aſſentiri.

Enimuerò vt apud nos Rex denominat perſonas ſibi gratas, quæ eligantur, & confirmentur, eaque nominatio mox omnibus innoteſcit; ſi aſſentiri noluerit nominata, Rex putabit magis dignam, magiſque cogendam: & accedere poſſunt aliæ circumſtantiæ graues, ob quas aut difficile nimis, aut impoſſibile ſit ſubterfugere, ſi caſu contingeret occultè corruptam nominari, de qua non eſſet *qui loqueretur verbum malum*, vt dicitur de Iudith. *c. 8. Iudith.* dicendum foret non teneri ſic nominatam occultum ſuum vitium manifeſtare: infamiamque ſibi, ac monaſterio ſuo inferre: adeoque minus malum poſſe ab illa eligi, quia ergo *melius eſt nomen bonum, quàm*

quàm diuitæ multæ; posset ad conseruandam famam nominationi assentiri: quod infrà famæ iacturam sit. crudelis esse dicitur, qui famam negligit. & cùm ex suprà citatis authoribus pateat, etiam sententiam illorum, qui aiunt corruptam occultè iure non prohiberi Abbatissam fieri, etiam esse probabilem; poterit sic electa eam amplecti. *argumento eorum quæ citat Diana de Opinione probabili.*

RESPONSVM V.

Ex clausura an Abbatissa extrahi possit, ex causa inobedientiæ, & incorrigibilitatis?

1. An ex constitutione Pij V. id admissum?

PIus V. cuius constitutio seruari iussa est in Concilio prouinciali Mechlinienſi 1608. *tit.* 24. *c.* 3. clausuram monialium per egressum vel ingressum infringi vetat, nisi ex iustis arbitrio Ordinarij causis quoad ingressum: quoad verò egressum monialiũ, adeoque extractionem; ex causis non arbitrio Ordinarij permissis, sed tribus dumtaxat in Piana expressis: aliis exclusis. admittunt tamen aliqui, vt causa correctionis, quæ obtineri non in loco, sed alibi speratur, transferri possint moniales. *vide citatos à Tamburino de iur. Abbatiss. d.* 21. *q.* 3. quasi commune bonum monasterij prævalens priuato id mereatur. & ob crimen simoniæ recipiens, & recepta iubetur de suo monasterio expelli. *c. quoniam. X. de simon.* quem textum Bonacina negat reuocatum. tamen S. Cong. censuit, monialium nullam sibi subiectarum ex vno monasterio ad aliud transmittere posse locorum Ordinarios, vel superiores regulares; etiam ex causa seditionis, vel incorrigibilitatis, aut criminis perpetrati. *Tamburin. ibidem.* sed & formant quæstionem in monialibus corrigendis, non in Abbatissis. in his enim, vt sæpe dum fit inquisitio, aliud canones decernunt. *in c. olim. 26. X. de accusat. prouiso*, inquit, *vt negotio ipso pendente monachi abbati obediant, & intendant.* quod idem in Episcopis statutum est. *in c. nonne. 8. q. 4.* sed neque color quærendus est incorrigibilitatis. ad hanc non tantùm exigitur aliqua ex ijs causis, quæ à scribentibus solent; sed S. Congregatio decreuit, ne incorrigibiles censeantur, nisi quæ annali carcere in pane & aqua emendari non potuerint. aliaque requirit antequam eijci aut transferri possint. iterum declarat incorrigibiles moniales eijci non posse Sede Apostolicâ inconsultâ. *Tamburin. ibid. q.* 4. vbi & *ex Sanches* nullam praxim esse contrariam ait. quod & congruit rationi c. fin. *X. de regul. & c. periculoso. de stat. monach. in* 6. sed neque color ille probari potest quoad extrahendam Abbatissam extra clausuram; qui proponitur, vt veniat visitatum nouum opus. *Tamburin.* qui dicit communem. *de iure abbatiss. d.* 19. *q.* 4. §. 14.

2. Non vtique ex sententia Interpp. Concil.

RESPONSVM VI.

An asyli causa ingredi clausuram liceat?

1. Ex metu infamiæ eadem virum comitantem.

QVæsitus ad carcerem iam decretum satellitibus insequentibus, & septa obsidentibus, intra illa fugit M.: præsentaneum hunc metum, cadentem in virum constantem *l. metum autem D. quod metus*, iure profugum hunc excusare censet Sanches. *in decal. l.* 6. *cap.* 16. *n.* 59. *Tamburin. de iur. abbatiss. d.* 22. *q.* 3. §. 6. eoque & latebræ pertinent, quamuis aliquot dierum, si durat metus; neque est egressus liber. Neque ab asylo excludit, quod sibi ipsi causam metus intulisse delinquendo dicatur; eoque

eoque non excusandus: *ex l. si mulier. 21. D. quod metus.* quia ab asylo iure hæc causa non excludit. vt patet in reis grauissimorum criminum, non exceptorum per constitutionem Greg. XIV. *super immunitate ecclesiarum latam.* ius asyli est, tam vt profugere eò liceat, etiam ex literis sacris; quàm ne confuga extrahatur. *vide Couar. var. t. 2. c. 20.* sed neque moniales admittentes, quamuis immeritum, incurrunt excommunicationem. cùm ius illam eis non infligat. *Sanches in decal. lib. 6. c. 16. n. 18. Bonacina de clausura. q. 4. p. 6. prop. 2. n. 23.* sed pœnam Iudicis arbitrio permittat.

2. Neque præuia culpa eo iure priuat.

3. Nec moniales admittentes sunt excommunicatæ.

RESPONSVM VII.

Licentiam ingrediendi monasterium monialium quis dare possit?

DAre, inquit Conc. *Trid. de regul. s. 25. c. 5. tantum: Episcopus, vel superior licentiam debet, in casibus necessarijs, neque alius vllo modo possit: etiam vigore cuiuscumque facultatis, vel indulti.* Superior in exemtis regularibus quasi Episcopalem iurisdictionem habens à multis intelligitur: ne abbatissæ, quamuis superior sit, *c. dilect. X. de excess. prælat.* prudentiæ muliebri id commissum censeatur. *Zuar. t. 4. de relig. l. 1. c. 10. n. 14. Azor. t. 1. l. 13. c. 8. q. 7. Rodrig. q. regul. t. 1. q. 46. art. 2. Sanches in decal. t. 1. l. 6. c. 16. n. 21. 22. Tamburin. de iur. Abbatiss. d. 23. q. 3.* alij eum omnem intelligunt, cuius sit clausuram imponere. *Tamburin. de iur. Abbatiss. d. 23. q. 3. & citati à Barbos. in Collect. DD. ad c. 5. s. 25. de regul. Conc. Trid. n. 68.* quibus fauet c. periculoso *de stat. regul. in 6.* vbi quoniam in materia curandæ clausuræ Episcopis opponit Abbates, & alios tam exemtos, quàm non exemtos prælatos: quod non corrigit Trid. *de reg. c. 5.* sed Episcopo æquiparat Superiorem; alium excludit, indultis fortè nixum. at monasterium de quo agimus, præter excepta, exemtum est: & hæc ingressus permittendi licentia in bullis exemtionis non est excepta. imò Conc. *Trid. s. 25. de regul. c. 9.* vult exemtas à regularibus regi solitas, sub eorum cura relinqui. igitur spectat ad regularem superiorem licentiæ concessio; imò multi negant in exemtis, qui regulares superiores habent, Episcopis vllam esse potestatem quoad clausuram. *Tamburin. de iur. abbatiss. d. 24. q. 9. n. 5.* quos iuuat d. §. & quoniam. etsi & d. c. 5. contra facit, in verbis *in monasterijs sibi subiectis ordinariâ, in alijs &c.* si ergo hic confessor generalis est prælatus, & superior; iuxta declarationem Martini V. vt *ex Regula cap. 14.* ipse alios confessarios ordinat; aliaque iuxta constitutiones spiritualis prælaturæ negotia disponit, si referendus vtique non videatur absolutè inter superiores authoritatem quasi Episcopalem habentes; saltem clausuræ cura inprimis ad eum pertinet. vt generatim in spiritualibus caput est, & regimen ei competit, ex regula & fundatione huius monasterij. adeoque ad eum facultas ea spectat. quemadmodum & tradunt citati *à Barbos. ibid. n. 71.* si prælato particulari authoritate apostolica monasterium subiectum sit, ad hunc, non ad Generalem, aut Prouincialem, spectare huiusmodi licentiæ concessionem. vnde & sicuti alij Superiores regulares, & Episcopi, vt alijs, ita & sibi ipsis, cùm causa exigit, nec aliter sine pœnarum periculo; *Tamburin. d. q. 9.* eam dare possunt; ita & hic confessor generalis.

1. Episcopus & Superior regulariris.

sed qualis?

2. An hic Confessor generalis?

RESPONSVM VIII.

De duplicibus monasterijs Ordinis S. Saluatoris.

1. Vt generatim vetita.

VEtita sunt per veteres canones duplicia monasteria, id est vtriusque sexus. *c. definimus. & seqq.* 18. *q.* 2. nec tantùm permixta virorum, fœminarumque habitatio: *d. c. definimus. c. in nullo ibid.* sed etiam coniuncta tantùm, & habitaculis distincta. quemadmodùm vetita cohabitatio clericorum, & mulierum. *tot. tit. X. de cohab. cler. & mulier.* quod nullibi in Belgio receptum est. quin & lex. 3. *C. de cust reor. sexu*, inquit, *dispares diuersa clausstrorum tutamina habere iubeantur.* quod nec in Episcopalibus carceribus vbique obseruatur. quemadmodùm etiam olim circa templa, laicorum habitacula esse non poterant, sed soli clerici habitare. *c. nulla.* 12. *q.* 1. ne conducere quidem laici ædes clericorum poterant. *Con. Aurel.* 2. *c.* 9. *Choppin. monast. l.* 2. *t.* 3. *n.* 18. vt liberiùs isti Deo vacarent. commune dormitorium & refectorium haberent. *c. necessaria* 12. *q.* 2. quod nec vllibi hodiè seruant Episcopi. excipit tamen d. c. *definimus* monasteria, *quæ hactenus*, inquit, *fuerunt dupla secundùm regulam Basilij: & secundùm præceptionem eius ita formentur: non habitent in vno monasterio monachi & monachæ.* ita requiritur inter sexum vtrumque monachorum longius spatium. *c. monasteria. ibid.* quia *scandalum id, & offendiculum multis efficitur*; inquit *d. c. definimus. c. monast. aut propter diaboli*, inquit, *insidias, aut propter oblocutiones*, inquit, *hominum.* vt ne quidem in vno choro permittantur conuenire ad psallendum. *c. perniciosam. §. fin. ibid.* D. verò Birgitta Regulâ à Christo Saluatore dictatâ (ita enim credit Ecclesia, & in Breuiario Romano, illiusque officio ab Vrbano VIII. inserto legimus) Ordinem S. Saluatoris instituit; & vtriusque conuentus monasticorum ædificiorum formam ita præscripsit, vt vterque quidem conuentus ita esset coniunctus, vt *iuxta c. in decima.* 18. *q.* 2. virgines monachorum administratione, & præsidio gubernandæ, & è vicino semper in necessitatibus spiritualia auxilia præstò haberent: & parietibus ita distinctus; vt scandalum non pharisaicum, & oblocutiones hominum, quorum oculi nequam non essent, cauerentur. adeoque non nisi ex templo, atque ex publico ad alterum pateret accessus: & sanctimonialium septa ita essent clausa, vt *iuxta c. 8. X. de vit. & honest. cleric. c. vn. de stat. Reg. in* 6. ingredi, egredique nemini esset permissum. *Vide Choppin. monast. l.* 1. *t.* 3. *n.* 18. quemadmodum in Belgica superiorique Germania multa etiamnum sunt sæcularium, canonicorum simul, & canonicarum collegia in vnis ecclesijs, sed diuersis choris; inoffensa tamen fama Deo seruientium. multæ virorum ecclesiæ in quibus & mulieres altaribus ornandis, curandis ornamentis, sartis tectis habendis, ac alias subministrant. præter domestica sub ijsdem tectis obsequia, citra crimen aut offensam.

2. ? Vt quædã excepta.

Quod si illa clausura in istis monasterijs quomodolibet duplicibus integra aliquatenus non seruetur; non obstante exemtione aut appellatione prouidere potest Ordinarius: tam in vim Concilij Trid. *s. 25. c.* 5. *de regul.* quàm d. constitutionis Bonifacij VIII. *d. c. vn. ibid.* innouatæ. & si peruicacia regularium superet exequendi vires spirituales; potest inuocari brachium sæculare. & requirit Conc. Trid. *ibid. c. 22. in fin.* omnes Principes, vt illud præstent, vt contumaces etiam vi maiori ad obedientiam cogantur. sed non ideo

ideo euerti institutum potest, sed mores reformari debent. si enim credimus cum Ecclesia Regulam à Christo dictatam, dum in ea duplicia monasteria præscribuntur, quis tam altùm velit sapere, vt cum suprema nō sapiat Sapientia? quę ex ore Altissimi prodijt; & Reguā ad solum suum Vicarium firmandam remisit. *qui omnipotentem*, inquit Fabianus Papa, *Deum metuit, nec contra Euangelium, nec contra Apostolos, nec contra Prophetas, nec contra sanctorum patrum instituta aliquid vllo modo consentit. c. qui omnipotentem. 11. q. 3.* improbare potest nemo, quæ œcumenica Concilia probarunt. *c. confidimus. c. omnia. 25. q. 1.* sed manere debent termini, quos posuerunt Patres nostri. *c. quæ ad perpetuam. ibidem c. priuilegia. 25. q. 2. & tota illa causa. Vid. j. §. 4.*

§. 1.

De superioritate, & præfectura eiusdem Ordinis.

1. Vt Confessor generalis & Abbatissa superiores.

Abbatissa, inquit Regula. *c. 10. vnum de tredecim sacerdotibus, in quem ipsa cum omni congregatione sororum & fratrum consentit, in confessorem eligat, ipsumque Episcopus constituat, & confirmet; eique authoritate ligandi atque absoluendi, corrigendi atque reformandi plenariè ab Episcopo concessa, omnes*, inquit, *sacerdotes & fratres, sicut sorores Abbatissæ* in omnibus *obediant: extra præceptum eius nihil omnino, ne vel minimum quid facientes.*

Abbatissam, inquit bulla erectionis T. *per quam in temporalibus, & confessorem generalem, per quem in spiritualibus monasteria huiusmodi regi & gubernari possint, in eis instituit.* nec mirum; cùm & S. Augustinus, sub cuius generica Regula & hic Ordo militat (*S. Birgittæ*, inquit Paulus II. *in d. bulla erectionis huiusmodi monasterij S. Saluatoris nuncupatus sub regula S. Augustini*) in Regula sua negotia maiora velit ad presbyterum eis præpositum deferri. vnde fere (saltem inter Præmonstratenses) confessores monialium S. Augustini præpositi vocantur, de qualibus Isidorus *in c. 9. X. de verb. signif. quamuis*, inquit, *omnes qui præsunt, præpositi ritè vocentur; vsus tamen obtinuit eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.* eo ergo sensu hic Confessor generalis non tantùm fori interni authoritatem; sed etiam externi spiritualis reiminis super omnes vtriusque conuentus regulares prioratum, & curam gerit. pro Ordine autem generatim *Nos*, inquit Mart. V. *attendentes, quod huiusmodi generalis officium confessoris in spiritualibus nulli alij congruentius competat, authoritate præsentium præfatos generales confessores, qui sunt & erunt pro tempore in præfato Ordine & monasterijs, caput existere, & esse debere; Abbatissam quoque in temporalibus esse caput in Ordine, & monasterijs, & locis huiusmodi. in spiritualibus vero non superesse, sed potius subesse ipsi generali confessori statuimus, & ordinamus; & sic volumus, & mandamus futuris successiuis temporibus intelligi, & obseruari.* & Ioannes XXIII. statuit, vt defunctis confessoribus generalibus seu Abbatissis, *nullus seu nulla*, inquit, *ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem vel quam fratres & sorores vtriusque conuentus communi assensu, vel maior pars saniorìs consilij secundùm Deum & B. prædictæ regulam prouiderint sic eligendum, vel eligendam.* vbi nec diœcesanis alium præponere permittitur, quàm sic electum; nec alijs aliam eligere, quàm secundùm regulam: ad hæc c. 14. vnum ex sacerdotibus istius congregationis iubet eligi, qui sunt istius Ordinis professores. *ibidem c. 12. 13. 14. 16.* adeo vt, quamuis conuentus eligeret, seu præsentaret sæcula-

2. Vt ille eligendus?

rem; diœcesanus tanquam non ritè electum non posset confirmare. eoque minùs quòd omnis paternitas, iurisdictio, & visitatio per c. 26. Regulæ concessa, eum finem spectet, vt sit diligens speculator, *si regula*, inquit, *in omnibus punctis obseruetur*. si in omnibus; cur non in summo eo, quod de capite & Prælato Congregationis instituendo illa decernit? sed & d. c. 14. Regulę huiusmodi facultas non est absoluta; sed restricta ad sic electum, & sic præsentatum. adeò vt si quis non electus, non præsentatus instituatur; sit extra fines mandati, & regulæ, extra ibi concessam iurisdictionem. institutio in beneficio iuris patronatus ab Episcopo facta non præsentati, irrita est, aut saltem irritanda: *c. 14. X. de iur. patronat.* sic & institutio rectoris sine consilio eius qui rogari debuit, irrita dicitur, & ei potestas negatur instituendi, qui sic instituit. *c. cum olim. X. de arbit.* si id in consilio dicendum, quanto magis in consensu requisito? Ideoque siue Ordinem quoad hæc exemtum dicamus; quo modo rectè Ordinarius confessores dabit? siue d. c. 14. regulam vigere; quo modo rectè illius limites excedet? sed & *in authentica de sanctiss. Episc. col. 9. c. 37. siue §. in omnibus vers. fœminis*, disertè statuitur, vt solutis huiusmodi monasterijs duplicibus, Episcopus eis ordinet confessarium, quem ipsæ elegerint.

Denique Bonifacius IX. *bulla quæ incipit, Et si ex debito, authoritate*, inquit, *apostolica statuimus & ordinamus, quod in quolibet monasterio & loco dicti Ordinis, quæ nunc sunt & erunt in futurum, vnus confessor generalis iuxta constitutiones prædictas eligatur, qui sit & esse debeat perpetuus: nisi, quod absit, contra regulam, constitutiones, & statuta supra d. aliquid attentare præsumpserit.* hæc exceptio inuerti non potest, vt perpetuus esse desinat, si pro regula, constitutionibus, & statutis decertauerit: & in casum incidat per diœcesani admissionẽ reseruatum. quin imo cùm aliquando Bonifac. IX. huiusmodi confessores nudos ministros, etsi perpetuos, esse voluisset; Ioanni XXIII. discrepare id visum est à mente Regulæ, & confessores generales capita congregationum esse voluit: quibus & ipsa Abbatissa, omnesque alij in spiritualibus debeant subesse.

3. Vt perpetuus esse debeat?

§. 2.

De reuocatione admissionum.

VNde sequitur & huiusmodi confessarios generales vt in alijs multis Ordinibus, non posse ab Ordinarijs ea authoritate priuari. quippe quod & bulla non concedit: sed cùm visitant, correctiones tantùm, & pœnitentias imponere: quas nec per se possint exequi. vt priuare non potest, qui visitator dumtaxat est. *c. in singul. cum seq. X. de regul.* sed cui plena iurisdictio data est. *c. dilectus. 26. X. de rescript. c. cum I. & ibi. X. de re iud.* eoque minùs, quòd prohibitio audiendarum confessionum, & administrandorum Sacramentorum re ipsa incidat in suspensionem ab officio. nam hæc nulli verborum formulæ est adstricta. at diœcesanis non est permissum in regulares S. Saluatoris ferre sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti. qualis exemtio seruanda est, etsi *c. 1. de Verb. signif. in 6.* plena non sit. 1. Primum arbitrii negat.

Neque verò rectè dicitur ex lege, pacto, conditione admissionis pro libitu licere hic reuocationem: nam, præterquàm quod tale pactum referendum foret ad arbitrium boni viri; *l. hæc venditio. D. de contrah. emt. Tuscus v. beneplacitum. conc. 9. n. 13. & latissimè VVamesius cons. can. de precar. cons. 301. 302.* non intempestiuè, *§. manet.* 2. An rectè dicatur?

net. inſt. pro ſocio, neque ex cauſa infamante, non cognita, & probata; *diximus in Iur. pont. nou. anal. de regul. n. 46.* locum haberet: tamen ea vocabula non rectè rebus diuinis applicantur. vbi Epiſcopus pro munere ſuo aliquem probat ad miniſterium Sacramentorum. præterquam etiam quod actus legitimi conditionem non recipiant. *c. actus. de reg. iur. in 6.* & in electionibus, admiſſionibus &c. conditiones reſpuantur, & fiunt pura ſuffragia. *c. 2. de elect. in 6.* puriùs loquitur Concilium *Trid. ſ. 23. c. 15.* ibidemque, ſi examinatus idoneus iudicetur, *approbationem*, inquit, *quæ gratis detur, obtineat.* vbi non admittit pacta, & leges, & conditiones; ſed præſcribit, vt idoneis approbatio detur; & gratis. vnde Layman regularibus ad examen oblatis, ex ſummi, inquit, Pontificis voluntate, ac tacito mandato, ſi idonei reperiantur, approbatio debetur. *lib. 4. de Sacram. pœnit. tract. 6. c. 11.* Quare Concil. Trid. d. c. 15. requirit duo. 1. vt detur approbatio. 2. vt ſimpliciter & gratis detur. non tantùm gratis reſpectu pecuniæ; ſed & ſine quopiam grauamine, lege, aut pacto, per quod danti quid liceat, quod alioquin iure ipſo non liceret. Omitto nunc quod regula *d. c. 14.* confeſſorem electum, & præſentatum velit ab Epiſcopo confirmari, darique licentiam audiendi confeſſiones: vt ſi idoneus ſit, neutiquam id negare poſſit Epiſcopus; & extra terminos regulæ religioſos Ordinario ſubijcientes, ſunt exemti; vt nec alijs dari; nec ſecundùm illos negari his poſſint: ſed omnino mandati fines ſint ſeruandi. *c. cui de non ſacerd. de præb. in 6.*

Quemadmodum Mendicantes præſentari iubentur Diœceſanis, & ab ijs petere licentiam confeſſiones excipiendi; quam idoneis negare non poſſint: & ſi negauerint; tribuit ipſo iure Sedes Apoſtolica. *clem. dudum. de ſepult.*

Mendicantium priuilegia in audiendis confeſſionibus eis confiteri volentium communicata ſunt Ordini S. Saluatoris. an & quoad hoc punctum? inſpicienda ſunt propiùs. alia ſunt ſimilia in iure tranſeundi ad ſtrictiorem Ordinem: cùm prælatus negat facultatem; ius tribuit. *c. licet quibuſdam. X. de regul.* Abbas ter benedictionem poſtulans, ſi negetur; pro benedicto à iure reputatur. *c. ſtatuimus. de ſupplend. negl. prælat.* vt & prædicator regularis. *Trident. ſ. 5. c. 2.*

§. 3.

De dimiſsione Confeſſorum generalium Ordinis S. Saluatoris.

DE reuocatione facultatum vt iuſta ex cauſa, & quali denique fieri poſſit diximus *ſ. de pœnit. & remiſſ.* hic de Confeſſoris generalis dimiſſione tractemus. Prælatum eum eſſe mox diximus. vt Martinus V. generatim pro Ordine; Paulus II. pro hac domo declarauit. Religioſi quidem ſubditi poſſunt ſine contradictione amoueri: *c. cum ad monaſt. X. de ſtat. monach.* & ad clauſtrum reuocari: *clem. 1. de ſupplend. negl. prælat.* & ipſorum beneficia ſunt manualia, vt nec ſub regulam triennalis poſſeſſoris veniant; nec ſpoliati aduerſus ſuperiorem redintegrentur. *vt aiunt VVameſ. t. 1. conſ. 456. Rebuff. de pacif. poſſ. 274.* ſed non prælati à ſuis dignitatibus (vt Martinus V. & Paulus II. Confeſſorem generalem hîc eſſe declarauit) niſi ex cauſis in iure expreſſis. *c. in ſingulis. cũ. ſeqq. X. de ſtat. monach.* Quin neque Priores pro arbitrio amouentur qui per electionem promouentur. *c. 2. §. priores X. de ſtat. monach.* niſi ex graui cauſa: vt dilapi-

r. Prælati ſunt & nõ ad nutum amouibiles.

dilapidatores ait, aut incontinentes, aut pro maiori officio aliò transferendi. & amotiones non nisi graui ex culpa & canonica seueritate fieri debere ait c. inventum. 16. q. 7. eamque interpretes exigunt, cui priuationis pœna expressè à iure irrogetur. Neque est in potestate Ordinariorum aduersus regulam à Sede Apostolica approbatam, seu contrà, quam illa mandet, instituere, aut destituere. *c. institutionis. 25. q. 2. c. dilectus. X. de temp. Ordin. clem. 2. de elect.*

Neque Martinus V. dum duplicia diuidi, simplicia erigi huic Ordini permittit; ea redigit sub Ordinarios: sed imò iubet omnibus priuilegijs gaudere, vt alia; opusne est ergo, expedítue anarchiam hîc esse? an quod alijs licet, vt, si à regularibus gubernentur, obtineat decretum Concilij *Trid. de regul. s. 25. c. 9. vt sub eorum*, inquit, *cura & custodia relinquantur*: si non, vt sit duplex conuentus, vt Ordo & fundatio exigit; saltem vt ex eodem Ordine habeatur Confessor, etiamsi quis infra Papam diuidere posset?

§. 4.

De dissolutione duplicium monasteriorum S. Saluatoris.

PRincipium omnis reformationis ponit Concilium *Trid. s. 25. de regul. c. 1.* in reuocatione omnium ad primæuum institutum: & vt, si qua sint Ordinis peculiaria vota, atque præcepta, fideliter obseruentur. *omnisque cura*, inquit, *c. 1. & diligentia à superioribus adhibeatur, vt ab illis non recedatur.* & c. 22. eorum omnium, quæ de regularibus decreuit, *non obstantibus*, inquit, *eorum omnium & singulorum priuilegijs, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus immemorabilibus*; seruare præcipit executionem: à Regibus & Principibus manus auxiliatrices exigit: *vt sine vllo*, inquit, *impedimento rectè exequantur ad laudem Dei omnipotentis.* ob nimis tamen remotam Pontificis præsentiam statuit idem Tridentinum *de regul. c. 9.* vt sanctimonialium monasteria immediatè Sedi Apostolicæ subiecta à locorum Ordinarijs gubernentur: non quidem ideo sublata exemtione; sed *tanquam d. Sedis delegati*, inquit, *gubernentur.* qui coram possint inspicere & prospicere. *quæ verò à regularibus*, inquit, *reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.* consonat *d. c. 10. s. 14. conc. Trid.* vt ne homines diuersæ professionis iungantur. cui aptatur non deferendam vestem lana linoque contextam: non arandum in boue & asino. denique *c. in decimo 18. q. 2.* iubet monialibus præesse monachos, & instruere etiam in doctrinis. puta inprimis quoad regulam, & constitutiones: quas sciunt regulares, ignorant fere sæculares sacerdotes, vt hodie mulæ sunt; tempore veterum canonum non erant. nec est porro regulares maior hic tollendi necessitas, quá in cæteris exemtis Ordinibus. & pridem inter effectus sinistrorum affectuum, & grauamina, quæ aliquando ab Ordinarijs inferuntur regularibus exemtis, refertur *in c. nimis iniqua. X. de excess. prælat.* quod *eos de locis*, inquit, *in quibus Domino famulantur, fatagunt amouere; nisi eis obediant.* an hic idem superioritatis aculeus animas parium transfixit? quod si quod ei facto incommodum datum foret, de quo in actis allegatum nihil; minus probatum; non tamen extemplò exscindere Ordinem oportet. monasterium, aut conuentum non fecit Deus vacuum cœlum, quia & in angelis reperit prauitatem: non Apostolorum missionem intercîdit; quia & in his proditorem: non si in clero regulari, seculari,

1. Aduersatur Conc. Trid.

cularj; non, si in capitibus & membris defectus inuenti sunt, & excessus; ideo exstirpatus est clerus; & populus sibi relictus: sed Pontifices summi & Concilia œcumenica morbis remedia attulerunt, non ægros sustulerunt, vt vt deëssent morbi. corrigatur igitur, & emendetur si quid est morbidum; & monialium monasteria, quæ à regularibus reguntur, *sub eorum cura*, inquit Conc. Trid. *& custodia relinquantur*. quod si quid his aut illis desit, eligantur austeriores: prouideatur quàm optimè disciplinæ: sed Ordine iuris seruato: sed monasteria sub regularium cura relinquantur. aut si quid porro mutandum; mutentur leges ab eis, qui tulerunt. neque enim ab alijs possunt. *c. institutionis. 25. q. 2. clem. 2. de elect. c. dilectus. X. de temp. Ordinat. lex*, inquit, *superioris per inferiorem tolli non potest*. Abraham *c. 18. Genes.* negat iudicium esse iustum, vt iustus cum impio luat. quæ semel Deo dicata sunt monasteria, mutari non possunt. *c. quæ semel. 10. q. 3.* nemo potest mutare quæ Romani pontifices instituerunt. *c. institutionis. 25. q. 2.* id quod & Leo scribit Martiano Imp. *c. priuilegia. ibidem.* quare is nullam in rebus ecclesiæ, in eius etiam commodum, in sexta synodo vsurpare authoritatem voluit. *c. nos ad fidem. c. bene. d. 96. nulli hominum liceat hanc paginam infringere*, inquiunt Pontifices, *aut ei temerario ausu contraire: alioquin indignationem Dei omnipotentis, & B. Petri & Pauli se nouerit incursurum*. quis ergo infra Papam neget se ea voce *nulli hominum* comprehendi? aut diuinas has minas non vereatur?

4. Facultatis defectui Ordinariorum seu quorumcumque infra Papam.

Graue negotium est statum alicuius ecclesiæ mutare, ac iure vetitum. *c. 2. X. de suppl. negl. prælat. in verb. nolentes vt status ecclesiæ debitus, & antiquus per insolentiam alicuius subuertatur*. & Regula 12. Cancellariæ exstinctiones omnes, & suppressiones vetat, & irritat; quæ non fiunt vi Concilij Trid. at illud monasteriorum exstinctiones ne quidem admittit pro grauissimis causis. *f. 24. c. 13.* sed imprimis vetita est suppressio monasterij, si illius institutio, aut confirmatio à Sede Apostolica emanauit. aduersus quam quisquis alius quidpiam decernere prohibetur. *c. 1. & 2. & tot. tit. X. de confirm. vtil. vel inutil.* vnde Innocentius III. *in c. 1. X. ne sed. vac.* statum ecclesiæ Glastonensis mutari noluit, *quamuis Rex*, inquit, *quoque cum Regni magnatibus, & quidam Episcopi, cum multis Abbatibus poscerent illud. & j. cùm ecclesia B. de præsule fuerit ordinata, ius vestrum apud Sedem*, inquit, *Apostolicã prosequendi facultatem liberam habeatis*. quod si instituta à Papa à nemine subuerti debeant, si credimus, quod ait Breuiarium Romanum in Officio S. Birgittæ, Ordinem illum à Christo Saluatore esse institutum; quis cum ratione illum putet licere sibi destruere?

Permiserat quidem aliquando Martinus V. separari huius Ordinis monasteria; sed tam ipsemet, quàm subsecuti aliqui Pontifices id reuocarunt. Eugenius 15. kal. Octob. 1434. & id refert D. Antoninus *2. part. histor. tit. 16. c. 1. §. 3.* & hîc post Martinum Paulus II. sub vtroque sexu erexit monasterium. sed Martinus quidem construenda in futurum mandat esse simplicia: in constructis, si plura sunt in vna diœcesi, vt Ordinarius alterum viris, alterum mulieribus, distributis etiam bonis communibus, assignaret: si vnicum; *cogat*, inquit, *fratres aliud monasterium simplex construere*: vtique non ex nihilo; sed ex bonis sui ante monasterij: *vel sic constructum acceptare*; eoque migrare. consonat c. in nullo *18. q. 2.* non verò vult Martinus fratres eijci, & communibus bonis priuari, vel vt mendicabula expelli. *& d. c. 37. De Sanctiss.*

5. Martin. V. permissio qualis?

ctiss. episc. in Auth. iubet vt in dissolutione duplicium monasteriorum omnia antè communia viri & fœminæ diuidant.

Sed neque Bulla Martini V. ipsis Ordinarijs permittit diuidere duplicia monasteria; sed ipsis regularibus. *vniuersis*, inquit, *fratribus d. Ordinis præsentibus & futuris* &c. *concessimus facultatem.* neque aliam ipsis imponit necessitatem, quàm, ne in duplicibus, fratrum deinceps professiones admittantur.

6. Ad loca vbi scandalum pariat non extensa.

Et valde notandum est, quod Martinus V. ob scandalum ex separatione natum, reuocet permissionem; seu potiùs dicat suæ intentionis non fuisse tota illa regna Daniæ, Sueciæ, Noruegiæ in sua reuocatoria cõprehendere: quidni idem sentiret, si illud alibi emergeret? sed satis sit permissionem separationis, vt diximus, reuocatam esse.

7. Permissiones aliæ de futuris.

Clemens etiam VIII. diuisa in Belgio monasteria deinceps erigi permisit. 20. Decemb. 1603. & Greg. XV. anno 1622. regulam approbauit, & erigi monasteria simplicia permisit sub altero sexu. Priorem & fratres ordinariæ iurisdictioni quidem subiecit, donec aliud à Sede Apostolica ordinetur: sed omnia hæc agunt de futuris: nullatenus regias fundationes antiquas conuellunt.

8. Nec quid alibi fiat, aut in pactũ ducatur, hic attendendum.

Multòminùs obstat, si quid alibi fiat: *l. 12. de off. præs.* si quid alij circa subiectionem sunt stipulati. vt pacta quidem seruentur. *c. 1. X. de pact. c. 1. & 3. de pact. in 6.* sed inter pacisentes, non vt in antiquis quomodocumque mutetur quippiam, citra authoritatem Sedis Apostolicæ. *Clem. quia contingit. de relig. dom. c. institutionis. c. priuilegia. 25. q. 2.* maximè in exemtis, vbi ipsius S. Sedis interest, ne quid aduersus Institutionem, exemtionemue fiat. *c. tempore. X. de arbit. c. olim. 2. X. de priuil. in V. priuilegia exprimebant ius nostrum, & ecclesiæ Rom. iustitiam tuebantur, ne in nos monasterij læsio redundaret. c. cum venientes. X. de in integ. restit. verb. ius non tam suum, quàm nostrum.*

§. 5.

De Incommodis dissolutionis non ritè factæ.

QVamuis monasterium simplex esse iuberetur authoritate per canones admissa; non ideo confessariorum Ordinis pastoralis authoritas exscindi posset; nisi etiam ab eo, qui authoritatem habeat exemtos ligandi, atque soluendi. *Persuasum*, inquit Concil. *Trid. s. 14. c. 6. de cas. res. semper in ecclesia Dei fuit; & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem.* & antè declarauit Concilium Lateranense *in c. omnis vtriusque. X. de pœnit. & remiss.* atqui Episcopus non potest habere ordinariam in exemtas: implicaret enim id contradictionem. vnde inter cætera quæ aliquando ab Ordinarijs inferuntur grauamina regularibus, refertur *in c. nimis iniqua. X. de excess. prælat.* quod illorum velint audire confessiones, & iniungere pœnitentias. delegata etiam non tribuitur à Concilio Trid. aut alio ecclesiæ decreto: non igitur potest in alios transferre, aut deputare alios ad confessiones audiendas. Regula quidem *c. 14.* confessorem generalem ab Abbatissa, & vtroque conuentu eligi vult; & sic electum ab Episcopo accipere potestatem; ab illo autem statui alios ex fratribus confessarios, non adiecta mentione Episcopi. vt nec Tridentinum exigit, quoad confessiones regularium: *s. 23. c. 15.* sed demum constitutio Gregorij XV. *incip. infrascripta.* quoad monialium confessiones

nes exigit examen, & probationem Episcopi. quod tamen nondum hic satis receperunt Mendicantes, alijque exemti. & d. c. 14. Regulæ concessa facultas non est absoluta; sed restricta ad sic electum, & sic præsentatum adeoque, *vt diximus supra*, si quis non præsentatus instituatur, extra fines mandati & regulæ sit, commissamque ibi iurisdictionem, respiciatque rationem. *l. fin. D. de iurisd. om. iud.* Omitto priuilegia omnium ferè Ordinum, quæ refert Mirand. *in Manual. prælat. t. 2. q. 33. art.* 1. quale & huic Ordini concessum asseritur. sed & illis competere potest, qui ius habent communicationis priuilegiorum, idque ritè acceptauerunt, vt nullus Regulatis alicui sacerdoti non sui Ordinis, qualitercumque priuilegiato, confiteri possit. Quod autem Regula S. Saluatoris *c.* 14. ait: Confessori generali ab Ordinario concedi authoritatem ligandi, & soluendi; interpretantur quidam pro permissione, vt verbum illud accipit glossa *in c. concedimus. de consec. d.* 1. seu potius exercitij clauium, vt est in Mendicantibus *clement. duudum. de sepult.* sed Regula dicit, *authoritate*; clementina autem, *licentia*: alij aiunt initio eam diœcesano competijsse authoritatem ante exemtionem; nunc eâ concessâ sublatam: ob repugnantiam. *l. vbi repugnantia. de regul. iur.* sed pleniùs dicatur non competere diœcesano, nisi cum restrictione ad præsentandos; vt d. c. 14. præsentationem restrictam ad Congregationem *eod. c.* 14. *vt diximus*: extra exceptiones, Ordinem esse exemtum; cum decreto irritanti omnia, quæ contrà fuerint acta. aduersus quod nec ignorantia quidem à nullitate solet excusare. *c. si eo tempore de elect. in* 6. *c. quidam de præb. in* 6. Sed & difficile est consuetudine aut præscriptione hæc introduci. quia claues ecclesiæ difficilè præscribuntur. vnde. *c. si Episc. de pœnit. & remiss. nulla*, inquit, *potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit soluere, vel ligare.* quod idem dicendum est in alijs casibus ad potestatem clauium spectantibus: quatenus ratio dispar non assignetur. nisi quod in probabili controuersia ecclesiam supplere authoritatem dicatur: aut nisi in radice præscriptę iurisdictionis fundetur. quæ facti est: & probatione eget.

Si ergo, vt diximus, caput & superior est confessor generalis; sequitur acephalum, & anarchicum esse in spiritualibus monasterium à quo ille diuellitur: idque si exemtum est ab Ordinario, eius superioritatem internam vel externam in alium transferri non posse ab Ordinario. præsertim contra formam Regulę, extra regulares, contra priuilegia in sæculares: minimè in Abbatissam: vtpote spiritualis regiminis incapacem; secundùm ea, quæ tradit Silvest. *in sum. v. Abbatissa. v. femina. L. Mirand. de monial. q. 6. ar. 5. Sanches oper. moral. l. 6. cap.* 1.

Extra controuersiam incapax femina est regiminis spiritualis à clauium potestate dependentis. adeò vt nec D. Virgo fuerit excepta. *c. noua. X. de pœnit & remiss.* igitur submoto confessore generali manent anarchicæ moniales; tam suppositâ exemtione; quàm simpliciter secundùm Regulam. quæ eis pro capite assignat confessorem generalem; eis dandum secundùm regulam. *vt diximus.* non debet autem non monachus eligi in superiorem monachorum: *c. cum ad nostram. de elect. c. nullus. eod. in* 6. non instructus in regula: *c. officij. X. eod.* non professus, & qui non fuit discipulus assumi in magistrum: *c. vt magistrum. X. eod.* nec monachus quidem alterius monasterij, cùm domi sunt idonei: *c. quam sit.* 18. *q.* 2. consonat Regula S. Saluatoris *c.* 14. minùs alterius Ordinis. *clem.* 1. *eod.*

3. Qualis illa?

4. Quæ circa hæc priuilegia?

5. Regulæ sensus.

6. Decretum, quo irritans priuilegiis adiectum.

7. Possessio, aut præscriptio an in his attendenda?

8. Amoto confessore vt hic introducta tur anarchia.

9. Abbatissa an esse in spiritualibus superior possit

10. An in monasterio non monachus?

1. *eod.* minimè alij. *Trid. ſ.* 14. *c.* 10. *c. relatum. X. de cler. vel monach. c. inter. X. de rel. dom. c. quæ ſemel.* 10. *q.* 3. *c. poſſeſſiones. X. de reb. eccl. non alien. c. peruenit.* 18. *q.* 2. & quamuis hæc loca ferè dici poſſint agere de beneficijs, & dignitatibus; tamen antiqui etiam canones agunt de præfectis per modum officij. imò quidam antiquiores ſunt, quàm beneficia, vt ea hodie in proprietatem poſſidentur. & ferè eo ſpectant, quod monachi eiuſdem inſtituti magis ipſi inſtructi in eo ſint, vt rectiùs ſecundùm illud moniales dirigere poſſint. quod ſi ergo confeſſorem à monaſterijs Ordinis S. Saluatoris amoueas; Abbatiſſa poteſtatis non tantùm clauium incapax ſit; ſed cuiuſcumque regiminis ſpiritualis; ſi credimus Marchantio *in Baculo paſtoral. d. 6.* quod ſi extra c. 26. regulæ Ordo exemtus eſt, *vt alibi probauimus*, cui bono inducitur hoc in loco anarchia, vbi illa non poſſit præceptum aliquod ſpirituale imponere? *vt idem aſſerit. q. 4. conc.* 1. nihil præcipere per ſanctam obedientiam: *vt conc.* 2. nihil ſub peccato mortali: *vt q.* 5. *conc.* 2. quod eius præcepta non verſentur circa virtutes & profectum ſpiritualem, *vt ibidem*: quod ex vi officij non habeat poteſtatem diſpenſandi in regulæ præceptis, ieiunijs, legibus eccleſiaſticis: ſed tantùm vt miniſtra præcepti Prælati: *vt quæſt. 6. conc.* 1. ſi hic tollatur qui ſolus eſt prælatus, cuius illa miniſterium geret? quod ſi in hac domo datum eſt regimen Confeſſori generali in ſpiritualibus; Abbatiſſæ dumtaxat in temporalibus, illo ſublato, quis in loco exemto has facultates regendi in ſpiritualibus, dirigendi, diſpenſandi, in domo religioſa bene conſtituta neceſſarias, ſubibit? an non reducit illa anarchia ad incommoda, de quibus dicitur; *paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis?* In authentica *de ſanct. Epiſ. coll. 9. c. 37. ſeu §. in omnibus ſ. fœminis.* expreſsè ſtatuitur, vt diſſolutis huiuſmodi duplicibus monaſterijs, ab Epiſcopo eis confeſſarius detur, quem ipſæ elegerint. vt & ſi non fuerit ſacerdos, eum Epiſcopus ordinet; *ad faciendum*, inquit, *eis reſponſum, & ſacram eis communionem portandam.* ſed agit de ſubditis, cùm tunc nondum vſurparentur exemtiones.

11. Incommoda amoti Confeſſoris, ſi abbatiſſa ſit incapax ſpiritualium.

RESPONSVM IX.

De tranſitu ad aliud monaſterium, ſeu Ordinem.

PRidem ſtatutum eſt nè tranſire liceat, vel recipi ſine Superioris licentia, ſeu leuitatis inſtructu, ſeu diſtrictioris religionis obtentu. *c. Statuimus.* 19. *quæſt. 3. c. mandamus. ibid. c. non eſt de regular.* in eandemque ſententiam data olim ſunt diuerſa priuilegia: ſed tamen illa ita interpretatus eſt Innocentius III. vt ſi verè zelo perfectionis quis deſideraret ad alium locum tranſire; petita, quamuis non obtenta, licentia Superioris, id ſi. ceret. *c. licet quibuſdam. X. d. regular.* ſed iterum Martinus IV. *in c. etiam ambitioſe. de regular. in extrauag. com.* generatim vetuit, ne quis quocumque prætextu, aut licentia de Ordine Mendicantiũ tranſiret ad non Mendicantem; ſolo Carthuſienſi Ordine excepto. *Clem. ne profeſſores. de regul.*

Rurſus ſuperuenit Concilium Trid. tranſlationes & licentias iterum reſtringens. *ſ. 14. c. 11. ſ. 25. de regular. c.* 19. & *c.* 4. Conſtitutiones Pij IV. & Pij V. *de quibus Azor. Inſt. mor. p. 1. lib. 12. c.* 14. & multis Ordinibus conceſſa ſunt priuilegia tranſlationum prohibitiua: quamuis ad perfectiorem Ordinem. de quibus rectè dicit L. Miranda *in Man. prælat. q.* 31. *ar.* 6. *conc.* 3. *in fin.* quod oporteat inſpicere ipſa priuilegia; & maturè deſuper deliberare. quod generatim decernitur

tur *in c. porro. X. de priuileg. c. recepimus. eod.*

3. In dubio Superioris iudicium expectandum est.

Cæterùm Innocentius *in d. c. licet. si probabiliter*, inquit, *dubitetur. vtrùm quis velit ad Ordinem arctiorem, aut laxiorem ex charitate, an ex temeritate transire; superioris est iudicium requirendum: ne fortè angelus satanæ in lucis angelum se transformet.* vt rectè examinat Haftenus num commendandus sit de vna religione ad aliam transitus. *d. quæst. 4. t. 2. d 6.* Peccatum ergo est aduersus hanc constitutionem. quippe meritò tam Superior regularis, quàm loci Ordinarius dubitare potuit de spiritu, quo isti religiosi, Ordinario etiam plenè subiecti, ducerentur: inspicere etiam priuilegia, an capiant interpretationem d. c. licet, an illi derogent: quin & examinare an arctior an laxior sit Ordo, ad quem transiretur (nam quæ, quibusque ex causis arctior, altior, perfectiòrue dici debeat, magna est vbique controuersia; tum inter Theologos, tum Canonistas. *vt rectè idem Miranda vbi sup. ar. 3.*) denique an sine iniuria prioris monasterij seu Ordinis transitus fieret. *d. c. licet.*

Cùm ergo horum omnium examen Innocentius remittat ad iudicium Superioris: quem siue regularem hic dicamus, siue Ordinarium loci; cùm hic rogatus super licentia transeundi religiosus præscripserit locum & diem, quo illorum causas, & Prioris contrarias audiret; & quod dictaret ratio, statueret; id d. religiosos contemnere, & se præscripto loco & tempore non sistere, sed de facto transire, non licuit. nec magis ipsis fratribus R. licuit sic transeuntes recipere: *d. c. statuimus.* sine periculo censurarum, per priuilegia illis denuntiata comminatarum.

4. Quo neglecto trãsiens remittendus est, donec cognoscatur.

Perperam ergo translatos viâ malè ceptâ pergere non oportet; sed reuerti ad subeundum examen sui Superioris. *d. c. mandamus in verb. præcipimus vt redeat. c. non est. c. Ioannes. X. de regul. Azor. d. c. 14. q. 5. & 6. vbi plures citat.* quamuis *in c. sanè. X. de regul.* fugiens seu transiens relinquitur vbi religio maior est. sed agit de canonico iam ab Abbate recepto; neque mentionem facit priuilegiorum. & de canonico quidem: cùm antè canonico non liceret transire ad monachos. *c. nullus. cũ seqq. 19. q. 3.* cùm hi tantùm essent laici. sed cùm & Abbates esse presbyteri, *c. 1. X. de ætat. præfic.* & monachi muneribus ecclesiasticis applicari ceperunt, permitti transitus cepit; si maior apud monachos, quàm canonicos esset religio. denique ad causæ decisionem, non ordinationem litis pertinet d. c. sanè. Alioquin Miranda *d. conc. 3.* refert receptiones & professiones aduersus priuilegia factas, declaratas fuisse irritas, in alijs Ordinibus, quorum communicationem hic etiam Ordo habere dicitur.

Quinimò habet hic Ordo singulare priuilegium à Martino V. vt illum professi ad nullum alium Ordinem, ne quidem Carthusianum, transire possint, quasi & hunc pro laxiori habuerit. & cùm hodie Concilium *Trid. s. 25. de regular. c. 19.* decreuerit, vt nemo regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem; dicendum est *ex d. c. non licet.* nullatenus d. religiosos transire potuisse, ad Ordinem R. Mendicantem, cùm ad. extrauagante *viam ambitiosæ* Mendicantibus permittatur transire ad d. Ordinem Carthusianum. vt adeoque constet d. Ordinem R. habendum esse pro laxiori, ad illumque ex hoc transitum à Concilio Trid. esse prohibitum.

Sed quomodocumque negotium principale dirimendum sit: id tamen admitti non potest, vt quis ex priuato seusu, neglecto iudicio Superioris causam examinare volentis, transire possit. ita enim

enim statuit Innocentius *in d. c. licet. §. si vero probabiliter. cuius verba mox retulimus.* qui nec alijs eã concedit, quàm qui cum humilitate illam, & puritate postulant. *subditus* inquit, *à Prælato cum humilitate & puritate debet transeundi licentiam postulare.* neque aliter supplet licentiam Prælati, quàm his verbis; *non obstante proteruia indiscreti contradictionæ Prælati.* atqui credi non potest ausuros dicere illos religiosos, sui Superioris regularis, & Episcopi loci Ordinarij fuisse indiscreti Prælati proteruam contradictionem. transiuerunt ergo sine vlla, à iure concessa, licentia.

Igitur restituendi sunt, & remittendi ad iudicium sui Superioris: vt ille omnia examinet. *vt supra diximus.* & quemadmodum pater naturalis, ratione patriæ potestatis, petere potest filios sibi exhiberi; & potestatem fieri domum ducendi: *l. 1. in princ. l. 3. D. de liberis exhibendis, item ducendis.* ita dicendum est de religiosis respectu patris spiritualis, quem Dei vice supra caput sibi imposuerunt. vt loquitur & considerat d. c. statuimus. & sanè huiusmodi spolium est ante omnia redintegrandum. *c. 1. & tot. tit. X. de restitut. spol.* neque illi præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. vt est transitus sine forma d. c. licet attentatus.

RESPONSVM IX.

De fratribus Cellitis.

1. In Belgio multi sunt. FRatres Cellitæ, qui in Belgio multi sunt, ab aliquibus creduntur designari *in c. sancta de religios. dom. in extrauag. Ioan. XXII.* sub nomine fratricellorum: & alij credunt fuisse tertij Ordinis S. Francisci; aut illum nominis prætextum assumpsisse. & de talibus quærit Tuscus, *& citati ab eo V. fratres tertij Ordinis, an sint ecclesiastici, & subsint Episcopo? conc. 470. & V. Beginæ. conc. 32.* sed vt in Beginis accidit *per c. ratio. eod. in extrauag. com.* vt culpabilium damnatio non traheret secum insontes: ita & hîc in fratribus cellitis, vt eadem fratricellorum damnatione declarati sint non comprehendi rectè & sine errore viuentes. imo à Iulio II. alijsque antè Pontificibus Romanis permissi sint acceptare regulam S. Augustini (cùm *in c. vn. §. ad hæc. eod. in 6.* prohibitum esset, ne qui de Ordinibus non approbatis collegialiter transirent ad approbatos; sed dumtaxat singulariter, sine domibus suis, aut bonis) concessis eis diuersis priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus; & nominatim facultate eligendi aliquem confessarium, sacerdotem regularem, seu sæcularem, qui facultatem habeat etiam à reseruatis per bullam cœnæ, certis exceptis casibus, absoluendi. data superiori illorum potestate regendi, corrigendi, incarcerandi. &c. eodem modo hactenus in simplicitate subditi suis superioribus obediuerunt, nunc orta quadam difficultate, quidam aliquibus subditorum consulti negant superiores huiusmodi, vtpote laicos, spirituale regimen aliquod, aut iurisdictionem habere, in virtute S. obedientiæ præcipere posse.

Sed satius indocti isti homines subtilitatum huiusmodi, quæ nec vernaculè quidem rectè possunt efferre, non capaces, instruerentur in simplicitate obedire præpositis suis. vt regulæ etiam D. Benedicti & Antonij, qui laici fuerunt, aliæque communiter loquuntur, & in iure ordinariè accipitur, cùm Abbati, quin etiam Abbatissæ, subditi iubentur obedire. ex Regula Bened. docet Hactenus quid religiosus suo debeat superiori, *disquis. monast. p. 1. disq. 2.* quæ & erga superiores laicos olim obtinuit.

Spiri-

8. Non vt clauium.

Spirituale quidem regimen, aut iurisdictio, quatenus est clauium ecclesiæ, procul dubio competere non potest viro laico, aut fœminæ; quæ omnino illarum est incapax, quamuis ipsa Virgo. *c. noua X. de pœnit. & remiss.* vbi ad claues referri videtur benedicere, confessiones criminum audire, legere, & prædicare publicè Euangelium. quibus Siluester *in sum. v. abbatissa. n.* 8. addit quemcumque actum sacramentalem exercere. vide etiã quæ de monachis olim laicis dicuntur *causa 16. q. 1. tot.*

9. Sed ad sensum Regularum & iuris.

Cæterùm spirituale regimen & iurisdictio sine stricto rigore accepta, & quatenus ad potestatem clauium non restringitur, competere potest viris laicis, atque etiam fœminis, præfectis monialium. sicut Anthonius, Benedictus, alijque monachorum veterum Superiores illam habuerunt: & Benedicti regulam docet esse spiritualem, Haftenius *Disq. mon. l. 2. t. 3. d. 6.* præcepta spiritualia, legemque. quamuis tamen nulla illis erat iurisdictio in rigore vocis, quo accipitur in *tit. D. de iurisdict. om. Iud.* & totis Romani iuris voluminibus. quo Cuiacius etiam & alij Legistæ negant competere Episcopis & judicibus ecclesiasticis: minùs autem eo sensu, quo iurisdictio spiritualis restringitur ad claues ecclesiæ, Ordinis, aut iurisdictionis inde fluentis.

10. Qualis & quanta in veteribus abbatibus.

Attamen quomodocumque vocanda sit illa authoritas quæ competebat huiusmodi Abbatibus veterum monachorum, eo sensu spiritualis erat; ipsumque illorum regimen; quo distinguitur aduersus carnem, & mundum; quo in religione promittitur conuersio morum: quo regula præscribit viam ad virtutes. vt in regula D. Bened. *c. 4.* instrumenta bonorum operum, vbi *ad fin.* D. Benedictus: *hæc*, inquit, *sunt instrumenta artis spiritualis. de quibus latè Haftenius vbi sup. l. 6. t. 1. d. 1. 2. 3.* D. Paul. 1. *Cor.* 9. dicit se spiritualia seminasse & *c. 14.* monet: *æmulamini spiritualia:* & *c. 2.* animalis homo distinguitur aduersus spiritualem.

11. Quo sensu & in cœ- minis est.

Eoque sensu Abbates illi laici, & fœminæ, veri erant prælati. quo & præpositi Isidoro dicuntur. *c. quamuis de verb. significat. c. 1. X. de maiorit.* vera illis competit superioritas, & à subditis debetur obedientia. *c. dilecta. X. de maioritat. & obedien. c. 1. 10. & tot. tit. X. eod. c. dilecta. X de excess. prælat.* vbi, ex titulo argumentando, abbatissa & prælata est, & in textu capituli etiam clericorum dicitur caput, & patrona: & *in c. dilecti X. de arbit.* excellens fœmina ex consuetudine admittitur iurisdictionis esse capax. vt & apud Azor. *Inst mor. p. 1. l. 13. c. 16. q. 5.* etiam spiritualis iurisdictionis. quomodo D. Benedictus in *c. 2. de abbate. & c. 4. de obedientia* loquitur: monet nomen *maioris* factis implere, Christi dicit vices gerere, explicat illud Apostoli *accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba pater.* prosequiturque de doctrina per Abbatem impendenda: & *ad finem: sciat*, inquit, *qui suscepit animas regendas; præparet se ad rationes reddendas.* iterum *c. 27. nouerit se infirmarum suscepisse curam animarum.* ecce regimen animarum; etsi non cum spirituali clauium potestate; quod vt laicis, ita & fœminis competit in suos. & *c. 4.* obedientibus Abbatibus applicat illud, *qui vos audit, me audit.* quare vt in manu abbatum, ita & abbatissarum sollemnis fit professio. *c. consuluit. X. qui clerici vel vouentes.* & sicut abbatissa suas velare prohibetur *c. Statuimus. 20. q. 2.* ita & abbas laicus cætera sacra peragere.

12. Obedientiæ vstiuæ rationem non mutauit, quæ superuenit Ordinis & clauium potestas.

Quod si postmodum in Concilio Pictauensi *c. 1, X. de ætat. qualitat. & Ord. præficiendor. & alibi* decretum fuerit vt Abbates, Decani, & præpositi presbyteri fierent, eisque in suos tantum data potestas clauium; non tantùm quanta

parochis in suos ad ligandas & soluendas animas; (adeoque in monachos competebat parochis locorum, si alium sibi assignatum non haberent; vt fere solebant, cui in eos dabatur quasi cura pastoralis, & parocho iurisdictio spiritualis: *c. qui vere. c. agapitus. 16. q. 1.* & in regula S. Augustini presbytero monialium maior authoritas tribuitur, quàm Præpositæ: vt ad illum referatur, quod huius vires excedit: sed notabiliter inquit, *apud vos*, quasi non passim): sed & ferè quanta Episcopis per diœcesim, per diuersos successiuè canones, vt multi quasi Episcopalem in suos iurisdictionem habeant. tamen id non mutauit rationem naturámue votorum, instituti, aut Ordinis: adeoque quo vsque se extendebat abbatum veterum potestas præcipiendi, & in monachis obligatio obediendi; quæque ex regulis Anthonij, Benedicti, Abbatibus competunt, aut subditi eis deferre tenentur; quæ de illis veteres patres scribunt, aut antiquæ ecclesiæ canones præscribunt, mutata non sunt. sed quæcumque est obedientia ex regula debita; vna hodie, eademque est, quæ olim: idem inobedientiæ peccatum, quoad votum: cuius obligato ex regula, eique innixa immutabiliter voto, nullam recipit mutationem ex augmento iurisdictionis Abbatis, aliunde quàm ex voto adscitæ: scilicet ex attributa ei spirituali iurisdictione clauium. cui ideo non ex voto, sed lege ecclesiæ subijciuntur. adeoque in quantum ei tributa est parochi potestas, in tantùm ad eundem modum debent ei obedire vt parocho: in quantum ex Episcopali est ei authoritate tributum, quantum debebant concedenti quoad concessa: sed rursum ex lege, non ex voto. sicut Episcopis non permittitur regularibus quidpiam præcipere supra regulam, nisi secundùm canones. vt omnis obedientia à religioso debita est secundùm regulam, non supra. *Vide quæ diximus in consult. canon. de maioritate & obedientia, consult.* 1. regulæ autem obligatio ex sua institutione cognoscenda est; vt spectanda rerum primordia. *l. denique. §. siquis D. de minor.* adeoque aduentitijs mutationibus ipsa non alteratur. velim autem scire, an quod v. g. D. Benedictus laicus (vt latè docet Haftenius *in Regul. S. Benedict. proleg.* 18. vt generatim monachi, quod nomen & abbates comprehendit, olim nõ fiebant clerici *caus.* 18. *q.* 1. *c.* 28.) ex regula sua, & suscipientium illam voto, non potuisset exigere, nunc illi auctiores aliunde prælati exigere possint ex voto? an, quod ille non potuit exigere, imperfectam reddiderit abbatum authoritatem, & monachorum obligationem? veteribus illis quidem defuisse aliquid ad omnimodam authoritatem nemo negarit. hinc enim D. Benedictus in reg. c. 64. requirit in ijs, qui domesticis monitis & correctionibus emendari non potuerint, Episcopi accessum. quod si hoc imperfectionis est; non voti est; sed iurisdictionis. cui si nihil imperfectionis sit relinquendum, & omnis Episcopalis, & papalis supremitatis plenitudo aduocanda est. sed hæc non sunt regulæ aut voti; sed hierarchiæ. cui quæ subordinatio obediẽtiaque debetur; legitima est; non votiua. atque ita distinguere oportet vtrãque in hodiernis Abbatibus: multoque magis in Episcopis, vbi se pro immediatis prælatis habent, quoad eos Ordines, qui quamuis non sint exempti; tamen ex præscripto regulæ id non obtinent.

Itaque non est hic anxiè disputandum an huiusmodi superiores laici fratrum cellitarum veri sint prælati? non quoad dignitatem, quæ in opinione hominum maximè consistit; sed authoritatem & iurisdictionem, qualem habuit Anthonius, Benedictus, & similes laici

An huiusmodi superiores sint prælati?

laici olim Abbates. in quibus procul dubio non fuit potestas spiritualis aliqua clauium, quarum laici sunt incapaces, & tamen fuit omnino illa, quæ ex regula fuit requisita, & ad regendum necessaria; ad leges suis ferendas, ius suis dicendum, rigorem relaxandum, pro temporum personarumque oportunitate, seu dispensandum, præcipiendum, vetandum, corrigendum, puniendumque quantum causa, & natura status religiosi exigit. adeoque & in virtute obedientiæ præcipiendum, ad conuersionem morum, & spirituales virtutes dirigendum, atque profectum omnem spiritualem religiosorum suorum procurandum: & consequenter religiosos in vim votiuæ obedientiæ monitos ab his abstinere, vel illa facere iussos teneri quod superioribus vouerunt reddere: tantamque fuisse obligationem vouentiū olim D. Benedicto, quanta nunc est vouentium Abbatibus illius successoribus; quamuis hi & mitras nunc, & peda habeant, iurisdictionem spiritualem, baculum pastoralem, & fere Episcopalem.

Hæc enim omnia Regulæ & regularibus præfectis aduentitia sunt, nec regulæ effectus, obligationesue votorum mutauerunt: sed consideranda sunt tanquam duæ naturâ diuersæ potestates, in eadem persona, diuersis ex fontibus confluentes. sicut discreta, sacra & ciuilis potestas; *c. duo sunt. dist.* 96. tamen diu apud Iudæos sacerdotes summi sacrum & profanum imperium in populum habuerunt. Melchisedech Rex Salem fuit, & Dei sacerdos; & Anius apud Virgilium *Rex idem hominum, Phæbique sacerdos.* sic & Romanus Pontifex hodie & caput ecclesiæ est; & Romæ pluribusque Italiæ locis temporalem etiam gladium obtinet: sed aliter atque aliter. & propterea obedientia Pontifici Romano, vt Christi Vicario, debita non se extendit ad alterum gladium, dum alio iure obtinetur; aut exercetur. & vice versa obedientia à Romanæ vrbis, patrimonijque ciue, incola, aduena, quouis pagano etiã & Iudæo debita latè distinguitur ab illa, quæ ab aliquo membro ecclesiæ debetur illius capiti, vt tali.

15. Satius consulere istiusmodi religiosis simplicem obedientiæ obuio planoque sensu acceptam.

Satius ergo remotis subtilibus intellectibus, & difficilibus disputationibus, fratres Cellitæ subditi homines indocti monerentur, eo sensu debere obedire suis superioribus, quo regula disponit: plano scilicet, & simplici: & vt centurio ille dicebat *Luc. 7. & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic vade, & vadit; & alij veni & venit: & seruo meo fac hoc, & facit.* & Petrus *ep. 1. c. 1. quasi filij obedientiæ.* & Ecclesiasticus *c. 3. filij sapientiæ ecclesia iustorum. & natio illorum obedientia, & dilectio.* & Samuel *1. Reg. 15. melior est obedientia, quàm victima.* & Patriarcha Benedictus, quamuis, vt diximus, laicus, *in regula c. 5. mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciant in faciendo.* & Paulus *ad Ephes. 5. omnia facite sine murmurationibus.* & Dauid, *voluntariè sacrificabo tibi. psal. 53.*

Quibus expensis censeo bonis monitis dedocendam esse subtilem nimis murmurationem, cœtū hunc instruendum ad plenam obedientiam, quam parificari non rectè puto cum obligatione patris & filijfamilias. quia etsi iurisdictio propriè ex voto non tribuatur prælato, vt tali seu laico, & habere censeatur œconomicam tantùm; existimo tamen maiorem ex voto obediendi nasci obligationem secundùm regulam; quã ex decalogo filijs quoad parentes: & in virtute sanctæ obedientiæ præcipere posse huiusmodi prælatos laicos, & fœminas: iuxta Azor. *Inst. mor. p. 3. l. 13. c. 10. q. 7.* etsi alij dissentiant. Tamburin. *de iur. abbatiss. d. 12. q. 5.* neque vsus loquendi attendendus est, sed intentio regulæ, cùm de illius obligatione quæritur. quæ vtique tendit ad simplicẽ & plenam obedientiã; iuxta præscripta regulę S. Augustini:

quam, vt diximus, fratres Cellitæ hîc acceptarunt. &, si manserit peruicacia, certum est posse superiorem ad coactionem, & pœnas procedere, per priuilegia Apostolica permissas; & vbi monitionibus ampliùs locus non datur, concesso baculo vti, & *compellere intrare*.

Quatenus hæc eadem obtineant in præfectis monialiũ.

Igitur quę de superioribus laicis diximus, applicari possunt & fœminis. nã potestas ea quę Iurisdictionis est, nõ clauium, æqualis est Abbatissæ, vt Abbati. & ordinariã esse vult Panorm. *in c. continebatur. X. de his quæ fiunt à prælat. sine consensu Capit.* quippe quæ competat ratione dignitatis. neque tantùm in temporalium bonorum administratione, sed etiam in regimine spirituali. idque disertè cuincitur per c. dilecta & *c. vlt X. de stat. mona. h.* vbi, præmissis pluribus ad regimen spirituale spectantibus, de correctione superiorum, inferiorum, visitatorum, beneficijs &c, ad finem *hæc omnia*, inquit, *etiam in monasterijs monialium, quoad articulos Abbatissis & monialibus congruentes, præcipimus obseruari*. congruere autẽ potest potestas, non Ordinis, sed iurisdictionis. *d. c. dilecta*. ex eoque cap. Stephanus D'aluin *in tract. de potest. episc. c. 3. ex Panorm.* notat primò correctionem monialium principaliter spectare ad Abbatissam, vt monachorum ad Abbatem; secundò correctionem fieri non tantùm secundùm regulam, sed secundùm canones; tertiò dispositum in monachis & Abbatibus, extendi ad Abbatissas, & moniales. vt masculinum concipere dicitur fœmininum in fauorabilibus, non odiosis.

Porro prælaturam cum iurisdictione spirituali competere posse Abbatissis, imò & ius visitationis etiam extra monasterium, quod, vbi clausura seruatur, etiam alteri cõmittere possint, ait idem D'aluin. *d. c. 3. n. 10. ex Parisio de resig. benef. lib. 3. q. 12. n. 14.* idemque tradit Baunius *in sua Prax. can. lib. 1. c. 2. ex Barbos. lib. 1. iur. eccles. c. 45. n. 38. Eman. Rod. quæst. reg. q. 5. ar. 1.* & ex Barbos. rationem profert, quod moniales Abbatissæ obedientiã voueant, non tanquam matri; sed tanquam Prælatæ, cuius munus est approbatum à Sede Apostolica, iuxta regulam, quam profitentur, ad regimen spirituale, & temporale, gregis sibi commissi, in omnibus quæ non repugnant sexui fæmineo. eoque iure ait esse in possessione abbatissas dispensandi in ieiunijs regulæ, in esu carnium & ouorum, alijsque austeritatibus regulæ. atque eiusmodi prælaturam & præbendas monialium esse vera beneficia ecclesiastica luculenter probat idem *D'aluin. c. 4.*

RESPONSVM XI.

Monialibus sub conditione, si dispergantur, vt relinqui possit.

ALeydis ingressura monasterium testamento cauit, vt si contingeret, occupantibus vrbem hæreticis, moniales dispergi, nec conuentualiter habitare posse, certus reditus ei solueretur, aut certi fructus bonorum hæredibus alioquin relictorum ipsi cederent, quos in alimenta sua reciperet, de licentia superiorum ecclesiasticorum, ad id potestatem habentium.

Non peccat hæc forma contra votum paupertatis, aut rationem, & quicquid mali concipi potest, tollit conditio beneplaciti; seu licentiæ superiorum.

Rationi congruit; vt quamuis, quæ monacho dantur, legantur, aut ab ingressuris monasterium sibi danda ordinantur, in monasterij proprietatẽ transire intelligantur: tamen si contingat non totum monasterium posse sustentari; data sic legata, vel ordinata vetti ante omnia debeant in necessitates eius, cui data, legata, reseruata sunt. *Nauarr. & alij citati à Barbosa*

Subſtantiam voti paupertatis ea formula non oppugnat: neque quod monialis adminiſtret quoſdam reditus vitalitios, ſeu peculium, ex quo viuat. dummodò non animo habendæ proprietatis; ſed adminiſtrationis dumtaxat, à Superioribus permiſſæ, id fiat. quod ne quidem hodiè aduerſari Concilio Trid. tenet Nauarrus, *& alij omnino multi, quos citat Barboſ in Collect. DD. ad Conc. Trid. ſ. 25. de regular. c. 2. n. 2. & ſeqq. & n. 14.* Et quamuis regulariter dicamus id à mente Concilij recedere; tamen caſus tantæ neceſſitatis meritò dicetur non pati communem legem; ſed cauſam reducere ad naturalem æquitatem. Quinimò mens Concilij *d. loc. c. 2. ſub fin. in verb. nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur*, ſatis videtur facere, vt huiuſmodi conditionalem diſpoſitionem legitimam dicamus. cùm illâ conditione eueniente, iam ibi diſciplina regularis, & diſpenſatio cœnobitica ſeruari nequiret, eòq; neceſſàrium foret ſingulis diſperſis adminiſtrationẽ concedere. quem admodùm olim etiam, qui votum religionis emiſerant, permiſſi etiam fuerunt in parentum, ac alijs ædibus ſibi viuere, & peculium habere, ſine offenſa voti paupertatis. *c. de viduis & puellis. & ibi gloſſ. in v. proprijs. c. mulieres. & ibi gloſſ. in v. domibus. 27. q. 1. c. inſinuant. X. qui cleric. vel vouentes.*

2. Vt diſperſæ ſibi relicta adminiſtrent, cum antiquo & hodierno iure conuenit.

Sed neque contrariatur diſpoſitioni iſtiuſmodi conditionali fideicommiſſaria hîc ſubſtitutio. quippe quæ ſicut per ingreſſum religionis de iure ceſſat: *Nouell. 123. §. ſed & hoc præſenti.* ſic neque edicta patria, quæ immobilium tantùm acquiſitiones per manus mortuas, non huiuſmodi caſum reſpiciunt, aduerſantur. & quamuis videatur aliquibus dicta Nouella à praxi noſtra non eſſe recepta; tamen alimenta ad vitam, reditus, aut fructus non poſſunt videri in eandem cauſam cadere.

RESPONSVM XII.

De congregationibus regularium.

1. An ſolis exemtis competant?

COngregationes regularium in ſingulis regnis, prouincijue inſtitui, ac ſingulis triennijs Capitula generalia celebrari, pridem decretum eſt. *c. in ſingulis cum ſeqq. X. de ſtat. monach.* reſumpſit illud Concilium *Trid. de regular. ſ. 25. c. 8.* ſed intereſt; quod d. c. in ſingulis, cùm raræ adhuc eſſent exemtiones, maximè loquatur in non exemtis: atque eapropter eiuſmodi congregationes inſtitui iuſſit *ſaluo iure diœceſanorum pontificum.* tametſi non excludat exemtos. & *in c. ea quæ. ſeqq.* diſerta fit diſtinctio inter exemtos, & non exemtos. ita vt ſecundùm duas illas decretales vtroſque indiſtinctè in eandem congregationem conuenire oporteret: *ad quod*, inquit d. c. in ſingulis, *vniuerſi conueniant.* Concilium autem Trid. dumtaxat cogit congregationes inſtituere illa monaſteria, quæ non habent Capitula, & viſitatores generales; ſed immediatè ſubſunt Sedi Apoſtolicæ: neque tamen excludit non exemtos: quin potiùs includit; dum has congregationes mandat fieri iuxta formam d. c. in ſingulis: quæ potius innouatio eſt; adeoque non exemtorum etiam incluſio. & ſanè differentiæ ratio non eſt exigua vt hi cogantur, non illi; cùm tales exemti neminem; non exemti Epiſcopum habeant inſpectorem. eoque d. c. 8. non obſeruantes illud decretum, pro omni pœna ſubijcit Ordinarijs; prout c. 9. *ibid.* monaſteria talia monialium ſimpliciter ſubijcit. Igitur poſſunt congregationes exemtorum & non exemtorum fieri priori iure; quod Concilium non mutat. neque porro eo fine Pontifices exemtiones concedunt, vt diſſol-

uatur minuatúrue disciplina, & per illas ab alijs secernantur in his quæ communia sunt religioni. Sic Benedictus Papa an. 1337. Capitula huiusmodi esse voluit pro exemtis simul ac non exemtis. & Pius II. an. 1458. Bursfeldensem Congregationem olim reformatissimam, & quæ vtrosque complectebatur, laudauit, atque confirmauit.

2. Nō exemti non sunt incapaces congregationum, & in eis officiorum.

Instituta tamen hîc est congregatio talium exemtorum dumtaxat; quæ seu ex non recto d. c. 8. intellectu (vt & alibi accidit *Chopin. de sac. polit. l. 2. t. 7. n. 13. Monst. l. 2. t. 2. n. 7.*) seu aliâs, quosdam non exemtos in illam venire postulantes reiecit: quendam autem Prælatum de exemptione cum Ordinario litigantem admisit: adiecta tamen conditione, si exemtum se doceret. Is annis nunc viginti in ea fuit possessione, vt ad omnia Capitula fuerit receptus; & cùm sæpius eadem quæstio recolqueretur, tandem à Capitulo generali impositum est silentium promotori congregationis: denique ipse in præsidem, ac visitatorem est electus; non obstante quorundam protestatione contrariâ (quæ ius non tribuit, etsi conferuet, *c. fin. X. de appell.*) & appellatione (quæ aduersus constitutiones regulares non iuuat. *d. c. in singulis. c. quia nos. X. de appell. vbi gl. & DD*) Opponitur autem incapacitas ex defectu exemtionis: at verò nulla est incapacitas inducta à iure; vel Concilio Tridentino. non à iure, quia d. duæ decretales non admittunt tantùm; sed pro vsu illorum temporum loquuntur potissimùm de non exemtis: non à Concilio Trid; quia d. c. 8. nullatenus d. decretalibus derogat; sed potius innouat, vt mox dictum est, & causa differentiæ reddita: neque porro iuris derogatio intelligitur fieri, nisi disertè exprimatur. *l. sanci-mus. C. de testam.*

Quod verò spectat ad intentionem, & forte expressam conditionem institutæ d. congregationis vt in eam non nisi exemti recipiantur; isti iam derogatum est contrario Congregationis decreto; quo desuper impositum est promotori Congreg. silentium. potest autem à priori decreto discedi, si ad publicam vtilitatem spectat rescissio. *l. 7. D. de decret. ab Ordine faciend.* quin & ipsa electione in præsidem, & missione in visitationem videtur recessum à conditionibus antea appositis. vti decisum est in matrimonio carnali per illius consummationem recessum intelligi à conditionibus contractui appositis. denique qui aliquem non ignarus conditionis eius, assumit in Iudicem; intelligitur super requisita alioquin qualitate dispensare, seu à iure suo recedere. *l. 57. D. de re iud.*

Vt sanè nihil ei deinceps ex eo capite obijci possit, quinimo mota quamuis quæstione super capacitate, remanere debet in possessione quasi membri d. Congregationis: & nunc in præsidem, visitatoremque assumptus, officium exequi; ac recipi debet. quamuis postea proprietas iuris euinceretur, & membrum iure declararetur esse non potuisse. *arg. c. 19. X. de iur. patronat.*

Neque verò visitatis patrocinatur protestatio contraria, seu appellatio; vt diximus, quin & eam pro friuola in causa visitationis habendam expresè decreuit Concilium Trid. *s. 13. c. 1. in fin.* eoque & in causa Congregationis habendæ, cùm ea præordinetur ad visitationes, morum reformationem, & correctionem excessuum, *Conc. Trid. s. 24. c. 2. in prin.* in quibus appellatio cessat. *d. c. 1. c. 10. s. 24. quod cap. 1.* etsi vt & *c. 10. s. 24.* tantùm videatur loqui in Episcopis, eorumue vicarijs; vt in inferioribus non obtineat: *citati à Barb. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. l. 1. n. 8.* tamen generalius loquitur *s.*

22. *c.*

22. c. 1. vt merito obtinere debeat in habentibus iurisdictionē quasi Episcopalem. qualis tribuitur alijs Capitulis, Præsidibus, & visitatoribus generalibus Ordinum: cùm & hæc ipsa à d. c. 8. Congregationibus tribuatur. de quorum Capitulorum generalium aliorumque authoritate vide latè Mirand. *Man. Præl. t. 2. q. 67. art. 1. & multis seqq.* præter ius commune *in d. c. 10. c. reprehensib. X. de app. c. ad nostram eod. c. irrefragabili* X. *de off. Ord. diximus in Cons. can. de accus. cons.*.

5. Competit ei vt alijs iurisdictio quasi Episcopalis.

Sed & in d. c. singulis *& seqq.* non plena attribuitur præsidibus, & visitatoribus electis authoritas, vt in Concilio Tridentino *d. c. 8. §. ipsis autem congregationibus constitutis illarum generalia capituli, & ab illis electi præsides, vel visitatores eandem habeant authoritatem in suæ congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes, quam alij præsides, ac visitatores in cæteris habent ordinibus &c.* iure ergo magistratus sui habent iurisdictionem à Concilio attributam: eoque in numero Ordinariorum Iudicum sunt censendi. vt non videantur habere perplexam, intricatamque iurisdictionem; minusque facilè recusari possint, vt commissarij, seu extra ordinem delegati: dummodo à Capitulo generali sint ritè electi.

6. Tributa à Concilio Trid.

7. Eoque ordinaria, nec perplexa.

Enimuero non tantùm ad crimina & excessus corrigendos, sed maximè illæ Congregationes instituuntur, vt in illis *diligens*, inquit *d. c. in singulis, habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obseruantia regulari, & quod statutum fuerit, inuiolabiliter obseruetur: omni excusatione, contradictione, & appellatione remotis*: & d. c. *8. teneantur*, inquit, *suæ Congregationis monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & ea obseruare, quæ in sacris canonibus, & in hoc sacro Concilio sunt decreta. adeoque s. 22. c. 1. alijsque supra, ac infra citatis.*

8. Visitatori incumbit cura reformationis, regularis obseruantiæ &c.

Quare ad præsidem, visitatoremque spectat inspicere habitum, cucullam, tonsuram regularium. *etsi* enim, vt inquit Concilium Trid. *s. 14. c. 6. habitus non facit monachum; oportet tamen clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre; vt per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* & s. 23. c. 6. habitus & tonsuræ conuenientis delationem exigit: vt & omnem honestatem *s. 22. c. 1.* & denique omnem monasticæ vitæ disciplinam restitui cupit: *de regular. c. 21.* sed imprimis *c. 1. ibid.* religiosos ad primæuum institutum, & ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituere; & superiores in Capitulis, & visitationibus curare, vt ab eo non recedatur.

cucullæ, tonsuræ.

9. Eoque & habitus,

Ideoque rectè inquisitum est à Præside, Visitatoreue in cucullæ, habitus, & tonsuræ formam: & in titulo reformationis, mutationem: & an grata nouitas dumtaxat, & nomen reformationis; an magis res ipsa sit: aurumne an aurichalcum; an assumpta forma ad primæuum Regulæ institutum, præscriptumue pertineat? an salua fratrum charitate, an sine scandalo (nam & hoc in reformatione abesse cupit d. c. in singulis; & illa semper primas partes habet) mutatio fiat. nam & morborum leniorum curam suspendere medicos interdum oportet; si vrgeant graviores, aut morbo medicina grauior sit futura. adeoque Visitatori actionum suarum rationem dare debent tam Prælatus, quàm regulares. nam ad vtrosque Præsidis Visitatorisque cura extenditur. *d. c. in singulis. cum seq. d. c. 8. in v. in suæ congregationis monasteria, ac regulares in eis commorantes.*

10. An vera an obtexta reformatio sit.

11. An omittenda ob scandalum, aut fraternæ charitatis iactura?

Prohibere ergo non potest Prælatus suis religiosis ne coram Præside ritè electo compareant; sed & in ipsos contumaces præses potest animaduertere. *d. c. ea. X. de stat. mon. vers. ipsi autem Visitatores monachos, quos contumaces inuenerint, & rebelles,*

12. Prælato, an Visitatori obediendū sit?

iuxta modum culpæ vice nostra, regulari censura, percellant: absque personarum delectu: non parcentes rebellibus ob suam pertinaciam; vel potentiam amicorum: quin omem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat oues sanas. adeoque religiosi iubente præside, vetante prælato, maiori potestati debent obedire. *c. quæ contra. dist. 8. c. qui resistit. 11. q. 3.* nisi fortè rationabiliter controuersa fuerit illius iurisdictio. nam cùm huius certa sit authoritas, certum obedientiæ ex voto debitum; facit ea certitudo vt potiùs huic, quàm illi obedientia exhibeatur. qua tamen in controuersia, sepositis iuris apicibus, multum deferendum est possessioni: in qua si pridem fuerit superior potestas, illi præ inferiori obediendum est: donec aliud causâ cognitâ sit statutum.

13. Concordi deliberatione terminatum ab Ordinibus seruandum.

Quare, si quid emerserit quod non possit concordi deliberatione in ipso Capitulo expediri, iussit d. c. in singulis *§. si vero id ad iudicium Sedis Apostolicæ sine scandalo referri.* quæ interim dum consulitur, nihil est innouandum. concordi, inquit: sicut paulò antè dixerat, quod à quatuor præsidibus in inchoatione congregationis concorditer esset statutum, obseruaretur sine vlla contradictione. quod ipsum etiam in principijs Congregationum seruari voluit Concil. *Trid. d. c. 8.* dum formam d. c. in singulis iubet seruari in inchoandis congregationibus. sed & pergit vlteriùs Concilium *in §. ipsis autem congregationibus constitutis.* mandatque vt *illarum generalia Capitula eandem habeant authoritatem, quam aliorum Ordinum*: ideoque non iam concordi deinceps resolutione opus est; nec vnius, paucorumue contradictio remorari potest deliberationem, & executionem: sed quod maior pars statuerit, vires integras habet. secundùm constitutiones aliorum Ordinum. ita vt & quod in illis decisum fuerit, censeri amplius non debeat ad difficultatem spectare; ob quam recursu Romano opus sit.

14. Seu quod à maiori & saniori parte decretum.

Sic tamen vt capitula, præsides, visitatoresque maneant intra limites reformationis, & visitationis respectiuè. nam illos si excesserint; non eis suffragabitur priuilegium d. c. *in singulis.* excusationem, & appellationem reijciens, aliorumue similium canonum. Terminis reformationis autem & visitationis etiã temporaliũ administrationem complectuntur. *d. c. in singulis. tem- in fin. vd. c. ea seq. in princ. in v. tam in spiritualibus quàm temporalibus. & vers. si autem dilapidator. d. c. 8. de reg. Conc. Trid. c. 8. §. 21.* vt magno abusu à Curia Parisiensi, quò abusus ergò prouocatum erat, irritata sint decreta quoad monasticos prouentus rectè administrandos, à simili congregatione edita. *vt refert Chopin. d. c. 7.*

Sed & quæritur cùm vniuersi abbates, & priores abbatem non habentes, vocari debeant; *d. c. in singulis.* quid si vel Sedes quorundam vacent, vel hostilitate venire impediantur, vel contumaciâ absint, & qui comparent non conficiant duas tertias; an ij Capitulum celebrare, præsidem eligere, visitatorem committere, cætera congregationis munera exequi possint? remittenda est vtique quæstio ad constitutiones aliorum Ordinum, præsertim Cistercienſis *d. c. in singulis in princ.* super authoritate concessa Capitulis, Præsidibus, visitatoribus decernentibus. *d. §. ipsis vero congregationibus constitutis. de quo videndi DD. in d. l. 3. D. de decret. ab ord. faciend. & alibi passim.* sed & ipsæ constitutiones aliorum Ordinum inspiciendæ, ac canones in Capitulis prouincialibus, & generalibus desuper statuentes.

RE-

RESPONSVM XIII.

Professus egressus si vxorem duxerit, vbi ea de re instituenda cognitio?

PEtrus post emissam in Ordine M. exemto professionem intra quinquennium de nullitate questus, & Romam est profectus: quid peregerit non satis constat: inde rediens & in Angliam diuertens ibidem citra formam Concilij Trid. ibi non publicati vxorem duxit: in Belgium redijt, & in pago L. quasi domicilium fixit, aliquot mensibus habitauit: certiores facti Superiores Ordinis illum currui impositum abduxerunt ad conuentum A. & carceri inclusum illa prosequitur, quæ se dicit vxorem.

1. Coră Ordinario loci arresti de causa matrimoniali principali.

Rectè iure patrio per Ordinarium ei permissum est injicere arrestum, vt causa matrimonialis ab illo cognoscatur. quippe quæ in prima instantia ad solos Ordinarios pertinet. *ex regula cap. 20. in princip. & §. ad hæc. s. 24. Conc. Trid.* & consequenter causa legitimitatis suæ prolis, quæ etiam ad Ordinarium pertinet. *tot. tit. X. qui filij sint legit.*

2. Et incidenter de nullitate professionis.

Et quamuis idem Concilium *s. 25. de regular c. 19.* quæstiones nullitatum professionum disceptari velit coram regulari Superiore, & Ordinario: tamen loquitur illud quando causa nullitatis instituitur principaliter, & ab ipso professo; non verò, quando incidenter, & ab ea, quæ se dicit vxorem, matrimonialis quæstio principaliter instituitur, & incidenter tantùm potest excipi super nullitate professionis. incidentalis enim quæstionis legitimus Iudex est idem, qui principalis: etiam qui de illa principaliter instituta cognoscere non posset. *c. causam X. de in integ. restit. L. quoties. C. de iud. l. 1. C. de ord. cogn.* vbi iudex de causa status cognoscit incidenter, qui non potest principaliter.

3. Quando nec tenetur Ordinarius Ordinis Superiorem admittere vt coniudicem.

Potest ergo Superior, in exceptione se causæ interponere tanquam pars; non verò vt Iudex, inuito Ordinario. si tamen cum Ordinario cognoscere cepit de nullitate; ob præuentionem iuxta formam d. c. 19. illam quæstionem peragere poterit: ob eandemque tanquam præiudicialem causa matrimonialis suspendi debebit. *c. tuam. X. de ord. cog. Mynsi. cent. 1. obs. vlt.* manente interim arresto.

4. An vxor spoliata, an monasterium sit restituendũ?

Sed dum causa cognoscitur, nisi euidenter friuolæ sint allegationes nullitatis, adeo vt nec spolij cadat restitutio; an obtineri debeat dispositio d. c. 19. vt reassumpto habitu in monasterio sit, an demum eò redire compellatur causa cognita & decisa; iuxta formam *c. 1. X. de ijs quæ vi & met. vide quæ diximus in lur. pont. nou. anal. de regular. n. 47. in fin.* vide *& c. 1 nov. 10. X. de sentent. & re. ind.* vbi ante decisionem ad superinductam accessus prohibetur.

De Religiosis Domibus.

RESPONSVM I.

Testator legatum perpetuum reliquit consanguineis soluendum cum ad statum peruenerint: quæsitum est, an, quæ beginagium ingressa, & illius more professa est, ad statum peruenerit, & legati capax sit facta?

1. Ad statum peruenire.

QVemadmodum in lege ex his *C. quando dies leg.* legitur hæc clausula, *cum filiæ ad legitimum statum*

ſtatum peruenerint; ita vetus formula notariorum erat in condendis teſtamentis, vt huiuſmodi legatis aut inſtitutionibus adijcerent, *qui, aut quando hæredes, legatariúe peruenirent ad ſtatum aliquem approbatum, ſiue eccleſiaſticum ſiue ſecularem.* eâ phraſi imminutâ ſecutum eſt illud Horatij; *breuis eſſe laboro; obſcurus fio.* ſi notarius hîc ſtatum approbatum addidiſſet, careret elogium controuerſiâ. Quamquam à Clemente V. *in c. 1. §. fin. de religioſ. dom.* non reprobatum ſit, genus vitæ Deo deuotum, ſub modeſta veſte, in ſpiritu humilitatis Deo famulantium. tamen ſi ſchema publici regiminis aſſumpſerint, id reprobatur. *c. ſancta de rel. dom. in extrauag. Ioan. XXII. in verb. quidquid per eas communiter vel diuiſim ſub religionis, conuentus, collegij ſeu congregationis nomine, vel colore attentatum exſtitit, nullius fuiſſe, & eſſe decernimus firmitatis: & quatenus de facto proceſſerunt; reuocamus omnino.* Sic Greg. IX. reprobauit mulieres diſcalceatas, chordularias, ſeu minoretas nuncupatas. *diploma recitat Tamburin. de iur. Abbatiſſ. d. 7. q. 10.* Concilium Lugdunenſe ſub Greg. X. omnes nouas religiones, ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate erectas. *c. 1. de religioſ. dom. in 6.* & Pius V. *conſtit. incip. circa 4. kalend. Iunij* 1566. omnes etiam tertiarias in congregatione viuentes tria vota ſolemniter emittere voluit, aut impoſterum nullas recipi: & alia conſtitutione *edita* 15. *kalend. decemb.* 1568. omnino huiuſmodi congregationes vetuit non tantùm; ſed etiam ſeparari iuſſit; niſi ſolemnem profeſſionem ſub aliqua regula approbata, quam elegerint, emittere maluerint. de qua Malderus *de iuſtit. tract.* 10. *c. 5. de voto. dub.* 3. *in fin. illud denique*, inquit, *hîc monendum meritò a Pio V. conſtitutum eſſe conſtitutione vnica de votis in Septimo Decretalium per P. Mathæum edito, vt congregationes in communi, & ſub obedientia voluntaria, cum diſtincto à ſecularibus habitu, extra votum ſollemne religionis viuentes, teneantur eligere vnam ex religionibus approbatis, quam profiteantur.* ita ille.

2. Approbatum.

3. Vt quis intelligatur?

4. Religionũ nõ approbatarum damnatio antiqua.

5. Pij V.

Inde & proceſſit damnatio leſuitiſſarum ab Vrbano VIII. *conſt.* Vrbanus VIII. *incip. Paſtoral. Rom. quam refert Tamburin. ibid. q. 11.* quæ deſcribit quænam illæ vſurpabant ſchemata publica quaſi religioſæ vitæ, rediendo ſe in congregationes, collegia, domos probationum, aſſumendo ſuperiorem, Præpoſitam generalem, in cuius manu tria vota religionis ad inſtar ſolemnium emittebant.

Quoad Beginas autem ſub damnatione *d. c. ſancta* non comprehendi declaratas *in c. ratio de relig. dom. in extrauag. commun.* ita deſcribuntur; *ſegregatæ quandoque in parentum, aut ſuis, interdum verò in alijs, aut conductis, ſibi communibus domibus inſimul habitantes, vitas ducunt honeſtas, eccleſias de nocte frequentant, dioceſanis locorum, & parochialium eccleſiarum rectoribus reuerenter obediunt, curioſitatem diſputandi aut authoritatem, ſeu temeritatem potius prædicandi, nullo modo ſibi vſurpant, nec ſe vel alias, ſeu alios quoſlibet præmiſſis opinionibus, erroribuſque inuoluunt: nec vlla ſuper his eſt, aut fuit hactenus nota, ſeu ſuſpicio contra eas, quæ ipſas diſſimiles à luce ſua conſtringeret, vt nullus earum, quæ perpetuam fortè domino continentiam deuouerunt, occaſio præbeatur ad lapſum &c.*

Beginæ igitur non habent formam vitæ regularis, non emittunt vota in manibus rectricum; ſed Epiſcopi, aut parochi, ab eo commiſſi; nec aliud quàm caſtitatis, idque loco & tempori aſtrictũ: dioceſanis locorum & parochialium eccleſiarum rectoribus reuerenter obediunt. etſi hodie proprium parochũ habeant, pleriſque locis, ſeparatum à matrice parochia, vt vnius cura diligentius regantur. ex ſimili cauſâ qualis eſt in *c. 2. X. de ædific. & repar. eccl.* Rectrices etiam

ad

ad mores inſpiciendos, vt matresf. à diœceſanis per aliarum electionẽ conſtituuntur: quibus nulla vouetur obedientia; ſed ex lege ſtatutaria, & ſecundùm ſtatutum præſtatur: propria bona & œconomiam retinent, à vulgo beginæ vocantur. *d. c. ratio* fideles mulieres vocat; *d. clem. & d. c. ratio* & beginas: vbi adiungit hæc verba; *cæterùm ſtatum beginarum huiuſmodi, quas eſſe permittimus (niſi de his per Sedem Apoſtolicam aliter ordinatum exſtiterit) nullatenus ex præmiſſis intendimus approbare.*

10. Sine voto obedientiæ.

Vbi duo ſimul proponuntur; & permiſſio, & tamen negatio approbationis ſtatus. permittuntur ergo ab eccleſia non tantum in domibus priuatis, ſed etiam communibus (vt ibi præmittitur) habitare; nec tamen ſtatus illarum approbatur. quamuis *perpetuam foriè Domino continentiam deuouerunt*: vt loquitur d. c. ratio; *ſeu promiſſa*, inquit d. clem. *continentia, vel etiam non promiſſa, virtutum domino in humilitatis ſpiritu deſeruiant.*

11. Permiſſæ, non approbatæ.

Non negat Clem. V. aut Ioan. XXII. *dd. ll.* quin ſtatus virginum, aliarumue mulierum continentiã vouentium, aut ſeruantium à Chriſto probetur, Apoſtolis & eccleſia; ac nouiſſimè *Trid. Conc. ſ. 24. can. 10. de ſacr. mat.* ſed eam approbationem negant, de quali agit, & exigit *c. 1. de religioſ. dom. in 6.* nam nec prior illa defuit ijs, quos damnauit Greg. *X. in d. c. 1.* Pius V. *d. conſt. 15. kal. decemb. 1568.* & Vrban. VIII. *conſt. paſtoral.*

12. Vtique ſecundùm totã vitæ rationem. nam ſtatus continentiæ probatus omnino eſt.

Igitur ſi de ſtatu ſimpliciter loquendo approbato, teſtator ſenſit ſecundùm veterem formulam; Beginæ illum non habent; vt diximus; & ita Domino deſeruiunt, vt nec ſimpliciter mundum reliquiſſe cenſeantur. vt de ſolemniter profeſſis loquitur c. cum *ſeculum. X. de iur. pat. & diximus in Conſult. can. tit. de regul. c. 1.* Dixi ſimpliciter loquendo ſtatum non habere, id eſt, ſecundùm totam vitæ & inſtituti rationem: ſed procul dubio ſecundum quid: id eſt, quoad articulum promiſſæ aut propoſitæ continentiæ. ſtatus ille virginitatis, cœlibatus, ſeu continentiæ probatus, laudatus, & eximius eſt. *Matthæi 19. qui poteſt capere capiat:* & d. canon 10. *ſ. 24.* anathema dicit ei, qui dixerit *ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus; & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quàm iungi matrimonio.*

13. Status virginitatis & cœlibatus etiam matrimonio præfertur.

Vbi non tantùm perpetua virginitas, ſed & alius cœlibatus, ac viduarũ caſtitas matrimonio præfertur; nec votiua tantùm; ſed & non promiſſa continentia: vt loquitur d. clem. 1. vbi non probat Concilium vel Beginarum, vel aliarum virginum ex voto caſtè, modeſtè, deuotè viuentium ſtatum, vt talem; ſed dumtaxat virtutis, virginitatis, cœlibatus, continentiæ: adeoque antitheſin facit non perſonarum ſic vel ſic viuentium; ſed *ſtatum* inquit, *coniugalem; & ſtatui virginitatis, vel cœlibatus*: & rurſus, *manere in virginitate, aut cœlibatu; quàm iungi matrimonio.*

14. Etiam ſine voto.

Quod anathema dicitur aduerſus eos, qui aduerſantur doctrinæ D. Pauli 1. *Cor. 7.* & illa verba finalia *d. c. 7. beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium.* vbi D. Paulus virginitatem cœlibatumque commendat, & matrimonio præfert; & tamen concludit; *qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit; & qui non iungit, melius facit*: vbi loquitur de ſtatu virginitatis ſine voto. nam qui matrimonio iungit virginem ſuam, quæ votum habet, vtique non bene facit. de votiuo autem agit 1. *ad Thimot. c. 5. Cùm*, inquit, *luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem* (nota) *irritam fecerunt.* de quibus vlterius D. Auguſtin. *in virginali & viduali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur. qua expetita, & electa, & vti debito oblata, iam non ſolùm*

solùm capescere nuptias, sed, etiamsi non nubant, nubere velle damnabile est. c. nuptiarum. 27. q. 1. c. vouent. 17. q. 1. Ad sensum ergo D. Pauli accipiendus est canon Concilij Tridentini; & vt agat generatim de statu virginitatis, aut cœlibatus (cœlebs autem est tam, inquit Spigel. *in Lexico, qui caruit semper vxore, quàm qui nunc caret. vt notatur in Rub. C. de infirmand. pœn. cœlibat.*) non autem de votiuo dumtaxat; sed & eorum qui viuunt sine voto, seu, vt inquit Clemens *d. c. 1. promissa continentia, vel etiam non promissa.*

Quemadmodum & illud D. Pauli, melius est nubere quàm vri, *ad non pollicitam pertinet, ad non velatam*, inquit D. Ambros. *ad virg. lapsa. 5.* habent ergo beginæ statum virginitatis, cœlibatus, seu continentiæ eatenus probatum; non habent statum probatum simpliciter; spectantem totius vitæ conditionem: quod exigit d. c. 1. *de religios. dom. in 6.* & declarat d. Clem. 1. *in fin. d. c. ratio 4. cæterum.* aliàs enim quomodo non probatus status promissæ continentiæ dici posset? quâ tamen non obstante beginarum statum Clemens non vult esse probatum. Quod si ergo testator ad veterem formulam, quam diximus, intelligendus sit; beginæ non peruenerunt ad statum approbatum.

15. An beginæ peruenerint ad statum?

Videamus, si non ad eum rigorem testator intelligendus sit, an saltem peruenerint ad statum? analogicum valde, atque æquiuocum est vocabulum *Status*; varioque sensu accipitur. vnde Iob ait, *homo nunquam in eodem statu permanet*; medici morbi statum vocant, cùm ad summum peruenit: *sic in d. l. ex his.* status etiam dicitur ætas maior annis viginti quinque: & apud Quintilianum *status causæ* dicitur: in iure ciuili tituli sunt; *De statu hominum, de statu liberis, ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur &c.* & in iure canonico; *De statu monachorum & canonicorum regularium*: eòque alij spectant, *de conuersione coniugatorum, de regularibus & transeuntibus ad religionem, de voto, Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possint. &c.*

16. Analogicum status vocabulum.

Igitur statum esse volunt ex D. Thoma 2. 2. *q.* 183. *ar.* 1. vitæ conditionem, cui firmiter insistendum sit; & quæ variari leui saltem ex causa non possit. & sic Sylius *in Resolut. V. Status honorabilis. n.* 1. & 2. dicit votum continentiæ perpetuæ, factum in manu Episcopi vel ab eo deputati, constituere quem in statu; etiam honorabili. sed & alij quidam viri docti, nuper censuerunt deuotariarum viuendi modum propterea non malè statum appellari. vtpote in quo iure ita permittente perpetuò stare quæpiam intendat. quinimo Wamesius *can. conf. t. 2. conf.* 395. ex professo docet eum, qui citra coniugium carnale aut spirituale, seu votum, aut Ordines sacros, manere intendit in cœlibatu, esse in statu: & *n.* 3. *Status*, inquit, *hominis triplex est; vel matrimonialis, vel ecclesiasticus, seu religiosus, vel sine horum altero, quem cœlibatum vocamus.* quamquam Caietan. 2. 2. *q.* 183. asserat nec virginitatem, nec viduitatem constituere statum, nisi vinculo firmetur. sed & d. can. 10. *de sacr. mat. s.* 24. *Conc. Trid.* vocat statum cœlibatus: & Clem. V. *in c. attendentes. de stat. mon. in Clem.* dum negat se statum canonicarum approbare; & Ioan. XXII. *d. c. ratio.* beginarum statum esse aliquem fatetur, secundùm analogiam; dum ei negat probationem. & ponit Clemens constitutionem suam sub rubrica *de statu monachorum*: & VVames. *conf.* 396. *ibid.* beginas negat in approbato Ordine versari, vel personas esse religiosas.

Secundùm ergo hanc analogiam omnino dicendum est beginas esse in aliquo statu: nec illas tantùm, quæ votum perpetuum habent; quale olim illarum fuisse videtur *ex d. c. ratio in verb. perpetuam forte*

fortè Domino continentiam deuouerunt; sed addidit *fortè*. & d. ciem. *1. de relig. dō. ait promissa vel non promissa*. sed & illas quæ tantùm (vt ferè hodie) secundùm statuta curiæ, seu donec ibi manserint. vt etsi nō obligatio, tamen intentio sit manendi perpetuò in curia beginagij, & cœlibatu.

19. Non status approbatus secundùm modum loquendi Decretalium.

Cùm tamen huiusmodi statum neget Clemens, & Ioan. XXII. esse approbatum, vtique secundùm totam vitę conditionem. sacro-politica illa approbatione, de qua in d. c. 1. *de relig. dom. in* 6. quæstio nostra eo deuoluitur, quo loquendi modo testator locutus esse censeri debeat; & quo sensu ad legatum vocasse consanguineos? an secundùm considerationem illorum Pontificum, ac sacram ecclesiæ politiam, an remissiori modo secundùm grammaticum standi sensum, seu aliàs? cùm & ipsa standi ratio vel ad tempus, vel perpetua, & necessaria, vel arbitraria intelligi possit. arbitraria in Beginis voto perpetuo nō astrictis, necessaria in astrictis; etiam simplici. quod impedit quidem, sed non dirimit matrimonium, vt sollemne; & facilius dispensatur, non autem sollemne. & ipsæ quæ voto simplici, etsi perpetuo tenentur, de facto matrimonium contrahentes validè statum mutant, etsi illicitè; quod non accidit sollemni voto astrictis: quæ nullatenus mutare possunt: sed quicquid attentarint, & illicitum est, & inualidum. *c. vnic. de vot. in* 6.

20. Quo sensu status vocasse testator censendus sit?

21. De status perpetuitate diuersa in sollemni voto, & simplici.

Quod enim ad dispensationem pertinet, Innocentius III. *in c. cum ad monasterium in fin. X de stat. monach. abdicatio*, inquit, *proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*: cui nihil simile in iuris codicibus legitur de voto simplici castitatis. de aliis sanè votis legimus vt redimi, ac mutari possint. *Rub. & tot. tit. de voto & voti redemtione*. & Bonifac. VIII. *in c. vnic. de vot. in* 6. cùm solemne votum dicit matrimonium irritare, *reliqua verò*, inquit, *etsi quandoque matrimonium impediant contrahendū; non tamen rescindere possunt post contractum*. imò *c. 1. X. de vot.* considerandum dicit, an compensatio melior fuerit, & Deo magis accepta; & *secundùm hoc debet*, inquit, *exinde dispensare*. & quidem multa sunt in quibus non tantùm Papa; sed & Ordinarij dispensare possint, etiam nonnunquā in voto simplici perpetuæ castitatis. *Malder. de Iust. tract. 10. c. 5. d. 10.* quod autem aiunt impossibile dici quòd à Principis pendet voluntate *l. continuus. § cum quis & ibi gloss. D. de verb. signif.* rectè accipiunt interpretes, cùm Princeps aut numquam, aut quàm rarissimè dispensare solet; non autem cùm non difficulter. in voto solemni diceret Innocentius nunquam dispensari; alijque dixerunt; historiasque in contrariū allegatas aut negarunt, aut de facto processisse, & non iure asseruerunt; *vt apud Malderum de iust. tract. 10. c. 5. d. 9. § dico* 8. alij saltem dicerent rarissimas semper fuisse huiusmodi dispensationes; & non nisi ex summis Christianę reipublicæ causis. *Sic Malderus*: adeoque rectius Sanches *lib. 5. de voto c. 1. n. 13.* fatetur, *simplicia vota esse perpetua quoad vouentem, qui se ab illorum obligatione propria authoritate nequit eximere: at non quo ad dispensationem, quæ ex causis*, inquit, *communibus passim conceditur &c.*

Vt hinc deducatur plures esse status analogici gradus, simplicem cœlibatum sine voto; sub proposito in eo standi; deinde cum voto; non tamen perpetuo, denique cum perpetuo; sed simplici; ac tandem sub voto solemni: quod perfectè statum, & quidem approbatum continet. ad hunc non perueniunt Beginæ, sed illius initium & tyrocinium. *Malder. de Iustit. t. 10. c. 5. de voto. d. 10.*

Allegant quidem quod ex instituto ecclesiæ sit ea sollemnitas; rei natura simplex & solemne votum non differant: *Azor. Instit. moral. l. 12. c. 6. q. 1.* neque illud vocabulum

votis fuerit tributum primis quatuor post Christum sæculis: sed vt demus vocabulum etiam ante Bonif. VIII. *c. vn. de vot. in 6.* non fuisse in vsu, (vt tamen fuit *c. fraternitatis. X. de frig. & malef.*) rem tamen fuisse asserit Bonifacius: cùm de præterito dicat voti solemnitatem ab ecclesia fuisse inuentam; & institutum hoc esse Apostolicum, cuius aliud non exstet initium, exactè docet Malder. *de Iust. tract. 10. c. 5. de voto d. 3.* quin & à Concilio Carthaginensi IV. manifestè agnitum; cui & Augustinus interfuit: adeoque quis illius sensus fuerit, quis Cælestini III. latè Malderus explicat: docetque semper in ecclesia fuisse notas, quibus vota simplicia, atque solemnia discriminarentur. quo modo hæc matrimonia irritarent, illa non æquè. solemnitatē hanc in Carthaginensi reperiri, *quod se Domino deuoueant, & veste laicali abiectâ, sub testimonio Episcopi, & ecclesiæ in religioso habitu appareant.* cui ex Bonifacio VIII. *d. c. vnic.* addendum est, ex posterioribus ecclesiæ constitutionibus, vt fiat in religione approbata. religiosum porro habitum, de quo agit Concilium Carthaginense, complexum fuisse etiam velum professionis, quod professionibus Episcopi imponebant: satis liquet ex omni antiquitate, vbi virgines velatæ dicuntur: sacrari dicuntur, sanctimoniales vocantur *c. sciendum. 27. q. 5. c. quicumque. c. monachum 20. q. 1. c. virgines sacræ. 20. q. 4. c. virginibus sacris. 27. q. 1. c. sanctimonialis virgo dist. 24. c. vidua 20. q. 1. c. vt periculosè ne cler. vel mon. in 6. c. hæ verò quæ necdum. 27. q. 1. c. deuotis 20. q. 1.* forma Pontificalis de consecratione virginum, Trid. *de reg. s. 25. c. 18. v. habitum suscipere.* quæ adeoque magis propriè Christo nubere dicuntur. quippe quæ præter castitatem, paupertatis, & obedientiæ votis ornatiores, Christo nubunt perfectiùs.

Igitur cùm de vocis acceptione quæritur, *non aliter*, inquit Marcell. *in l 60. D. de leg. 3 à significatione verborum recedi oportet, quam cùm manifestum est aliud sensisse testatorem.* sed & cùm origo & ratio grammatica ab vsu mutata est, hic maximè attenditur. *l. labeo. D. de supell. leg.* & generatim *ad communem verbi intelligentiam recurritur*, inquit *c. 7. I. de sponsal. & verba in eo sensu retinentur, quem solent rectè intelligentium generare.* & cùm voces habent plures acceptiones, exaudiendæ sunt in potiori significatione. *l. 1. qui in perpetuum. D. si ager vectigal.* simpliciter & non secundùm quid. *Menoch. de præs. l. 3. præs. 40. n. 2.* post *Barthol. Alexand. Decium.* vt in rebus etiam iudicandis attenditur id, quod præualet. *l. quæritur. D. de stat. hom.*

Quare de voce *status* dicendum videretur accipiendam illam esse in significatione propria, ac potentiori. &, vt Philosophi loquuntur, analogum stat pro principali suo significato: nec recedendū à verbi significatione; *nisi aliud testatorem sensisse legatarius doceat*, inquit *lex cum quidam. §. nisi D. de supell. legat.* sed & vbi in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. *l. 25. D. de leg. 3.*

Quemadmodùm Vlpianus *in l. ex facto. §. si quis rogatus. D. ad Trebell.* ait, *si quis rogatus fuerit, vt, si sine liberis decesserit, restituat hæreditatem. Papin. l. 8. resp.* scribit etiam *naturalem filium efficere, vt deficiat conditio; & in libertino, eodemque conliberto hoc scribit: mihi autem quod ad naturales liberos attinet, voluntatis quæstio videtur esse, de qualibus liberis testator senserit: sed hoc ex dignitate, & ex conditione eius, qui fideicommisit; accipiendum erit.* quod quidem respondum, an in fideicommisso liberorum nomine non tantùm legitimi veniant, sed & naturales, latè examinat Menoch. *de præs. lib. 4. præs. 78.* sed hîc satis est, conditionem testatoris in huiusmodi verborum ambiguitate esse expendendam de quali statu senserit: &, vt in homi-

ne

ne vilis conditionis, nomine liberorum etiam venient naturales; in persona in dignitate constituta nō item. sic & casus noster videbitur recipiendus in sensu, qui testatoris dignitati, & conditioni conueniat. Vt & aliàs sæpe decisum est attendendam esse qualitatem, & conditionem loquentis. *l. si miles vnum D. de testam. milit.* vt eius etiam cui datur: *l. plenum §. equitij, cum summario, & gloss. in v. sensisse. vbi & aliæ leges, D. de vsu & habitat.* & subiectam materiam: *l. si vno. D. locati vers. sed etsi in verb. quasi* non sit donatio, sed transactio, ob materiam locationis: *cum summario Bartoli & legibus ab eo citatis. & gloss. in verb. transactio. c. solitæ X. de maior. & obed. in verb. si personam loquentis & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendisses. vbi gloss. in v. si personam & quæ citat.*

25. Eius quocum agatur.

26. Materiæ.

27. Secundum conditionē ergo testatoris cæteraſque circumstantias.

Itaque consideremus conditionem testatoris, an illa faciat ad eliciendam eius voluntatem in hac verborum analogia. fuit is vir doctus, iuris etiam peritus, presbyter, & pietate singulari. videtur ergo ex his confici eius verba accipienda esse secundùm eam rationē, qua de *statu*, in digniori sua, & potentiori significatione accipitur, siue sæculari, vt est matrimonialis, siue ecclesiastico, sæculari, seu regulari; non tantùm simplici cœlibatu. *de quo VVamesius.* nam etsi hodie pœnæ cœlibatus sublatæ sint; quod arguit Wamesius, & vt loquitur Constantin. *in l. 1. C. de infirm. pœn. cœlib. imposita iuris imperia velut quædam iuga soluit promiscuè omnibus*; licitusque adeo sit cœlibatus, imò status, matrimonio anteponendus; *d. can. 10. de sacram. mat. Trid.* tamen nō dicuntur cœlibem vitam ita ducentes statum habere ab ecclesia approbatum: *d. c. 1. de religios. dom. in 6. d. c. attendentes de stat. reg. in Clem. d. c. ratio in extrauag. commun. de relig. dom.* sed & cœlibatus communis est omnibus, antequam ad matrimonium carnale, aut spirituale se determinent: atque ita videtur testator spectare eam determinationem, seu determinationis executionem: imperfecta ea est in proponente manere in cœlibatu: perfectior in addente votū conditionale seu temporaneum; vt in instituto communi Beginarum: perfectior magis in perpetuo voto etsi simplici: perfectissima in suscipiente sacros Ordines, aut votum sollemne emittente. testatorem autē hanc perfectiorem, & quæ habet comitem statū ab ecclesia approbatū attendisse eę, quas recensuimus, illius conditiones persuadere videntur.

28. Fauorem religionis.

Præsertim cum in dubio is sensus recipiendus dicatur, qui pro religione, pro causa pia, pro ecclesia facit *l. sunt 43. D. de relig & Alciat. in priuil. piæ caus. priu. 148. vbi post plures citatos* ita claudit; *& scribunt vbique omnes.* porro pro incitamento religionis facit, vt sensus perfectioris status assumatur: quo plures ad illum alliciantur, quàm hæreant in cœlibatu, sine voto sollemni, aut Ordine sacro non tantùm; sed nec simplici perpetuo; ac ne quidem temporaneo, aut conditionali; sed simplici proposito cœlibatus, non votiui.

29. An religiosi pro monachatu capax sit beata, bizoccha, tertiaria?

Enimuero à simili proponi non abs ratione potest huiusmodi argumentum; si ea quę pro statu perfectiori expresso, seu monachatu, legata sunt, capere potest beata, bizoccha, seu tertiaria; poterit eo magis cū simpliciter conditio proposita est de ijs, qui peruenerint ad *statū*, illud vocabulū benignè intelligi, vt huiusmodi personas comprehendat; adeoque eis similes beginas. Atqui Diana. *p. 1. t. 2. resol. 84. & in fin. operis in Addit. Secundis resolut. 28. quærit* an tertiariæ & beatæ gaudeant priuilegio fori, & consequi possint legatum relictum pro monachatu, de priori & authores, & Cardinalium responsum adfert, vtique priuilegijs gaudere, si viri in congregatione; fœminæ saltem in habitu à Leone X in Concilio

cilio Lateranen. *ſ.11.in fin.* preſcripto egerint; regulam tertij Ordinis ſeruantes: de legato negatiuè ſenſiſſe refert Caſtillo, & Riccium: ipſe autem affirmat, *& eum ſecutus vt allegat d.reſol.* 28. *Ioannes Maria Nouarius*, allegat Diana §. ſed hoc præſenti *Nou.* 123. *ſeu auth.de ſanctiſ. Epiſc. collat.* 9. vbi ſubſtitutiones, & reſtitutiones, ſi quis ſine liberis moriatur, aut matrimonio iungatur, ceſſant; ſi perſonæ talibus conditionibus ſubiectę, ſiue maſculi ſiue fœminæ, monaſteria ingrediantur; aut clerici, aut diaconiſſæ, aut aſcetriæ fiant. nec tantum de profeſſis monachis, aut ad ſacros Ordines promotis agere liquidum faciunt verba, *ſi vſque ad ſuam vitam perſeuerauerint.* ex quibus argumentum duci poſſet pro Beginis. ſed quoad priuilegia, illis obſtat quod non ſint tertij Ordinis; aut ſi quæ ſint, non geſtent habitum à Leone, & Cardinalibus requiſitum. nec vllus hic vſus id admiſit, niſi quoad collegialiter & regulariter viuentes, & tria vota ſollemnia emittentes. Quoad legatum; obſtat illis verſic. fin. *d. §. ſed & hoc præſent.* qui ſubſtitutionem pauperibus aut captiuis factam tolli negat per clericatũ, aut monachiſmum. quod Angelus extendit ad locum venerabilem: alij generaliùs ad piam cauſam. & ratio d. §. redditur, quod pro matrimonio carnali ſpirituale ſuccedat; pro liberis carnalibus monaſterium. *c. in præſentia. X. de probat.* Itaque ſi teſtator reliquit non pro matrimonio, aut liberis carnalibus, ſed pro pia cauſa, pro ipſo monachatu; *ex nullo*, inquit §. *memoratorum modo eam ſubſtitutionem, aut reſtitutionem excludi permittimus.* & verò aliàs in grauamen religionis retorqueretur, quod in eius gratiam eſt inuentum; ſi, vt matrimonij carnalis conditio expleri poteſt per monachiſmũ, aut clericatum, tanquam ſtatũ perfectiorem, (vt omne votum ſoluitur per ingreſſum monaſterij. *c 4. X. de voto*, & matrimonium ratum, non conſummatum. *c. 2. de conuerſ. coniug.*) ſic monachiſmi aut ſacrorũ Ordinum conditio expleri poſſet per id quod eſt imperfectius: ſcilicet per Beatarum aut Beginarum vitæ genus, adeoque negatiuè opinantium ſententia iuri eſt conformior, ac rationi.

Iterum proponi poteſt & hoc argumentum in d. §. *ſed & hoc præſent.* conditioni nuptiarum ſatisfaciunt, qui *monaſterium ingrediuntur*, inquit, *aut clerici, aut diaconiſſæ, aut aſcetriæ fiant.* & *ſi vſque ad ſuam vitam in his perſeuerauerint*: adeoque ſi Beginæ his poſſint comparari; ſi non aſcendunt gradum probati ſtatus regularis, ſaltem gradum ſtatus coniugalis tranſcendent; & cùm legatum debeatur etiam matrimonij ſtatum dumtaxat aſſumentibus; debebitur & illis, qui ſaltem in ſtatu clerici, diaconiſſæ, vel aſcetriæ fuerint. vrget ſanè hoc argumentũ. videamus ergo an Beginæ ſaltem locum clerici, diaconiſſæ, vel aſcetrię obtineant, eundemque fauorẽ mereantur? diaconiſſæ ſanè multas qualitates exigebant. *Nouell. quomodo oportet Epiſc. 6. §. quanta. l. nullam C. de Epiſc. & cler. Authent. diaconiſſam. C. de Epiſc. & cler. c. diaconiſſ. 27. q. 1. vbi gloſſ.* ſuo modo ordinabantur, & ad perpetuam caſtitatẽ tenebantur. *d. c. diaconiſſ.* aſcetriæ moniales erant: & pro iiſdem habet d. §. *ſed & hoc verſ. in perſonis quæ in monaſterium aut aſcetrium ingrediuntur.* vt res ſic donatas ijs acquirant clerici aut diaconiſſæ, ſi ad finem vitæ perſeuerauerint, in propria opera expendant, aut relinquant; diſponant per vltimam voluntatem ſi voluerint. ergo pro viris clericatus ſufficit: in fœminis, quæ monaſterium non ingrediuntur, requiritur vt diaconiſſæ ſint. at in his votum eſt perpetuæ continentię, vt nuptijs ſe nequeant tradere: *d. c. diaconiſſam.* at hoc non habent Beginæ, ſaltẽ ex ſuo inſtituto: imò in diaconiſſis ſollemne votũ fuiſſe

fuisse olim videtur, aut ordinatio ad huius obseruantiam vt in viris diaconis quasi æquiualens extra characterem Ordinis propriè dicti *per d. c. diaconissæ. in verb. si Ordinationem susceperit, & postea nuptijs se tradiderit, anathema sit, cum eo qui in nuptijs eius conuenerit.*

31. Nihilominus, argumentando ex ratione clerici vtique ad mutandum statum, videri posset vt clericis, ita beginis legatum sub conditione nuptiarum relictum deberi, donec perseuerauerint: vt vbi eadem est ratio, sit eadem iuris dispositio. sed neque omnimodo pares sunt termini. clerici leguntur simpliciter; non beginæ, in sortem Domini: & quamuis nubendo transire videantur in aliam stationem, ac coniugatorum castra; non tamen simpliciter censentur sub alia classe; sed & characterem retinent, & priuilegia quædam clericalia. *tot. tit. de cler. coniug.* beginæ nec characterem vllum adipiscuntur, nec, si ad matrimonium transeunt, vllum priuilegium retinent.

32. Fatendum est tamen similitudinem hanc non esse omnino disparatam, nec rationem omnino dissormem: cùm & diaconissæ fuerint, ordinatione non suscepta adhuc ad quam parabantur. eòque additum etiam videri, vt in clericis, ita & in his, *si ad finem vitæ perseuerauerint.* ideoque, si vsus & sermo consuetus, non vulgi tantùm, sed & eruditiorum classis haberet, vt beginarum status ita accipi posset, vt sub vocem *Status* comprehendi crederetur; non improbabilis videretur benigna beginis sententia, & fauoris amplia tio. nisi impediretur à concursu & fauore Ecclesiæ substitutæ.

Quare *in lur. pont. nou. anal. de regular. n. 13. in fin.* Beginas pro personis ecclesiasticis, statum pro ecclesiastico. quamuis non in rigore, habitum iam olim fuisse diximus, secundùm materiam, de qua quærebamus; vt Episcopis sint subiectæ; earumque ædes sacræ, aliaque bona communia, religiosarum domorum priuilegia sortiantur; oneribus sint ecclesiasticis subiecta; immunia à laicis. ita tamen vt nec hîc habeantur priuatę ipsarum res, aut personæ exemptæ à iurisdictione sæculari. quamuis in literis, quas ibidem citauimus, personæ nominentur ecclesiasticæ.

Igitur in huiusmodi analogicis vocibus, dum quæritur qua significatione sint exaudiendæ; quàm maximè inspicienda est materia subiecta; & circumspiciendæ omnes circumstantiæ; tum rei, tum personarum; seu contrahentium, seu testantium, hæredum, legatariorumue. *vt multis exequitur Euerard. in loc. legal. à materia subiecta, & singulatim n. 30. verba*, inquit, *ambigua sunt interpretanda largè vel strictè secundùm materiam, in qua sit sermo de ijs. vnde si materia, in qua proferuntur, est fauorabilis; fit larga interpretatio: si verò est odiosa, & præiudicialis; fit stricta interpretatio* &c. atque eapropter cùm testator vetuisset liberis bonorum immobilium alienationem, si ad statum ecclesiasticum veniissent; respondi in odiosa hac clausula Beginam, & deuotariam comprehensam non esse. quippe secundùm totam vitæ conditionem nec approbatum, nec principali ac proprijssima significatione nominis, statum; minus ecclesiasticum, adeptam. Iterum substitutam ecclesiam sub conditione nisi hæredes statum ecclesiasticum amplecterentur; non excludi per deuotariam, aut Beginam: exceptis ijs, quas testator expresserat. si quidem in concursu personarum etiam, causarumque fauorabilium, summa ratio est, quæ pro religione facit. *d. l. sunt personæ.* pro religione autem facit, vt Ecclesia in hoc concursu non excludatur, nisi per dispositionem propriè ac strictè acceptam. quamuis fortè sine huiusmodi concursu

in fauorabili disposítione secundùm ea quæ suprà diximus, diuersimodè censeri posset, quod non rarò accidere etiam docet Euerard. d. loco.

De Regularibus.

RESPONSVM XIV.

Mortuo Abbate an Conventus nouitios ad professionem recipiat?

QVoniam Concilium Trid. *s. 25. de regular. c. 16.* finito tempore nouitiatus habiles nouitios admitti, inhabiles eijci voluit vacante Abbatiali Sede, & finito nouitiatu, Conuentus B. Ordinis S. Benedicti nouitios ad professionem admisit, eamque excepit: quæritur an validè?

Non nisi ius habeat communiter cum Abbate id aliâs faciendi.

Si ad olum Abbatem, inquit Bonifacius VIII. *in c. fin. de regular. in 6. pertineat creatio monachorum, eo defuncto nequibit nouus monachus à conuentu creari: alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad vtrumque.* consonans ratio est *in c. 2. X. ne sed. vac. c. vn. eod in 6.*

Benedicti regula c. 65. regimen monarchicum in suo Ordine esse voluit. *in Abbatis*, inquit, *arbitrio pendere ordinationem monasterij.* quamquam consilium adhiberi velit in multis: præsertim in grauioribus. de quo rectè Haftenus *Disquis. monast. lib. 3. tract. 5. disq. 6.* ideoque rectè is consilium in receptione nouitij suadet. tametsi in professione etiam exigit consensum Conuentus, seu maioris partis; de iure, & communi sententia: quam exactè discutit Mirand. *in Man. p. 1. q. 15. art. 2.* non tamen secundùm verba Regulæ: quæ solùm consilij meminit. adeoque ad solum Abbatem creatio monachorum hîc spectare videbitur: esto consilium adhibere debeat.

Quid si per consuetudinem, statutum, priuilegium, etiam adhibere debeat consensum? & videtur si ad solum Abbatem spectet creatio monachorum, licet de eorum consensu & consilio, nihilominus illo mortuo authoritatem non transire in Capitulum. *Ioan. Andreæ in d. s. fin.* vt non idem sit electionem communiter collegio cum Abbate competere, vel ad Abbatem spectare, quamuis de consensu collegij. vt quamuis acta Abbatis sine consensu conuentus non valerent: *c. ea noscitur X. de his quæ fiunt à prælat. sine consens. cap.* tamen non tribuit ille consensus ius communis electionis. *d. c. vn. §. cum vero in verb. consilio sui Capituli vel assensu.* cum etiam aliâs non succedat Capitulum in iura Prælati, nisi iure sit expressum. *c. 2. in verb. cum nequam videatur cautum in iure X. ne sed vac.*

Nisi ergo conuentus B. specialem habeat consuetudinem, statutum, seu priuilegium creandi monachos, vacante Sede Abbatiali; non valida erit professio. nec mouere eum debuit d. c. 16. *de regular. Conc. Trid.* quod compellat superiores, non conuentus: & casum Sedis vacantis dispositioni iuris relinquit, dum aliud non exprimit.

De religiosis domibus.

RESPONSVM I.

Non sunt extinguenda monasteria leprosis seruientia, etsi pauci aut nulli nunc sint, aut non approbati Ordinis arguantur; nec bona illorum alio diuertenda.

DEcretum Episcopi, quo bona monasterij leprosorum applicuit nosocomio, quasi in vim Concilij Trid. *s. 25. c. 8.* nec cum verbis congruit; nec cum mente Concilij, nec cum iuris ratione.

Non cum verbis; quia loquitur decretum *d. c. 8.* de personis ecclesiasticis, beneficia possidentibus, vel

vel hospitalia per modum beneficij in commendam, administrationem aut *quemcumque titulum*, inquit, *vers. illis vero & vers. quod si ibidem proximo hospitalia hæc*, inquit; scilicet sic possessa; & *vers. itaque si prædicti omnes*; qui administrationem hospitalium habent; *non tamen regularibus subiecti*, inquit: iterum *priuari possint*, & *vers. & prædicti nihilominus nec administratio*, inquit, *seu gubernatio huiusmodi locorum vni, & eidem personæ vltra triennium deinceps committatur*: quæ non congruunt regularibus.

3. Quinimo Clementina *quia contingit de religios. dom. d. c. 8. & s. 7. c. 15. innouata*, & iuxta quam exerceri iubet d. c. 8. & 15. hospitalitatem præscriptam, (quæ adeoque illis decretis inest, vt relatum referenti), diserte excipit ab huiusmodi dispositione: *hospitalia*, inquit, *militarium Ordinum aut religiosorum etiam aliorum: ad quæ præmissa*, inquit, *extendi minimè volumus*. eademque clementina alios administratores hospitalium *in vers. illi etiam* comparat tutoribus & curatoribus; & eorum instar se gerere iubet: religiosorum autem *hospitalium*, inquit, *rectoribus mandamus, vt in illis secundum suorum Ordinum instituta & antiquas obseruantias prouidere pauperibus, & hospitalitatem debitam in illis tenere procurent*. adeoque huius loci administratio secundùm illius institutionem, & antiquam obseruantiam dumtaxat, exigenda est: nec mutandum quod certam semper habuit interpretationem. *l. minime. D. de legib.* &, si de legis huius interpretatione quærendum esset, vsus nunc & consuetudo 70. annorum post Conc. Trid. lapsorum optimus illius decreti, regulæ, & instituti huius domus, interpres esset censendus. *l. si de interpretat. D. eod.* qui numquam triennales tutorum instar, aut administratorum, aut beneficiariorum possessorum habuit, sed præfectam monasterij, & officiales monasticos.

Iterum d. c. 8. non dicit bona hospitalibus auferri, & alijs dari, 4. sed fructus in alium vsum conuerti: vt videri possit significare non perpetuam diuersionem, sed temporalem: dum similes personæ non reperiuntur. veluti pauci hîc nunc sint leprosi, imò cesset lepra; quis fideiusserit in futurum? cùm fundatores leprosis perpetuò futuris prospectum voluerint. nec desunt sanè dum passim vbique mendicant; si tam laboretur illis per compita colligendis, quàm bonis aliò distrahendis. d. autem c. 8. obtinet tantũ cũ ij pro quibus quid institutum est, non reperiuntur inquit. Id quod iuuat quod d. c. 8. vsũ proximũ substitui velit, *qui pro loco*, inquit, *& tempore vtilior sit*: tempora autem variantur, & emergere possunt nunc huiusmodi morbi, nunc euanescere: nunc his proximi: eòque debere videantur secundùm temporis varietatem 5. diuersiones fructuum variari.

Quid ni & eò respicere credamus, quod Ordinario cum duobus de Capitulo hęc diuersio committatur? tanquam temporaria & minoris momenti: alioquin in perpetua alienationetotius Cap nulli interuentio requireretur. *tot. tit. de his quæ fiunt à prælatis sine consensu Capit. tot. tit. de reb. eccles. non alienand. Trid. s. 24. c. 15. s. 25. c. 4.* vbi & Capitula generalia, & Synodi exiguntur in huiusmodi decretis perpetuis. 6.

Denique mandat d. c. 8. d. hospitalitatem exerceri *ex fructibus ad id deputatis*: non itaque per auersionem omnes auferre, sed deputatos ad hospitalitatem dumtaxat: adeoque primordiales tantùm, & leprosis relictos, dum illis adhuc per famulos & ancillas seruiretur; non postquàm mutatus est primæuus status; & an. 1220. institutus ibi regularis: postquem religiosi vtriusque sexus patrimonia sua, & dotes eò intulerunt: aliaque legata pia

illis relicta; & per Pontifices *illis, & per illos huic domui confirmata sunt*: vt loquuntur diplomata. sed examinanda hæc omnia forent; & excutiendi omnium tituli; non abripiendum, quod in templum & sacerdotem relictũ fuit, (nam & illud sibi struere, ac hunc dotare leprosis permissum fuit, *c. 2. X. de eccles. ædificand.*) quod in vsus regulares collatum, legatum, aut quomodocumque quæsitum. nam de genere prohibitorum est pias voluntates extremaue hominum elogia sine necessitate immutare. & vix sine Sedis Apostolicæ authoritate permissum. *d. clem. quia contingit. d. c. 4. Conc. Trid. s. 25. d. c. 15. s. 24. c. 6 & s. 22.* sed fructus tantùm deputati ad hospitalitatem, cùm illius generis pauperes desunt, diuerti posse videntur. *d. c. 8. s. 25.*

Quoad si tituli non apparent, alijs tamen modis intentionem diuertere volentis probari oportet. famam saltem, aut aliam verisimilem præsumptionem: aut saltem fieri æstimationem congruam. *vt d. c. 12. X. de testam. c. sacerdotes. 12. q. 4. c. Statutum. 18. q. 1. c. in præsentia de probat. authent. ingressi. C. de sacrosanct. eccles.* quamquam & rectiùs dici possit postquam bona omnia istis religiosis per Pontifices, vt diximus, confirmata sunt, *illis*, inquam, *& per illos isti domui*, cessare veteres titulos, religiosis ipsis bona confirmata esse, eorumque domui per ipsos: eoque auferri non posse: sed eos titulos penes domum retinendos; hospitalitatem leprosis in ea exhibendam; aut, si & eo extendatur, itidem morbidis lepræ proximis: vt non sunt omnis generis ægri, qui in nosocomio excipuntur.

8. Aut mente?

A mente etiam Concilij Trid. alienum esse Episcopi decretum ex eo liquet; quod Concilium d. c. 8. primò monet omnes beneficiorũ qualiumcumque possessores, hospitalitatem exerceant, *quantum per eorũ prouentus licebit*; tanquam magnoperè à Patribus commendatam: illos autem qui hospitalia possident quocumque titulo, cogit etiam per censuras, vt bona in eam causam relicta in eandem expendant: totaque dispositio tam d. c. 8. *s. 25.* quam c. 15. *s. 7. Conc. Trid.* quam d. Clementinæ in id fertur, vno quidem verbo d. c. 15. vt hospitalia fideliter, & diligenter gubernentur; plurib⁹ d. c. 8. & d. clem. ad quam vterque Concilij locus se refert. vnde rectè S. Cong. Interp. Conc. censuit in hæc verba, *In hospitalibus in quibus non habentur laborantes proprio morbo, iuxta institutum hospitalis, licet ordinentur accipiendi proximiori morbo laborantes, iuxta verba Concilij: non tamen ejiciendi sunt, si qui pauperes diuerso morbo laborantes, aut alij miserabiles recipiantur. cum verè mens Concilij* (nota) *fuerit prouidere, ne qui possident hospitalia, omnes fructus in vsus suos conuertant, sub prætextu quod non inueniantur infirmi secundum propriam institutionem hospitalis.* hæc mens vera Concilij est; non sub eo prætextu monasteria destruere. sed illa excipit clementina à communi dispositione. ita tamen vt hospitalitatem non minus velit obseruari; sed mandet vt *in illis* (nota non foris, non alibi) *secundùm suorum Ordinum instituta, & antiquas obseruantias, prouideri pauperibus, & hospitalitatem debitam in illis* (iterum nota domesticam) *teneri procurent.* Clementinam innouat Concilium Trid. adeoque accipiendum est secundùm sententiam Clementinæ inhærentem, quemadmodum generatim leges antiquæ obtinent, quatenus expressis verbis non fuerint derogatæ.

A iuris ergo etiam ratione alienum est istiusmodi decretum. de quo paulo latiùs est dicendum. fauent canones quàm maximè regularibus institutis.

Huiusmodi enim ecclesiarum, aut congregationum sæcularium, qualis hic initio fuit, mutatio in regularem ab Episcopo iure permittente,

mittente fit, saltē sine præiudicio oneris rebus per fundationem primæuam impositi. *c. si Episcopus.* 12. *q.* 2. Imò collegæ per se possunt regulam assumere, & facere ecclesiam suam, & congregationem regularem *c. cum dilect. X. de his quæ vi si Episcopus*, inquit, *vnam de parochianis ecclesijs suis monasterium dicare voluerit, vt in ea monachorum regulariter congregatio viuat, hec de consensu Concily sui habeat licentiam faciendi.*

11. Et ex bonis attribuere aliquid.

Et ad res pergens; *qui etiam*, inquit, *si de rebus ecclesiæ pro eorum substantia aliquid, quod detrimentum ecclesiæ non exhibeat, eidem loco donauerit, sit stabile. rei enim bonæ statuendæ sanctum Concilium dat consensum.*

12. Tanquam in rem bonam.

Bona res est vita regularis. eòque per illius susceptionem cessat cuiuscumque bonæ rei votum. *c. scripturæ. X. de vot.* non permittit tamen Sabarella *in d. Clem. quia contingit.* relictum ad certum vsum pium in monasterium mutari: quia vnusquisque in suo sensu abundat. de quo vt nihil dicatur, quando fundatio effectum sortiri potest; tamen iuxta c. nos *quidem. X. de testam.* quando non potest, rectè succedit religio in locum alterius piæ causæ. ideoque sicut bona, exstantibus leprosis, pro leprosis relicta non debent in alium vsum conuerti; quia vltima voluntas pro lege seruanda est. *c. vltima.* 13. *q.* 2. sic illis deficientibus nulli fit iniuria, si illa cedant religiosis. quod *detrimentum*, inquit *d. c. si Episcopus, ecclesiæ non exhibet, si eidem donauerit, sit stabile*: at hîc exhibitæ sunt non tantùm donationes Episcopi, sed etiam confirmationes diuersorum S. Pontificum: *bona vobis*, inquiunt, *& per vos domui vestræ confirmamus.*

13. Non tamē cùm res vt est relicta obtineri potest.

14. Quia pro lege est vltima voluntas.

Eoque minùs cuipiam iniuria fieri censetur, quod ex summo iure deficientibus ijs, quibus relictum est, id quod relictū est, caducum fiat: sed ex benignitate legis à caducitate liberatur, & in aliam piam causam vertendum est. *gloss. in d. c. nos quidem in verb. in loco.* Id quod tamen fit ex sacra ecclesiæ politia, & officio Episcopi, non actione quapiam alicui competenti. vt nulli speciatim ius quæsitum sit, aut iniuria fiat, vt dictum est. Cæterùm cùm iure veteri vaga essent illa Episcoporum arbitria, & deliberatio, in quam aliam piam causam verterent; *l. legatum.* 16. *D. de vsuf. legat.* determinauit Concilium Tridentinum *d. c.* 8. *s.* 25 proximiorem vsum, pro loci, & temporis ratione: quibus scilicet casibus liberum erat Episcoporum arbitriū. vt non est quando in eum casum iam prouidit fundator. *d. c.* 8. *s.* 25. *vers. nisi fortè.* vt non est etiam in monasticis hospitalibus *d. clem. quia § per præmissa.* & in re & verbis coniunctis. qui quantisper reperiuntur cessat d. c. 8. *vers. Quod si hospitalia.*

15. Caduci legati pij in causam proximam vertendi politia sacra.

Quemadmodum literis hîc exhibitis Episcopus Cameracensis non tantùm institutum probauit, vt religiosæ leprosis seruirent, vt membris Christi; sed coniunctim dixit *Christo, & membris eius*: quare sublatis leprosis, non continuò tollitur Christus: nec tollitur totalis instituti causa; sed manet prima charitas, & ministerium per exercitia vitæ religiosæ Christo impendendum, & contemplatio Magdalenæ, quæ optimam partem elegit: cessante, quoad Christi membra, actione Marthæ. adeoque potius dicendum est, quod post mutationem status monialium magis dignum deinceps traxit ad se minus dignum, *c. unic. de consec. eccl. in 6.* vt leprosi quidem non minùs quàm antè curarentur; sed ipsæ religiosæ præcellentiores remanerent; nec iam quasi leprosorum causa dumtaxat haberentur.

16. Non cessare hîc causam totalem cessantibus leprosis, exstantibus religiosis.

Prout diximus ideo hospitalia religiosorum excepta esse à dispositione d. clem. *quia contingit*, adeoque decreto Concilij Tridentini, vbi administratores, non perpetui sed triennales constitui tantùm possint: dum contra hoc monasterium perpetuum est, neque moritur.

17. Regularia hospitalia excepta à c. 8. s. 25. Conc. Trid.

tur: perpetuam administrationem habet; nunquam triennalem, præsertim attentâ etiam Cardinalium declaratione suprâ relata.

18. Vt Clementina constitut. insit decreto Trid.

At, inquiunt, non influit Clementina in hoc decretum Concilij quoad §. *quod si hospitalia*: quoniam Clementina illum casum non expressit: at verò satis expressit Clementina de quo genere hospitalium disponeret; excepitque ea, quæ sunt religiosorum, etiam latè significatorum. atqui Tridentinũ *in d. §. quod si*, loquitur de eo genere, de quo Clementina ibi innouata, dum ait, *quod si hospitalia hæc*, relatiuè ad ea, de quibus Clementina: vt huiusmodi relatio includat tantùm ibidem inclusa, excludat ibidem excepta.

19. Quid ergo in regularibus Trid. statuat.

Sed aiunt Tridentinum se explicat *in §. itaque si prædicti omnes & singuli cuiuscumque Ordinis & religionis, qui administrationem hospitalium habent, non tamen regularibus subiecti, vbi viget regularis obseruantia &c.* vbi satis innuit etiam in regularibus se loqui: ita quidem est in personis regularibus; non tamen in rebus, & hospitalibus ipsis regularibus. nam Tridentinũ, *prædicti*, inquit, *omnes* personas significat; quæ vt dixerat antè, *hospitalia in commendam, administrationem, aut quemcumque titulum* &c. obtinent. *hospitalia*, inquit Clementina, *militarium Ordinum, aut religiosorum etiam aliorum* &c. & *quorum tamen hospitalium rectoribus* &c. alia de hospitalibus, alia de rectoribus disponendo.

Deinde agit Tridentinum *in eo §.* de monendo & cogendo per censuras: vbi iurisdictio requiritur, quæ in subditis Ordinario dici posset esse prompta; In regularibus exemtis, vti sunt plerique, non æquè. sed ad causam leprosorum, bonorumue diuersionem quid interest administrantes Ordinarijs, an regularibus subsint. cur quod an his, non in illis obtineat? præsertim cùm ibidem exemtioni derogetur. nisi quod foris alius pius vsus quærendus non sit; qui intus habetur in monasterijs, præsertim vbi viget regularis disciplina?

Addit autem *vbi viget regularis disciplina*: quod tum Superiori Ordinis ea cura incumbat imprimis: & Clementina à Tridentino innouata, regulares debitam hospitalitatem negligentes *per superiores*, inquit, *eorum arcta districtione cogantur*: eodemque modo Tridentinum *s.* 21. *c.* 8. emendanda, in monasterijs, quamuis exemtis, vbi non viget regularis disciplina, committit Episcopis: in ijs, vbi viget; Superioribus Ordinis, vnde liquet hunc §. non obstare, quominus decretum Concilij intelligatur de ijs hospitalibus, de quibus Clementina; cui inhæret, refert, sequitur, innouat.

Vrgentur & alia verba Tridentini, *hospitalia in quemcumque titulum concessa, vel si ecclesiæ parochiales hospitalibus forte vnitæ, aut in hospitalia erectæ, & personis in administrationem concessæ sint*: sed nullibi in his verbis de regularibus: neque leprosaria hæc propriè vnita cuipiam est; sed status antiquus personarum famulantium in regularem mutatus. & denique quemcumque sensum ea verba habere possint; tamen restringuntur per verba relatiua mox sequentia; *iuxta constitutionem Concilij Viennensis, quæ incipit, quia contingit*: quæ, disertè hospitalia religiosorum excipit.

Nec tantùm religiosos excipit in propria significatione dictos, de qua re mox pluribus; sed etiam latiori acceptos, vt ea disputatione planè opus non sit, an religiosæ, de quibus quæstio, sint veri nominis religiosæ, dum d. Clementina *quia contingit* excipit hospitalia militarium Ordinum, & religiosorum aliorum, vocabulo latè accepto; tum propter regulam 15. *de reg. iur. in 6. odia restringi, & fauores conuenit ampliari*: tum propter vocabulum *aliorum*, quod connectit ea quæ

quæ eiusdem quasi sunt generis, adeoque religiosos etiam latè sic dictos, quemadmodùm militares, præsertim coniugati, lata admodum significatione sunt religiosi. quare & illi intelligentur, qui religiosi sunt, quamuis non à Sede Apostolica positiuè probati; præsertim non Mendicantes: qui soli ex importunè etiam confirmatis *in c. 1. de religios. dom. in 6. in princ.* inter non probatos ibi sunt extincti. *Religiosi*, inquit Spigelius *in lexico, nostris propriè dicuntur, qui paupertatem obedientiam, castitatem perpetuam Deo vouerunt, sed & ampliori significatu hi accipiuntur, qui aliquid ex illis votis obseruant, vt hospitalarij, & templarij.* ficut ergo huiusmodi impropriè dictorum religiosorum militariũ hospitalia non licet euertere; sic nec aliorũ, qui non omnes solemnes notas religionis habent.

24. Quid Pius V. in his exigat?

Denique Pius V. 15. *kal. decemb.* 1568. statuit, vt congregationes omnes in communi viuentium, cum distincto à sæcularibus habitu, extra votum solemne religionis, teneantur eligere vnam ex religionibus approbatis, quam profiteantur: *electa*, inquit, *vna sub qua degant ex regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius Capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem regularem intra mensem solemniter emittant, & in ea tam ipsi, quàm illam deinceps ingressuri atque professuri perpetuum ferant Altissimo famulatum.* regulam approbatam assumere nolentes intra annum, iubet eijci. quod si ergo hæc domus nõ fuisset religionis approbatæ, Superiores nec tam ignari, vt nescirent, nec tam ignaui fuissent vt noluissent hactenus obedire Sedi Apostolicæ, & præcepto d. bullæ iam pridem editæ. Deinde pridem de illis pronunciauit Episcopus Cameracensis; *quarum nota est deuotio, & religio*, inquit, *approbata*: Item *iugum eis imposuimus Ordinis.* Item *viuent sub regula S. Augustini cum tribus votis*: Item *professæ canonicè regulam S. Augustini*: Item, *diuinis vacent obsequijs*: Item, *velatæ sint*, seu velum fuit ijs iam olim datum: quod à primordijs ecclesiæ signum fuit voti solemnis. *c. virgines. 20. q. 1. Tertull. lib. de velandis virgin.* tesseram & characterem virginum vocat Haftenius *Disquis. mon. l. 5. t. 9. d. 7.* describitque quod probationis, professionis, consecrationis. &c. quæ omnia vocabula nec congruunt ijs, qui simplex tantùm votum habent; sed qui solemne. vt c. *nullus. 19. q. 3.* canonicorum regularium professionem, canonicam vocat.

25. An præter regulam requirantur aliæ institutiones à Sede Apostolica approbatæ, ut dicantur veræ religiosæ.

At, inquiunt, data est illis olim ab Ordinario regula S. Augustini: at hoc non sufficit: quia c. vlt. *X. de rel. dom.* coniunctim *regulam*, inquit, *& institutionem accipiat de approbatis*: vt non videatur regula sola sufficere; sed institutiones approbatæ requirãtur. vt institutiones hic dedit Ordinarius nõ approbatas à Sede Apostolica; sed suas sed error is est. vel enim synonima sunt ea verba; vel dictio, &, coniunctiua intelligenda est pro disiunctiua. siquidem quædam religiones approbatæ regulam dumtaxat ab origine habent, non alias constitutiones à Sede Apostolica approbatas: aliæ regulam non habent; sed institutiones aut constitutiones tantùm: vt religio Carthusianorum, & Societas Iesu. vnde etiam Conc. Trid. *s. 25. de reg. c. 16.* Societatis institutum vocat; non regulam: & tamen quis ideo neget Societatem religionem, seu Ordinem esse? quare Nigronius *in Comment. in regul. commun. Societ. relatus ab Auberto Miræo in forma institutionis canonicorum in notis* eam regulæ institutionum, & constitutionum acceptionem rectè & latè deducit. *Vide & Haftenium disquis. monast. lib. 1. d. 2. & 3.* & Ioann. Andreæ *in c. 1. de religios. dom. in 6.* in simili quærit, an diuersa sint religio & ordo? qui effectus sunt aut nascuntur ex regula, & institutione: vt non tantum

tùm ordo approbatus, sed & religio esse debeat? & ex eadem decretali rectè deducit pro ijsdem illa accipi. vt certò dicendum sit sufficere susceptionem regulæ, aut instituti approbati. vt *in c. pernicto-sum.* 18 *q.* 2. vt aliquæ sint sanctimoniales non aliud requiritur, quàm vt secundùm regulam Benedicti, Basilij, aut Augustini viuant. quod si accedant aliquæ fundatorum, aut Episcoporum ordinationes; fundatorum voluntas pro lege est. *c. vltima.* 13. *q.* 2. & aliàs vtile per inutile non vitiatur. tametsi nec Ordinariorum inutiles dici oporteat ordinationes. imò Gregorius *in c. cognouimus.* 18. *q.* 2. *Episcopo loci*, inquit, *curæ sit monachorum causas, vtilitatesq; disponere.*

26. Statuta regulam non vitiant, etsi illa non sint à Sede Apostolica approbata.

Vnde multi in his locis sunt Episcopi, qui in monasterijs fœminarum sibi subiectis non tantùm initio dum fundantur; sed & quoties ab eis visitantur, si visum eis sit, non tantùm statuta & ordinationes eis præscribunt, sed etiam formulis professionis quidam interserunt; vt præter castitatem, & paupertatem, obedientiam spondeant superioribus regularibus non tantùm, sed etiam ipsi Episcopo: cùm tamen hanc nulla, quod sciam, regula approbata vouendam præscribat, & toto genere differat obedientia, quæ Episcopo debetur, ab ea quæ regularibus Superioribus. hæc votiua est, secundùm regulam; & ex voto promanat: illa ex ecclesiæ canonibus tantùm, & ex hierarchico Episcopi officio. hæc quasi priuati iuris; illa publicæ potestatis est. *tot. tit. X. de maior. & obedient.* neque tamen quisquam dixerit propter huiusmodi additamentum omnes professiones vitiari.

27. Iure permittitur Episcopis illa regularibus dare.

Imò, vt mox citauimus; Gregorius *in c. cognouimus.* 18. *q.* 2. *Episcopo loci*, inquit, *curæ sit monachorum causas vtilitatesq; disponere, illorum vitam competenti, regulariq; debet moderamine disponere*, fundariq; eius authoritate debent noua monasteria congregationesque. *c. de monachis. c. cellulas. c. nullus.* 18. *q.* 2. ad eum *pertinet Monachorum disciplina. c. Abbates. c. monasteria ibid.* ita quidem vt si locus aliquid præter regulam exiget, statui illud, ordinarique ab Episcopo possit, & debeat. regulari moderamine disponi monasterium nouum ab eo permitti, seu probari. *d. c. cognouimus. d. c. de monach.*

Iterum negant institutionem esse probatam pro religiosis vtriusque sexus, in eodem loco cohabitantibus: quod ea forma ecclesiæ Romanæ sit ignota: sed ignota non est: at in VII. Synodo, Concilio Agathensi, atque aliàs duplicia huiusmodi monasteria separari iussa sunt. *c. definimus. c. in nullo. c. monasteria.* 18. *q.* 2. non vt soluantur monasteria, & religiosi in mundum eijciantur; *c. peruenit in fin. eod.* sed vbi essent plura, in his monachæ, in illis monachi collocentur: vbi vnicum; *religiosus Episcopus*, inquit d. c. in nullo, *mulieres quidem in suo loco manere studeat* (vt hic est factum) *monachos autem aliud monasterium ædificare cogat*: nec additur quidquam de noua eis vlterius institutione danda. ecce quantùm absunt isti canones ab eo, quod hic intenditur. quinimò *in d. c. definimus* non exstirpatio huiusmodi duplicium monasteriorum; sed reformatio præscribitur. ad eum ferè modũ, quo sonant statuta cætera horum monasteriorum, cùm in illis adhuc esset vterque sexus.

In summa, huiusmodi cohabitatio non inficit regulam, aut institutionem; quo minùs veri sint religiosi ita cohabitantes; & maneant tales; sed separatim debeant, *propter insidias diaboli*, inquit d. c. monasteria, *aut propter obloquutiones hominum collocari*: non autem noua vlterius regula, aut institutio separatis danda est, nec id vllis canonibus requirunt.

Qui-

Quinimo regula à Saluatore S. Birgittæ dictata, vt ait Breuiarium Romanum, & pluries à Sede Apostolica approbata, duplicia monasteria, muris tamen suis & claustris separata admittit. *& c. pernicioſam.* 18. *q.* 2. etiam canonicos viros & fœminas in ecclesia sociari vetat; quod vsus tamen in superiori & inferiori Germania multis in locis retinuit. & verò nosocomia Belgica olim pleraque fuerunt vtriusque sexus. vt hæc cum leprosarijs eandem obiectionem patiantur, neque cedere debeat cacabus ollæ; sed in pari causa melior sit conditio possidentis; etiam incerto, imò nullo titulo. quanto magis & iusto titulo, & confirmatione Apostolica? vt à monasterio leprosis seruiente auferri non debeat, quod detur nosocomio.

29. Vetus immemorialis præscripta consuetudo approbationi æquualet.

Nota, inquit Sabarella *in Clement. quia contingi: de rel. dom. ista quatuor aquiparari: ius commune; statutum in fundatione appositum; consuetudinem præscriptam; & priuilegium.* & id satis probat d. Clement. *vers. vt ij ad quos.* quamuis ijs deroget in *fin. §. pen. ibid.* vt consuetudo quater centenaria sufficere debeat ad hanc regularium reputationem; præsertim vbi contrarium non demonstratur.

Quod si is sensus ecclesiæ Belgicæ hactenus fuisset, multa hîc sunt hospitalia vtriusque sexus, vbi eadem ferè, quæ hîc obtinent: & aliquibus quædam olim locis lapsæ sunt, quibus alioquin melius fuisset nubere quàm vri; nec vllæ tamen permissæ sunt nubere: imò de facto hæreticorum tempestate nuptæ, deinde separatæ, ab hæreditatibus vbique sunt exclusæ, opinione communi, & Judicum sententijs pro veris religiosis sunt habitæ. quod Belgicæ ecclesiæ Iudicium semper fuerit, tales solemniter esse professas, & matrimonij, proprietatisque incapaces.

30. Passim pro religiosis habita hîc illiusmodi personæ.

31. Aut ergo constitu.

Adeoque cùm hic sint infinita monasteria ab Episcopis sic instituta, inferre oporter tunc illas constitutiones nondum fuisse receptas, vt aliàs non præsumuntur. *Menoch. de præsumt. lib. 2. t. 2.* aut retentam ab Episcopis veterem authoritatem, communi vsu & more firmatam; *Azor. Institut. mor. p. 1. l. 11. c. 23. q. 6.* seu potiùs iure eis competentem, & ante Concilium Lateran. & Lugdunen. nondum Sedi Apostolicæ reseruatam, ob quam causam instituros ante illud ordines negat approbatione illa egere c. 1. *§. sanè. de relig. dom. in 6.* vbi sine illa solidum illorum statum vocat. aut denique (quod verum est) assumpta solum regula approbata à Sede apostolica inductam esse religionem approbatam, tanquam illius effectum.

Constitutiones illæ hic olim non publicatæ, receptæ, aut regulam approbatam Episcopalia statuta non impediunt.

32. Illa immutabilis est, non ista.

Si quidem, *vt dictum est suprà*, regula approbata facit religionem, & monasterium approbatum: eaque citra potestatem pontificiam est immutalibilis: aliæ extra regulã constitutiones mutari possunt: sicut & in principio statui, siue ab Ordinarijs, siue à Superioribus, siue à Capitulis Ordinum. *Nigron. vbi sup. & quos citat. & Azo. inst. mor. p. 1. l. 13. c. 11. q. 2. Hasten. d. disq. 3. n. 3. aliique passim.* quod autem à doctoribus dici solet modum viuendi approbatum esse debere, vt sit religio; id ipsum intelligunt de ipsa regula, aut instituto cuiusque Ordinis. *c. regula. dist. 3. Nigron. vbi sup.* In secundarijs autem ordinationibus, & statutis cuiusque domus authoritatem Ordinariorum, Superiorũ, aut Capitulorum Ordinis Concilium Lateranen. aut Lugdunen. *d. c. ne nimia. X. de religios. dom. & c. 1. eod. in 6.* nullo verbo imminuit: aut huiusmodi secundaria statuta, aut Ordinationes vllatenus vetuit. vt idem monasterium improbari non debeat, quod præter regulam approbatã aliquas ab Ordinario, aut fundatore leges acceperit. vt clarè admodum dicit Walterus Abbas *in literis suis* an. 1281. huic domui datam regu-

lam S. Augustini,& insuper statuta Episcoporum Camerac.& inter ea vnum,de numero.additque hæc etiam ab Vrbano IV. confirmata: & propterea se,quamuis Prouisorem domus,mutare nihil posse.ergo à G. Episcopo Camerac.an. 1220. præscripta sunt regula, & tria vota substantialia,paupertatis, castitatis, obedientiæ : in quibus vtitur,verbo *profitentes :* quoad statuta verò,accuratè alijs verbis, *eorumque*, inquit, *quæ authoritate nostra seu successorum ibidem ordinata fuerint,obseruantiam promittentes.*quæ verba ibidem accuratiùs regulam, & vota substantialia distinguunt ab ordinationibus ; quàm vt admittant vllas cauillationes.accedit quod in emissione huiusmodi votorum datur à sacerdote velum professis , eaque fit in manu præfectæ. *iuxta c.pen.20.q. 1.*

33. Regula & modus viuendi militarium,vt debuit à Sede Apostolica approbari, an non ita & hic leprosis seruientium?

Quod aiunt Ordines militares, quamuis assumpta regula approbata, futuros non fuisse religiones approbatas ; nisi sub eo statu à Sede Apostolica fuissent approbati: & pari modo hic non sufficere , vt assumpta sit regula S. Augustini, nisi simul institutum seruiendi leprosis coniunctim cum regula à Sede apostolica probetur: iudiciaria scilicet , & practica confirmatione ; quæ opus esse declarat Suarez *tract. de virt. & stat. relig.t.* 3. *l.* 2. *c.* 15. sanè argumentationem sophisticam continet , coniunctorum & diuisorum.

Si quidem authores istorum Ordinum militarium nouam religionem inuenire voluerunt , & præter regulam Ordinis,peculiaria vota & præcepta instituti primaria, & instar regulæ ; seu quæ simul complexa nouum institutum facerent ; quod , vt tale , eguit apostolica probatione : cæterùm si eidem authores regulam tantùm approbatam assumsissent , vt regulam; reliqua vt secundarias & mutabiles ordinationes ; si hæ consisterent cum præscriptis alicuius regulæ,cognoscente & permittente Episcopo , *iuxta d. c. de monach.* poterat fieri monasterium , & religio approbata : sed quoniam huiusmodi militaria instituta cum regula non consistunt ; & tamen primariò intenduntur, egent apostolica probatione. vti Alexand. IV. Ordinem militarem S. Lazari , *bullâ quæ inter illius primas extat in bullario,* &, vt sonant verba, illis regulam S. Augustini confirmauit: cùm regula S. Augustini simplex confirmatione non egeret.*c.* 1. *de religios. dom. in* 6. sed quatenus contrariatur militiæ : & sic ipsum institutum pro parte illa commixta tanquam noua religio, eguit apostolica probatione.

Mutari , inquam possent hæ ordinationes : sed in quantum sunt ordinationes : cæterùm quæ decernendunt ex fundationibus patronorum,ea mutari omnino non possunt.*d.Clement. quia contingat. & ibi Sabarella n.* 11. nisi fortè fundatio executionem habere non possit.*c. nos quidem.X.de testam.& ibi DD.& in d.Clement.quia contingit.d.c.Tuerso. si fortè.s.25.Trid.*& quidem in vsum proximiorem institutioni tunc fit mutatio.*d.c.8.s.25. Trid.*

Quod si ergo iustum olim hic visum fuerit viros dimittere,Episcopus religiosas mulieres in suo loco manere studuit; quamuis circa alia aliquid mutandum foret, quod secundarias ordinationes spectat ; circa mulierum tamen mansionem mutandum nunc nihil est. *d. c. in nullo.* 18. *q.* 2. vt omittamus liberum arbitrium nullatenus esse in hospitalibus fundationis Regiæ. *de quibus latè Barbos. de iure eccles. vniuers. l.* 2. *de hospital. c.* 11 *n.* 56. vt est hoc, quatenus fundatum est à Regis prædecessoribus: nec in ijs,quæ sunt sub protectione etiã regiã immediata, *Trid. s.* 22. *c.* 8. vt & hoc esse creditur.

Iterum vrgent , Episcopo non competere ex vi sui muneris,etiãsi non adesset prohibitio,approba-

re

re religionem, solemnizando vota: inhabilitare enim personam ad matrimonium subsequens in vniuersa ecclesia, & efficere vinculum religionis, & religiosi, Pontificis summę potestati competit. Suares *vbi sup. c.17.n.25 & seqq.* ex quo ibi *n.* 27. dicunt nō improbabile veteres ordines ante confirmationes apostolicas vota simplicia tantùm habuisse, non irritantia matrimonium.

35. Qualiter olim religiones ab Episcopis probatæ etiam votū solemne & matrimonij diremtiuum continuerint.

Sed periculosa esse hæc doctrina videtur. quandoquidem nec hodie quidem confirmatione iudiciaria & practica, quam, vt aiunt, Suarez requirit, illi veteres Ordines à Sede Apostolica sunt approbati: sed tantū illos Ordines, quorum institutio Concilium generale præcessit, in solido statu Pontifices voluerunt permanere. scilicet eo iure quo antè, tacito Sedis apostolicæ assensu, ex Episcoporum authoritate, & communi vsu, ac more ecclesiæ suffultos. ita loquitur c. 1. *de religios. dom. in 6.* sequeretur ergo; si vera foret doctrina huiusmodi, nec hodie solemnia esse vota in religione S. Anthonij, Benedicti, Basilij, Augustini, nec religiosos matrimonij incapaces. quo nihil sit absurdius. & propterea saniùs Malderus *de iustit. tract.* 10. *c.5. d.3. §. dico quintò ex*, inquit, *irritans matrimonium post solemnia, aut ritè facta vota monastica, ab Apostolica traditione descendit, & semper in ecclesia fuit.* quod exinde multis probat.

Quare vi Apostolicæ traditionis huiusmodi vota solemnia etiā olim fuerunt, seu ex communi vsu, & more ecclesiæ, *vt vult Azor instit. mor. p.* 1. *l.* 11. *c.*23. *q.*6. aut etiam vi potestatis episcopalis nondum facta Sedi Apostolicæ reseruatione approbationis nouæ regulæ. ex communi doctrina; qua dicitur Episcopum vnumquemque in sua diœcesi omne id posse, quod Pontificem in orbe vniuerso: ijs exceptis, quæ in signum supremæ illius potestatis expresse, & specialiter sunt reseruata, aut de quibus in contrarium per sacros canones non sit statutum. *Cucch. inst. maior. de off. legat. n.* 103. alioquin certum est Episcoporū statuta intra suas dioceses coarctari, vt talia: *c.*2. *de constit. in 6.* quamuis qualitates subditis impressæ eos vbique comitari possint. vt Ordo clerico aut sacerdoti collatus, eum vbique sequitur, matrimonij incapacem facit, vt & matrimonium secundùm solemnitates loci celebratum, extra locum sequitur, & incapacem alterius coniugij reddit, durante primo. *c.*1. *X. de sponsal. & matrim.* & pariformiter dicendum est, vota olim ritu prisco ecclesiæ celebrata, *de quo Malder. & Azor. vbi suprà, & plenius Hasienus disquis. mon. l.*4. *t.*8. *d.*1. veros fecisse religiosos, & incapaces matrimonij, etiam extra locum vbi iuxta illius solemnitates emissa fuerant.

Denique etiam vetitæ sunt hodie omnes suppressiones, dismembrationes, & applicationes *per reg. 21. Cancellariæ*, nisi auditis partibus, verificatis causis, secundùm præscriptum d. regulæ 21. *& c. 6. s.7. c.9. s.14. s.24. c.13. Trid.* Neq; porrò partibus inauditis per prouisionem aliquid decernere permissum est: multò minùs remotâ appellatione exequi; quasi id concedere videatur bulla confirmatoria Concilij; & Sanctio Clementis VIII. 1600. *incip. ad tollend.* quia illa non aufert ius naturæ, ne quid aduersus inauditum statuatur. & loquitur de executione decretorū Concilij. at hîc negamus eo in casu nos esse, sed Episcopi decretū esse dicimus; non Concilij: atque prætextum Concilij perperam adductum. ac magis præposterè imploratam plenitudinem potestatis sæcularis, quam in rebus ecclesiasticis non agnoscit ecclesia. *c. bene. d.* 96. *c.* 1. *X. ne Sede vac.* vbi in negocio monasterij Rex Hungariæ,

Episcopi, & Primates supplicarunt Papæ, non suo marte statuerunt, sed nec eo tempore exauditi, sed in aliud reiecti.

RESPONSVM III.

Hospitale olim exemtis vnitum non fieri exemtum.

REligiosorum exemtio hospitale, eiusque sacellum ipsis vnitum non fecit exemtum. *c. ex ore. in fin. X. de priuileg. c. volentes. in fin. eod. in 6. clem. quia contingit vers. contradictores. de religios. dom.* quam etiam innouauit Concilium Trid. *s. 7. c. 15. de reform. s. 25. c. 8. & consonat s. 22. c. 8. & 9.* quibus in locis vnio, exemtio, priuilegium, præscriptio, vel consuetudo immemorialis, nō obstare declaratur, quo minus visitari hospitale ab Ordinario, & rationes exigi possint id adeoque hîc obtinet, quamuis ab annis centum religiosæ sint in pacifica possessione hospitalis, sacelli, & bonorum, sine Episcopi visitatione, aut rationum exactione. qualem allegationem *in c. cum ex officij. X. de præscript.* nullam Innocentius III. reputat. cùm *contra visitationem*, inquit, *non potest aliquo modo præscriui*. liquidum autem hic est ante vnionem hospitale & sacellum, vtique Beginarum, fuisse sub Ordinario, vt & erant Beginæ. *c. ratio. de relig. dom. in extrau. comm. in verb. diœcesanis locorum & parochialium ecclesiarum rectoribus reuerenter obediunt.* quamuis etiam tunc esset sub patronatu Abbatis Ordinis exemti. patronatus autem vbique admittit, imo fere exigit Diœcesani institutionem, aut superioritatem. *tot. tit. de iur. patron. Conc. Trid. s. 14. c. 12.* vt ne quidē, si à laicis ad exemtos peruenerit, ius Episcopale minuatur. *c. cum sæculum. X. de de iur. patronat.* quin, etsi rationes ex consuetudine aut priuilegio alijs red li debeant, etiam adhiberi debeat Ordinarius. *Trid. d. c. 9. s. 22.*

1. Eoque visitari potest ab Ordinario.

2. Visitationi nulla obstat præscriptio.

3. Patronatus à laicis aut alijs ad exemtos delatus iura Episcopi non minuit.

De Iure patronatus.

RESPONSVM I.

De aduocatis.

CVm non sit nouum malè à laicis haberi ecclesias, & clericos; *c. non minus. X. de immunitat. eccles. c. clericis eod. in 6.* sed id *tradat*, inquit, *antiquitas*: Concilio Carthaginensi V. iam olim visum est, ab Imperatoribus postulandos esse defensores: ne fatigetur ecclesia. *c. ab Imperatoribus. 23. q. 3.* sicut defensores ciuitatum inuenti sunt ad propulsandam potentiorum iniuriam. *l. defensores. C. de defensor. ciuitat.* ex hac origine prodierunt aduocati ecclesiarum. *Eras. Chokier tract. de aduocatijs. l. 1. q. 7. Burgund. ad Consuet. Fland. tract. 8.* sed quoniam quod ad defensionis subsidium est inuentum, à quibusdam ad depressionis dispendium est retortum; *prohibemus*, inquit Concilium Lateranense *in c. in quibusdam. X. de pœn. ne patroni, vel aduocati, seu vicedomini de cætero plus vsurpent; quam reperiatur in iure permissum.* reperitur autem in iure nihil permissum præter *antiquos*, inquit Lucius III. *in c. præterea. 23. X. de iur. patronat.* & moderatos reditus, ab Episcopis institutos: seu vt interpretatur Panormitanus *& alij ibidem* in erectione reseruatos.

1. De aduocatis olim ecclesiarum.

2. De aduocatis ecclesiarum.

3. Ne patroni olim vsurpent vltra quam iure exigunt.

Sed, vt Saluianus *l. 5. de prouidentia Dei* ait quosdam, vt onus exactionis euadant, tradere se tuendos, protegendosque maioribus, dedititiosque se diuitum facere: hos autem sæpe hac lege tueri pauperes videri, vt spolient: ita Gail. *l. 2. obs. 54. n. 6* aduocatus tutelaris (inquit) *non collectare sua tutelares; sed pro viribus defendere, atque protegere debet. quia ius protectionis nullam tribuit subiectionem, etsi in ea re quandoque perniciosè erretur: & ini aduoca-*

4. Non solum in ecclesiasticis.

5. Non solum in ciuilibus.

tia

tiæ plus æquo extendatur : & ad quæstum, atque priuatam vtilitatem transferatur. nullum sanè grauamen inferri vult ab aduocatis, seu patronis d.c. in quibusdam *d. c. præterea.* quo etiam spectat Concilium *Trid. s. 22. c. 11.* quod generalius Concilium Lateran. *in d. c. non minus* in ijs, qui potestatem habere videntur, reprehendit; quod ecclesia tot angarijs affligatur; vt ei quadrare videatur deploratio Jeremiæ, *Princeps prouinctarum facta est sub tributo : iurisdictionem etiam,* inquit, *& authoritatem prælatorum ita euacuent, vt nihil potestatis eis in suis hominibus videatur remansisse.* vt non tantùm prouentus, sed etiam iurisdictionem ad se diuertant ; seu, quod amplius est, quasi iure aduocatiæ, in ipsas ecclesias, & prælatos iurisdictionem vsurpent.

6. Nullum grauamen.

7. Iurisdictionis immi nutionem.

Quare idem Chokier *d. tract. q.* 34. negat aduocatis ius esse colectandi. quod d. c. præterea vetari Jnterpretes intelligunt per verbum, *regium*; quod pro tributo accipiunt. ius etiam hospitij militum, & pastum iumentorum, *in verb. albergariam, & fodrum* : & *in d. c. non minus* fossatam, expeditiones, & alia seu quæ ad necessitates castrenses pertinent, multò magis canum venaticorum, nutrimenta, & expensas, extra necessitatem, publicam, in vsus aduocatorum priuatos. quamquam multis locis huiusmodi vsurpatio, vel expensarum redemptio inualuerit aduersus canones, & etiamnum obtineat : etiã pacto illo adiecto, quod nihil vmquã exigetur aliud quale pactum ex causa onerosa natum reuocari non potest. vt aliquando priuilegium in mera liberalitate fundatum. *Euerard. cons. 31. n. 18.* & in vectigalibus ne quidem in extrema necessitate admittit. Wames. *cons. can. 519. n. 2.*

8. Regium, albergariam, fodrum.

9 Fossatam, expeditionem, &c.

10. Pacta super his ne quidem ob necessitatẽ mutanda.

Et quoniam alia est affectio parentum naturalium erga liberos, quàm vitrici & nouercæ ; vetitum est ne ius aduocatiæ, quocumque contractu in alium transferatur. *d. c. præterea.* nisi fortè cum vniuersitate bonorum, cui adhæreat. *c. ex literis. eod.* quod & Concilio Trid. innouatum est. *s. 25. c. 9. vers. nec dictum.* nam vt ille dicebat, fieri nequit, vt qui officia emerint, non vendant : sic qui non ex fundatoribus descendunt, sed pecunia aut simili modo aduocatias, & patronatus acquisiuerint, graviores vtique exactiones inferant. præterquam quod patronatus, etsi non sit spiritualis; tamen iuri spirituali annexus est ; & ita pecuniaria acquisitio ad simoniacam prauitatem vergit. eoque magis damnatur illius acquisitio ad finis spiritualis abusum : *c. quia clerici. X. eod.* ambitionem aut cupiditatem. *c. si quis basilicam. de consecr. d. 1.* quamquam aduocatia armata, vice-dominatus, guardia, vel custodia, nonnumquã merè aut magis temporalis sit : tamen in genere *d. c. præterea* contractus super illis facti damnantur, & grauamina ecclesijs illata. quin & maximè vacatione illarum occurrente bonorum & iurium ecclesiæ vsurpatio. *d. c. in quibusdam. c. generali. de elect. in 6.* quæ fere est regalia. *quam tetigimus in Iur. pont. nou. anal. de elect. n. 3. & de iur. patronat. in fin.*

11. Aduocatia vt in alium nequeat transferri.

12. Nisi per consequentiam bonorum.

13. Cur?

14. Contractus desuper initi irriti.

Conradus II. Jmp. Ducibus Brabantiæ ius aduocatiæ concedit in omnes ecclesias, & ecclesiasticas personas : earumque bona in suo principatu existentium ; sed in gratiã ipsorũ. quia nimis graue eis esset propter distantiam & paupertatem Regem ipsum adire. vbi & hoc ait, nulli licitum esse alicuius ecclesiæ aduocatiam vsurpare, nisi banno regio ad hoc esset institutus. & infrà ; mandat vt nomine Jmperij ita tueantur, & defendant ; ita *quod*, inquit, *ab ipsis nil per potestatem rapiant, aut exigant præter ius aduocatiæ : quia aduocati non debent esse deprædatores, sed defensores ecclesiarum, &c. Refert Butkens aux Trophées de Brabant aux Preuues p. 39.*

15. Aduocatia ecclesiarũ Brabantiæ.

16. Sine exactione.

in diplomate autem Othonis Regis Latharien. 948. *ibid. p.* 16. pro Abbatia Gemblacen. permittitur subaduocatus, sed vnicus: qui *nihil aliud*, inquit, *iuris habebit, nisi per singulos annos de vnaquaque domo denarium vnum, gallinam vnam, auenæ sextarium vnum.* cùm Duces Brabantiæ progressu temporis plura exegissent, sub Joã. III. an. 1336. est transactum; vt per omnes simul Brabantiæ prælates præstitis 1600. coreweis, quas angarias vocat, & canum certorum dierum nutrimentis, ab omni vlteriori onere essent liberi: *saluis correweis recipi consuetis in expeditionibus, & caualcaturis publicis, cùm eos guerram apertam habere contigerit.* quæ tamen damnat d. c. non minus; sed non satis antiquæ Impp. leges. quas plurimi sequuntur qui clerum cum populo obligant ad commune bellum defensiuum, seu cùm Princeps inuaditur. *citati à Mart. de Iurisd. p. 3. cas...* alioquin omnia huiusmodi seruitia incerta sunt: ex pactis, & vsu pendent. *Vid. Miræum donat. Belg. l. 2. c. 51.*

17. Subaduocatus

18. Quæ iura?

RESPONSVM II.

De iure quasi patronatus per territorium vniuersali.

1. Contra communes regulas est.

IVs patronatus laicum vniuersale, per totum territorium A. extensum ad omnes pastoratus, capellanias, matricularis, aliaque beneficia, quod ab immemoriali tempore cõpetere asseritur Comiti I. videtur communes iuris regulas transilire; quæ ius patronatus non agnoscunt, nisi in ijs, qui ecclesias, aut beneficia fundauerint, dotauerint, aut construxerint. nec est verisimile ecclesias omnes parochiales præsertim tam antiqui territorij, omniaque territorij beneficia fundata esse à prædecessoribus eiusdem Comitis. & quamuis patroni ecclesiastici, quibus ius parochiale competit, per incorporationem ecclesiæ parochialis, personatus, aut alterius spiritualis iurisdictionis, aut authoritatis multis in locis vsurpent prouisionem beneficiorum; quamuis postea nec à se, nec antecessoribus fundatorum, vbi fundantibus alijs ius patronatus expresè reseruatum non est; tanquam vniuersale ius in parochia habentes. *c. quæsitum 1. q. 3. c. in apibus. 9. q. 3. c. cum priori. cum. seqq. 13. q. 1.* & Ordinarij: qui vt tales ibi fundatam habeant intentionem: *c. cum contingat. X. de for. compet.* & quibus accrescit quod infra suum territorium de nouo emergit. vt capellæ intra terminationem parochiæ. *c. plures. 16. q. 1.* & nouæ parochiæ. *c. ad audientiam X. de eccles. ædif.* tamen, vt tales ecclesiastici propriè dictum ius patronatus non censentur habere, *vt in c. dilecta, X. de exceff. prælat.* ita in ijs, qui propriè dictum habent, seu ecclesiasticis, seu laicis, non porrigitur illud ad capellas, oratoria, hospitalia, beneficia ab alijs postea in ecclesiarum, aut territoriorum districtibus fundata. *arg. l. 1. D. commun. præd. non videtur*, inquit Rochus de Curte, *tract. de iure patron. in verb. construxit. q. 7. sub fin. rationabile quod qui sit patronus postea construendorum, ex quo nondum sunt in rerum natura tempore quo ius patronatus acquiritur. &* quamquam *ibid. & q. 16. v. construxit.* admittat constructorem ecclesiæ huius patronatum acquirentem, simul acquirere altarium, & capellarum ante in ea existentium, tanquã accessoriorum. quod vix hodie constabit; cùm c. 12. *s.* 14. *c. 9. s. 25. Conc. Trid.* & idem Rochus *q.* 10. & 11. *super verb. ecclesiam fund.* bene distinguit inter habentes ius patronatus, & ius parochiale; & eos qui tantùm iurisdictionem in districtu habent. tametsi & confundatur sæpe ius patronatus, primitiui parochi, seu personæ, & sæpe hęc vocabula

2. Nisi in ecclesiasticis quasi pastoribus primitiuis.

ria ecclesiæ parochialis, personatus, & ius patronatus in diplomatibus coniungantur. vt & *in d. c. cum dilecta* abbatissa caput dicitur suæ ecclesiæ, & patrona. quæ vocabula in rigore simul non constant. vtres sua nemini seruit. non patrona est, quæ caput eadem, & superior. & huiusmodi patroni, tanquam superiores in loco, extendunt iura sua ad omnia quæ nascuntur in suo territorio. *arg. c. omnes basilicæ. 16. q. 2.* & ad nouas ecclesias. *d. c. ad audientiam.* de quali patronatu diximus *in Consult. can. de eccl. ædif. cons. 1. & vid. Garciam de benef. p. 5. c. 9. n. 56.* si quid conferat matrix aut illius parochus: aut noua ex necessitate struatur, (vt etiam censetur peregrinorum obsequium. *c. 1. X. de celeb. miss.* (& in quibusdam diplomatibus donantur ecclesiæ sub his verbis, *libera ab omni personatu, & patronatu*: id est optimo iure: salua Episcopi ordinaria potestate.

Itaque, cur hic videatur obtinuisse, vt laici patroni ius vniuersaliter fuerit extensum, etiam ad futura, aliò referendum videtur. neque enim vsus immemorialis & præscriptio hanc causam videntur dirimere: cùm non plus censeri possit præscriptum, quàm doceatur possessum: possessio autem extendi non possit ad futura, & nondum existentia. quia quod nondum est, haberi aut possideri non potest. non entis nullæ esse dicuntur qualitates: adeoque nec possessio. sed & vsurpatio à d. c. 9, l 25. Conc. Trid. in potentibus, ac iurisdictionem habentibus præsumta, nimis vniuersalis in hoc casu videtur, practicato post Concilium etiam Trid. per annos plus minùs octoginta. Credendum est igitur alio olim titulo hæc Comitis antecessoribus obuenisse. verisimile est, vt olim nimiùm frequentabatur, vt Episcopi, & Prælati collegia, ecclesias, earúmue bona subijcerent aduocatiæ Principum, aut potentum, nobilium personarum (quæ aduocatia etiam patronatus dicitur, & aduocati huiusmodi patroni) quod ideoque deinceps prohibitum fuit in Concilio Lugdunensi, *c. 2. de reb. eccles. non alien. in 6.* verisimile est, inquam, huiusmodi aduocatiam pro ecclesijs totius territorij, & omnibus pijs locis cum facultatibus, in quarum possessione reperitur Comes, fuisse concessam. idque eò magis, quod dictus locus olim subditus fuerit Episcopatui Vltrajectino, cuius Præsules magni tum item Principes, non tantum insignia loca, terras, & bona, tunc alijs in feudum dederint, sed etiam ecclesias, & loca pia nobilium virorum aduocatiæ commiserint.

Hoc suppositio, cùm huiusmodi aduocatiæ titulus sit pro d. territorio vniuersalis, possessio & consuetudo hactenus vniuersaliter practicata; dicendum videtur non posse eundem Comitem, eiusue commissarium excludi ab ijs prærogatiuis exercendis in sacello, de quo quæstio; eiusue bonis; quas exercet vniuersaliter in alijs pijs causis per dictum territorium.

Præsertim cùm edictum datum ad Concilium *prouinc. Mechlin. 1607. art. 23. 24. 25.* ad audiendos computus, & administrationem curandam piorum quorumcumque locorum, præter Episcopos, vocet patronos, vel officiarios locorum, eosque qui huc vsque isti rei operam præstiterunt, siue nomine ipsius Principis, siue vasallorum: audiendis autem rationibus, & administrationibus curandis omnium piorum locorum dicti territorij A. hactenus interuenerunt idem Comes, & eius antecessores.

Vel denique verisimile est ius eiusmodi eos obtinuisse concessione Comitum Flandriæ: Comites autem Flandriæ ex concessione Imperatoria, vt Conradus Imp. an. 1140. Godefrido Duci Brabantiæ ius aduocatiæ in omnes ecclesia-

8. Nec in futuris præscriptio sine possessione esse potest.

7. Sed aduocatia armata.

8. Vniuersaliter etiam per territorium.

9. Cum prærogatiuis in alijs consuetis.

10. Vt audiendum computum &c.

sticos, & eorum bona concessisse reperitur, & successoribus; ita vt nihil per potestatem exigant, præter ius aduocatiæ. refert diploma Butkens *aux Trophées de Brabant. Preuues p.* 39. *alia ibid. p.* 16. *de Gemblaco. p.* 24. *de Niuella: p.* 39. *de Tongerlo: &c.* & quamuis aduocati regulariter ius suum. in alios non possint transferre, *c. præterea. X. de iur. patron.* tamen vsus aliquando admisit substitutionem. vt in d. diplomatibus Impp. & in diplomate Gemblacensi permittitur subaduocatus vnicus institui. qualis fortè principio hic institutus aliquis Comitis I. prædecessor. cùm & hic districtus olim fuerit sub Imperio.

In antiquis ante Concilium Lateranense.

Sed neque ijs, quæ de aduocatia diximus, aduersari credendum est d. c. 23. quia facile creditu est antiquissimam hanc familiam; seu ipsum etiam Comitem Flandriæ illud ius obtinuisse ante d. Concilium Lugdunense. neque iterum quod Concilium *Trid. s.* 14. *c.* 12. *s.* 25. *c.* 9. *de reform.* sustulerit omnes patronatus ex priuilegio, & sic qui originem haberent ex concessione Episcoporum, qualem supra hunc dictum est esse præsumendũ: quia in primis d. c. 2. tantùm de futuris priuilegijs agere visum est Lessio: *de iust. l.* 2. *c.* 33. *d.* 5. *n.* 24 *d. c.* 9. *sub fin.* ea saltem videtur tantùm tangere, quæ à 40. annis ante Concilium impetrata essent. vt contra huius iuris origo non tantùm hominum memoriam excedit; sed quatuor sæcula. ac denique, esto, detur ea Concilij loca etiam ad antiquiora referri, & olim concessa complecti; ob verba d. *c.* 12. *impetrare, vel obtinere*; & d. c. 9. *antiquissimum vsum, memoriam hominum* &c. tamen Concilium Trid. hic tantùm receptum est citra imminutionem iurisdictionis, & patronatus Regis, & vasallorum; multò magis citra præiudicium huiusmodi feudalis prærogatiuæ, aut etiam aduocatię. de qua etiam d. c. 9. non loquitur.

11. An aduersetur Concilio Trid.?

12. Non loquitur illud in aduocatijs.

lex autem noua, prioris non tantùm legis; sed & iuris singulorum abrogatoria, extendi non potest vltra tenorem in illa expressum *l. sancimus. C. de testam.*

Cæterùm in patronatibus in rigore nominis sumptis obtinet, vt ex priuilegio sint aboliti, saltem ad futura non porrigendi; sed id non habet locum in ijs, de quibus suprà initio diximus, qui parochialem iurisdictionem habent in loco vniuersalem, quæ porrigitur ad futura. nam huic accrescit quod de nouo emergit. *c.* 3. *X. de off. archipres. d. c. cum contingat X. de for. comp. in v. ad te*, vtpote *Ordinarium*. vt hæredi simpliciter instituto, altero tantum dato in re certa, illi accrescit; non huic. *l. quoties. C. de hared. instit.* sic ei, qui in territorio vniuersalẽ habet iurisdictionẽ, fit accretio. *Tusc. v. iurisdictio. concl.* 147. qualem habet rector, persona, patronus, ecclesiæ parochialis: in quantum generi per speciem non fit derogatum. atque huiusmodi extensio non dicitur fieri per priuilegium, sed ius commune. neque in rigore nominis patronatus ille est, de quo agit d. c. 9. s. 25. Trid. quod in propria sua significatione est exaudiendum; sed magis ius primitiui parochi.

Rector porro ecclesiæ, & persona parochus vocatur *in d. c. ad audientiam*: & in filiali ecclesia pro patrono *ibidem* habetur. parochus idem, & presbyter ecclesiæ vocatur *in c. ad audientiam. X. de appell. c. cum esses. X. de testam. clem.* 1. *de iur. pat.* & persona. *d. c. quæsitum. 1. q. 3. c. personas. c. bona. X. de app. c. ad hæc de rest. spol.* & qui parochiales ecclesias incorporatas habent, rectoriæ, & personatus iura, præsertim honorifica, ad se trahunt; & prærogatiuâ dignitatis, & vnitæ potestatis vicarium deputandi, patronatus iura imitantur: &, vt confusionem rerum, ita nominum faciunt. sed d. c. 9. strictas, & distinctas vocum acceptiones exigit.

Quæ-

Quemadmodùm cùm an. 1404. Episcopus Cameracensis concessit monasterio T. rectoriam ecclesiæ parochialis D. personatum, ac ius patronatus, in beneficijs actu fundatis, & inposterum fundandis, infra metas d. ecclesiæ parochialis; ex stylo ac more loquendi tunc harum regionum: confirmarunt quidem huiusmodi concessionem duo Romani Pontifices, rectoriam quidem & personatum exprimendo, vocabulum autem iuris patronatus omittendo, ne huiusmodi loquendi modo propriè dictus patronatus comprehensus videretur: cùm impropriè dictus ex concessis, nasceretur: seu potius cum illis idem esset. impropriè autem dicto ea competunt, quæ diximus, propriè non item. *Conc. Trid. s. 24. c. 3. sub fin.* tametsi edictum *ad Synodum prouinc. Mechlin. an.* 1608. *art. 23. & seqq.* quædam tribuat. illudque acci, nendum sit de vtrisque more communi hîc loquendi.

RESPONSVM III.

Quid hodie ad acquirendum patronatum requiratur?

QVod hîc in receptione Concilij Trid. Rex excepit iura patronatuum suorũ, & vasallorum, ad iam constitutos pertinet; non futuros: de iure quæsito non tollendo agit; futuri præiudicium non dicitur: vt non entis nullæ qualitates. In reseruando igitur imposterum patronatu obtinet c. 12. *s. 14. c. 9. s. 15. Conc Trid.* vt titulus sit ex fundatione, seu dotatione ex bonis patrimonialibus, ex necessitate ecclesiæ, cognitione, & decreto Ordinarij.

1. In acquirendo hîc seruandum Concilium Tridentinum.

1. Ex fundatione, ædificatione, dotatione vt acquiratur ius

Iure quidem veteri & fundum, & structuram, & dotem conferebat, qui patronus dicebatur. *c. nemo de consec. dist. 1. c. pia mentis. c. seqq. 16. q. 7. c. filij. c. decernimus. ibid.* indulgentiùs agit d. c. 12. *& d. c. 9.* vt vel fundum & structuram, vel dotationem congruentem admittat: magis adhuc versiculus vulgaris;

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus:

quasi vel quippiam horum sufficiat. & si plures alij fundum, alij fabricam, alij dotem dederint, partiales patronos fieri communiter receptum est. *Rochus de Curt. tract. de iur patron. v. ecclesiam fundauit. q. 3.* etiam inuito priori construentes, nisi is id præstare maluerit. *idem ibid. q. 4. v. construxit. q. 7.* & Concilium quidẽ Trid. d. c. 9. admittit etiam augmentum dotis, nouam constructionem, vt d. c. 12. vel aliam similem causam. d. c. 9. decẽ recitat Zerola. *in Prax. v. ius patronatus. § 2.* sed non omnes omnino similes. quales non sunt quæ vel omnino ex priuilegio sunt; vel non omnino ex bonis patrimonialibus; fundatione, structura, dotatione deductæ. quales patronatus etiam quadantenus solum priuilegiatos d. c. 9. abrogat. quod vt hîc in pridem concessis non obtineat; non tamen de nouo concedi possunt patronatus; nisi cognoscente Episcopo fundatio, structura, & dos sic congrua fuerit. alioquin quod ita acceptũ fuerit, neque satis dignum; in præteritum restitui mandat d. c. 9. *in fin.* minus admittit sub tali onere, nomine, ac seruitute deinceps recipi.

5. Congrua fundatio, structura seu dos requiritur.

Igitur qui vilem dumtaxat fundum, paucorumque aureorum aream dederit, quam occupet structura multorum millium, ex eleẽmosynis peregrinorũ curata, non magis dicendus est fundator, ex sola allusione vocis, quàm respondit S. Congregatio ex dote non congrua patronum non dici: sed dumtaxat benefactorẽ. *apud Riccium in Prax. iurisp. patronatus decis. 140. facit gloss. in c. quicumque 16. q. 7. in v. al quid.*

4. Vilis arcæ donum an sufficiat?

cit

Quidquid igitur olim fuerit, iam nec ratio, nec verba Concilij, neque primæ norum canonum, vt diximus, suffragantur, vt alijs quã condignè fundantibus, vel dotantibus ius patronatus, reseruetur.

5. Fundatio structuram simul & fabricam implicat.

Allegatur quidem c. nobis *X. de cens. patronat. & c. Abbatem in monasterio in verb. possessionis dominus.* 18. *q.* 2. quasi is ibi censeatur patronus, *à Rocho de Curte tract. de iur. patronat. ad verba & ecclesiam fundauit:* sed verbum *possessionis* magis ad dotem pertinet: vel si idem & monasterium struxerat, de quo loquitur, iam ibi & dotem habemus, & structuram: vt pro vili dumtaxat area nihil arguat: sed amplam possessionem & structuram insinuet. sed neque d. c. nobis pro huiusmodi areæ datore quidquam facit. *pro fundatione*, inquit, *ecclesiæ honor processionis fundatori seruetur*: non ait, pro area, aut fundo: sed pro fundatione ecclesiæ. accesserat ergo & structura. & fundare dicitur non qui fundum dat, sed qui fundamenta iacit. adeo vt in d. *c. nobis* vnum & idem sit quod ait in principio *construere*, & in fine *fundare ecclesiam.*

Ibidemque non tam quæstio est, quibus ex causis patronatus deferatur, quam quæ sint illius iura, quæ diuersimoda ibidem referuntur.

Nisi quod quæsitum ibi fuerit à Clemente III. *vt habetur in supplemento, si aliquis efficiatur sola constructione patronus?* qui respondit, non fieri, nisi ecclesiam construxerit, cũ assensu diœcesani: sed *ex eo*, inquit *acquirit*, prout etiam in conuentuali ecclesia, si ita cum Episcopo in fundatione egerit: & *de sua* inquit, *iurisdictione obtinuerit.*

6. Sola fundatio non parit ius patronatus.

Vt neque ipso iure enascatur patronatus. quamuis multi *apud Gartiam de benef. p. 5. c. 9. n. 62. 45.* id existimarint: sed ex concessione ipsius Episcopi. eodem namque modo loquitur c. si quis *Episcopa-*

7. Sed cognitio Episcopi, & reseruatio exigitur.

rum. 16. q. 5. in verb. adscriptæ quoque hæc gratiã reseruetur: vt actu dispositiuo Episcopi, ac reseruatione opus sit. & hæc etiam sit gratia. *Tusc. in verb. ius patronatus concl. 596. & concl. 598. n. 7.*

Quare & veteres canones insequendo Trid. d. c. 9. *in fin.* demandat Episcopis cognoscere diligenter causas patronatus, etiam acquirendi; & nisi in euidentem necessitatem repererint esse legitimè cõstitutos (nota) in totum vt reuocent; minus permittit, vt denuo in tales consentiant, reseruent, vel admittant.

Quare etiam d. c. 9. constitutum est, vt probatio iuris patronatus fiat per authenticas scripturas, essque requiri pro forma censuit S. Congregatio *apud Riccium dict. sup. decis. 141.* vt Episcopi cognitione, decreto, & literis sit opus: non ex solo fundi dono, structurã, ipso iure surgat patronatus. præsertim hodie ob d. c. 9. *s. 25. & d. c. 12. s. 14.* quod & verat deinceps cuipiam acquiri ius patronatus, *nisi ecclesiam*, inquit, *beneficium, aut capellam de nouo fundauerit* (nota coniunctiuam) *& construxerit: seu* (nota disiunctiuam) *iam erectam, qua tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotauerit.*

Qui ergo vilem tantùm aream dederit, nihil de suo aliud in dotem, vel structuram contulerit, patronatum acquirere non potest: nec huiusmodi nomen, magna nimis secum iura trahens, explicita in d. c. nobis, ei Episcopus referre: benefactor quidem dici potest, & honor aliquis sessionis, processionis, sepulturæ &c. ex arbitrio Episcopi ei deferendus decerni.

Sed neque recipiendum videtur quod ait Azor. *Inst. mor. p. 2. lib. 2. n. 19. quæst. 6. post glossi. Innocen. & Panorm.* si aliquis fundum dederit, alter ecclesiam struxerit, tertius dotarit, quamuis inæqualiter con-

contulerint, æqualiter patronos fieri. non enim id conuenit cum Christi parabola, *Luc.7.* vbi ait Simonem rectè iudicasse eum plus diligi, qui plus donauit: sed ex eo iudicio debet ecclesia inæqualiter tribuentes inæqualiter diligere, & remunerari per gratiam patronatus. nec enim in patronatu inæqualitas canonibus ignota est. sed *in clem. vlt. de iur. patronat.* statuitur inæqualitas suffragiorum: vt inter hæredes non per capita numerentur, sed per stirpes. quomodo & accipiendum c. quoniam *X. eod.* & dicitur *in l. 8. D. de pact.* maiorem esse partem pro modo debiti, non pro numero personarum. nec vlla censeri potest comparatio muscæ ad aquilam. adeoque nec eius, qui vilem aream paucorumque florenorum dederit, ad quadraginta millia florenorum, ex peregrinorum eleemosynis in fabricam impensa: vt talis areæ dator capellæ non possit dici simpliciter patronus: sed dumtaxat secundùm quid: & quatenus nigredo reperitur in niue. minùs ab Episcopo ei tale nomen reseruari: obstante vndequaque d. c. 9. & d.c. 12. quod sine congruis meritis ambitiosa istiusmodi nomina reijcit. vt alias cupiditates abominatur c. si quis *basilicam. de cons. d. 1.*

RESPONSVM IV.

Cedi sine sollemnitatibus non potest ius patronatus.

1. Non potest nisi rite alienari, non donari.

ORdo Præmonstratensis institutus specialiter est à fundatore suo S. Norberto in subsidium apostolici muneris. eoque plures illi ecclesiæ, curata beneficia, & patronatus concessi. de quibus priuilegium quoddam Clementis ita habet; Inhibemus etiam ne ecclesias, aut terras, seu aliquod beneficium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personæ dari; siue aliquo modo alienari sine consensu totius Capituli vel maioris & sanioris partis eiusdem: igitur inutilis alienatio est, sine superioris congrua authoritate tractata, & spontaneo plenoque assensu Conuentus, per Prælatum facta cessio iuris patronatus. quippe non tantum aduersus specialem huiusmodi prohibitionem, sed & iuris generalem. eoque imprimis quod in meram donationem incidit, omni iure vetitam. *c. 2. X. de donat.* grauiusque etiam alijs vindicandam. *auth. qui res §. donatarius. C. de sacrosanct. eccles.* neque enim res hæc exilis est, in qua benignior esse possit dispensatio. *c. 3. X. de donat.* quãuis de proprietate dubitaretur. *c. 8. X. de reb. eccles. non alien.* vt ne quidem ob dubium litis euentum transigendo cedi possint istiusmodi iura. *c. Statuimus. c. veniens. X. de transact.* quæ non tantùm veniunt nomine bonorum. *l. bonorum. 49. D. de verb. signif. clem. exiui. §. annui eod. Conc. Trid. s. 22. c. 11.* sed honorifica sunt imprimis alienari vetita. *clem. 1. de reb. eccles. non alien.* vt & iurisdictionem, etiam voluntariam, complectentia. *c. fin. X. de reb. eccles. non alien. d. c. 11.*

Quod si autem res singulares alienari sint prohibitæ, multò magis tota ecclesia. *auth. multo magis. C. de sacrosanct. eccles.* conformiter Innocentius III. *in c. 10. X. de reb. eccles. non alien. possessiones*, inquit, *alienare non debes, aut ecclesias, in quibus monachi ministrare consueuerunt, clericis vel laicis assignare.*

Qui à pupillo emit, inquit lex 23. de *public. in rem act. probare debet tutore authore, l. ge non prohibente se emisse.* adeoque ad exemplum tutoris, vel superioris, oportet in immobilium alienationibus Patris Abbatis authoritatem interuenire. illum regulares vocant ex cuius monasterio colonia sua est deducta. & constitutionibus monasticis iubentur in grauibus causis eius

2. Ex consensu Conventus, authoritate Patris Abbatis.

eius consilio vti, & assensu. quomodo & *in c. 1. de reb. eccles. non alien.* mentio est proprij Prælati, quem glossa *& DD. ibid.* Superiorem immediatum interpretantur: vt eius consensu sit opus: non tantùm, vt illa d. clementina videtur loqui, vbi non est conuentus; sed indistinctè. *vt ibidem Zabarella n. 28. 29.* ex rationis paritate; & argumento clem. *attendentes de priuil. c. Romano. §. ab Archidiaconis de appel. in 6. Siluest. in Sum. V. alienatio n. 3. sub fin.*

Qui igitur cessum sibi allegat patronatum, docere debet lege non prohibente factam esse alienationem. adeoque interuenisse omnia illa, quæ in alienatione bonorum ecclesiæ requiruntur. quæ hîc non apparent.

RESPONSVM V.

An regula Cancell. de infirmis resignantibus obtineat in beneficijs iuris patronatus.

1. Beneficiũ verum sola patroni concessione non potest obtineri.

CVm verum beneficium à sola manu patroni laici non possit obtineri: *c. 4. 10. 15. 21. X. de iur. patronat. c. quod in dubijs. X. de renunc.* & hic vterque litigantium in vim solius prouisionis patroni laici sine institutione canonica possessionem iniuerit, à solo etiam notario dicatur introductus; non videtur hoc beneficium esse verè ecclesiasticum: imò neque officium ecclesiasticum, extra considerationem obiecti & subiecti, in quo non interuenit ecclesiæ authoritas. sed legatum pium dumtaxat, annuum, ex nominatione, seu electione hæredis, seu successoris obtinendum.

2. Quod sic collatum præsumitur non esse

Adeoque videri non potest esse comprehensum sub regula Cancellariæ, quæ dumtaxat loquitur de beneficijs ecclesiasticis. eoque in capellanijs, similibusque fundationibus, quæ non sunt beneficia, non obtinet. *Gomes. ad d. Reg. de infir. res. q. 22.* vt, quod semel placuit, ampliùs displicere non possit: vt deceat beneficium semel datum esse mansurum: vt optio, electio, seu prouisio, hæredi commissa semel facta mutari non possit, quia optando ius omne suum consumpserit. *l. 2. 3. 4. §. & 20. D. de opt. legat. d. c. 4. & 9. X. de iur. pat.* & consequenter rata manere debeat prouisio facta: & præferri qui eam obtinuit ex vero modo vacandi. *c. susceptum. de rescript. in 6.* vt nec l. quoties *C. de rer. vend.* obtinet in beneficijs. *c. ibi qui. de rescript. in 6. c. si tibi absent. de præb. eod.*

Verùm si beneficium, de quo quæritur sit verè beneficium, sed iuris patronatus; contra communes iuris regulas, concessum est patrono laico, vt variare possit, & alios post alios nominare. *c. 5. X. de iur. patronat.* & tunc Episcopus eligit ex pluribus, quem putat ecclesiæ fore magis vtilem, eumque instituit: qui tunc irreuocabiliter retinet beneficium. *c. 3. 12. 24. X. de iur. patronat.*

Adeo, vt si beneficium habeatur pro vero, eiusque institutio ab Ordinario postuletur, is præferendus sit, quem Ordinarius instituerit. *c. 20. 29. X. de iur. pat.* nisi, re adhuc quoad Ordinarium integrâ, admittamus non tantùm patronum laicum variare posse plures cumulando; sed etiam priorem vel secundam præsentationem reuocando, & adhærendo huic vel illi. vt plures DD. huiusmodi reuocatoriam variationem admittunt.

Supponendo autem verum esse beneficium de quo quæritur, videndum est an Regula Cancellariæ Romanæ *de infirmis resignant.* obtineat in casu permutationis. & quidem Gomes. *ad eandem regulam quæst. 19.* hoc *non videtur*, inquit, *habere dubium, cùm in regulis antiquis*

6

& modernis expresè hoc dicatur. sed exinde contendit non in omni permutatione, sed demum imparium beneficiorum habere locum. vt huiusmodi verborum generalitas restringenda sit secundùm causam legis, præsumptionemque fraudis, nascentis ex imparitate. *iuxta d. c. 2. de renunciat. in 6.* quod ait fontem & originem huius regulæ. neque verò infrequens est constitutionem nouam interpretationem capere ex anteriori. alij aiunt constitutionem indistinctè hîc loquentem esse indistinctè accipiendam. *Azor. Inst. mor. p. 2. l. 7. c. 28. q. 5. Rebuff. in prax. ben. p. 3. ad eam Reg. gl. 4. n. 55. gl. 14. n. 6.*

7. Etiam patronatui subiectis.

Ad hæc pridem quæsitum est an regula locum habeat in beneficijs iuris patronatus? quod illa collationis dumtaxat faciat mentionem, quæ non habet locum in beneficio patronatus; sed præsentatio dumtaxat & institutio: & verba propriè sint intelligenda in iuris correctione. *vide Gomes ad d. Reg. q. 17.* quamquam contrà dici possit regulam non esse iuri contrariam, sed explicatoriam iuris prioris *in d. c. 2.* & pro certiori rerum agendarum ratione, quod in d. c. 2. indeterminatè dicitur de infirmo: ideoque arbitrium iudicantis exigebat; nouiter per hanc regulam determinari ad spatium 20. dierum; ideoque & quod locurio sit generalis, cum Azorio *vbi sup. q. 6. Rebuff. gl. 2. n. 39.* 40 existimem beneficia patronatus ecclesiastici non minùs cadere sub hanc regulam quam reg. octauam reseruatiuam mensium, omnimodo magis quàm hanc patronis præiudicialem. & ibi Rebuff. *gl. 5. in fin.* ait hanc regulam obtinere in beneficijs, quæ Rex Franciæ confert ex indulto Papæ, in alijs legem aliam regiam.

8. Ecclesiastico.

9. An etiam laico?

Cæterùm beneficia patronatus laici ab omni dispositione censentur exemta, quæ non tam fauorem, quam grauamen aliquod inferre videatur. *per ea quæ citat Gomes. vbi sup. & arg. Reg. Canc. de derogatione Iur. patron.*

Adeoque examinandum videtur, an ista regula fauorem contineat, an odium. vt fauores patronorum facilè amplientur; odia restringantur. Et quidem non esset verisimile eam regulam Cancellariæ hîc esse receptam quoad patronos laicos, si censenda foret odiosa: cùm ne quidem Concilium Trid. hîc receptum sit, nisi cum expressa restrictione, ne vllatenus aliquid imminutum censeretur circa iura patronatuum Regis, & vasallorum.

Itaque hanc regulam esse fauorabilem rectè censuit Rebuffus *in Prax. beneficiar. p. 3. ad regulam de infirmis gloss. 4. n. 9. Azor. inst. mor. p. 2. l. 7. c. 28. q. 1.* sed & Modernus, *author commentarij analytici in regulas Cancellariæ Rom. ad regulam de infirmis resignantibus n. 98. hæc* inquit, *regula, quamuis nouam dispositionem contineat, & quodam modo pœnalis sit; actum annullando in odium fraudis: iuxta not. per Panor. Felin. Philip. Decium in c. 2. de constitution. Bald. Ias. in l. non dubium C. de legib. non tamen odiosa est, nec exorbitans; sed fauorabilis. vtpote facta tum ad fraudes vitandas, saltem quadantenus restringendas, quod è republica est, & sic fauorabile. l. ita vulneratus. ad leg. Aquil. Bar. Alex. Ias. in l. si constante in princ. sol. matrim. tum ad conseruandũ in hoc statum, & libertatem ordinariæ potestatis.* & infrà, *eadem regula,* inquit, *iuri communi tam consona, quàm nouum remedium contrà nimias vel nimis increscentes fraudes, ad conseruationem iuris communis inuenta.* quapropter cùm hæc regula fraudes resignantium, & permutantium excludat, per quas etiam obrepi possit patrono infirmitatis ignaro, & sic illi per hanc consuli, & magis ecclesiæ decreta seruari, quæ morituris successorem in beneficijs sibi constituere vetant, pro fauorabili

10. Vt regula dicenda sit fauorabilis?

11. Non tantùm ob fraudes vitandas.

12. Sed & successionem excludendam.

bili habenda videtur tam patrono, vt diximus, vt eius deceptioni consulatur, & publico insuper ecclesiæ bono: quæ huiusmodi successiones abominatur. *c. plerique. 8. q. 1. c. 1. De præb.* ex quo Rebuffus *gloss. 4. n. 7.* potius elicitam ait hanc regulam, quàm dumtaxat, *ex c. 2. de renunciat. in 6.* quod fraudibus huiusmodi viam obstruere voluit, porro tam fraudes abesse à beneficijs patronatui subiectis, quàm alijs, & illicitam successionem; boni publici interest. & tales ecclesiæ ordinationes etiam ad beneficia iuris patronatus laici extenduntur. vt *in c. 15. X. de iur. patr.* Alex. III. dicit sanctuarium Dei iure hæreditario teneri non posse: & ex eo *ibid.* decernit super iure patronatus. quemadmodum *in c. fin. X. de conces. eccles. vel præb. non vacant.* Comitissæ Flandriæ scribitur, vt de beneficijs sui patronatus, dum viuunt possessores, nemini successionem promittat. quare & rectè dicitur Rota Romana apud Flaminium *referente Azor. vbi sup. q. 7. vers. Roget.* bis iudicasse diem vigesimũ inceptum, cum eo moritur resignans, haberi pro completo; ideo quod regula sit fauorabilis; & in fauorabilibus dies inchoatus habeatur pro completo. *gloss. in § minorem. v. momentum. D. de minor.*

13. In quibus causis decreta obtinent etiam in beneficijs iuris patronatus.

Igitur cùm grauamen nullum patrono infertur, nec ius eius diminuitur, imò augetur, videtur regula in eo recipienda. non minuitur ius patroni laici, quippe stante regula siue beneficium dicatur vacare per obitum, siue per resignationem, nominatio semper & præsentatio manet illi salua. neque ab alio quopiam sine eius præsentatione potest conferri. *c. 14. X. de iur. pat.* augetur autem; quia si subticita fuerit resignantis infirmitas, & patronus resignatario prouiderit; si infra viginti dies moriatur resignans, poterit patronus per obitum liberè prouidere.

14. Adeoque & hæc regula.

quod non facilè posset sine auxilio istius regulæ. iterum si possessor valens procuratorem constituat, & ille resignet, possessore tam infirmato, qui infra viginti dies moriatur; poterit patronus liberè conferre per obitum, beneficio huius regulæ; quod non posset ex iure communi. fauorabile itaque est patronis, & iuri publico, vt dicamus in beneficijs patronatui subiectis etiam regulam obtinere.

Cæterùm quod si non obreptum sit patrono, sed conscius ille fuerit infirmitatis, & nihilominus resignationem permutationemue admiserit; prouiderit, seu præsentauerit; grauis quæstio est, an resignante intra 20. dies mortuo, liberè possit quasi per obitum alteri prouidere. in simili de ordinario collatore contraria referuntur Senatus Parisiensis arresta, & authores acriter digladiantur. & Rebuffus quidem *gloss. 12. n. 10. & seqq.* contendit ordinarium collatorem (eadem ratio est de patrono) qui contulit per resignationem, eundem exinde conferre posse per obitum. sequitur Azor. *vbi sup. n. 9.* non tantùm vt eidem conferat, sed & alteri. nec ob id dicitur, reprobare, quod ante probarit. *idem Rebuff gloss. 2. n. 36.* nec teneri de euictione. *n. 37.* & d. gloss. *12. n. 11.* conatur soluere arrestum an. 1550. quo dictum fuit collatorem variare non posse. contenditque etiam illo, quod factum suum improbare non possit, excluso; alijs tamen regulam prodesse. ita vt tempore exinde labente superiores iure deuoluto conferre possint. adeoque, si de patrono agatur, Ordinarius iure libero. Modernus verò persistit in illius arresti sententia. *qualia & Papõ. citat. Arrest. d. §. 1. 2. n. 1. & 2.* multisque Modern. contendit in Ordinario, qui infirmi resignationem admisit, contulitque, regulam locum non habere, vt aduersus prouisionem semel factam, quasi per

per obitum rursus possit disponere; atque huiusmodi, vt vocat, negotiationem in beneficijs iure esse illicitam. *vbi suprà n. 22. & seqq. n. 30. n. 71. 84. 99. 107. 331.* quamquam *n. 32.* aliquos casus excipit, si quis error aut defectus iuris interuenerit; vt resignatio aut permutatio esset irrita; pœnitentia, & reuocatio procuratorij interuenerit; aut eidem resignatario conferatur.

17. Regulæ Canc. an pro negotijs extra Cancellariam gerendis scriptæ?

Controuersia igitur hæc est grauis admodum. quod enim ait Modern. *n. 56. & seqq.* Regulam, vt ferè cæteras, pro rebus in Cancellaria Romana gerendis scriptam esse; quodque ferè innuit procœmium Regularum, & ipsa regularum verba: talem & locum habere in negocijs extra Curiam gestis alij non minus contendunt, & in prouincijs obligare. *Azor. vbi supra q. 4. Sarnen. latè q. 2. in proœm. Reg. Canc.* & admittit ipse Molinæus in gratiam collatorũ Ordinariorum *n. 37. 285. 288. apud nos*, inquit, *recepta est principaliter contra Papam, & curiales suos pro Ordinarijs vt latè supra n. 30. & n. 36. & seqq. &c.* videmus etiam si coram Ordinario facta sit resignatio, & resignans moriatur intra 20. dies in mense Pontifici reseruato, Pontificem conferre per obitum. quamquam id in iudicio contradictorio firmatum hîc non memini. & in Gallia partitio mensium ex regula 8. Cancellariæ non obtinet. sic è contrario etsi resignatio fiat ad manus Papæ, & resignans hîc moriatur in mense Ordinarij, etiam hunc conferre per obitum. *Modern. vbi sup. n. 285. Azor. vbi sup. q. 9. Rebuff. Gomes. Flamin. Chokier ad d. reg. n. 20. 21. 22.* vbi & plures citat. neque rationabile videtur, vt pro parte dicatur recepta regula, pro parte non recepta. cæterùm eò videtur spectare maximè Modernus, vt Ordinarius, qui contulit, non posset contra suum ipsius factum venire, & collationem factam per resignationem iterum facere per obitum: quod tamen alij dicunt fieri beneficio legis, ex qua non fit arguenda inconstantia; seu, vt ille vocat, negotiatio.

18. An hæc cessante fraude?

Sed & quamuis fraudes cessent, non cessare tamen illam successionis causam arguit Rebuff. *gl. 4. n. 8.* quã & Azor. vbi sup. q. 11. expendit, & ipse Modern. *n. 36.* vnde & quamuis scienti & volenti patrono fraus non fiat, tamen eius consensus non potest facere, vt canonicæ leges ea de re latæ locum nõ habeant. & quod Modern. cessare velit huiusmodi speciem successionum extra Curiam Romanam; ideò quod resignatio in fauorem ab Ordinario admitti non possit; etiam respondetur non vbique id obseruari: præsertim in resignatione in fauorem, sub reseruatione pensionis, & permutatione etiam imparium beneficiorum: de qua agere etiam dictam regulam diximus. & quamuis dicantur reijci posse, quæ fiunt in fraudem: *ex d. c. 2. de renunc. in 6.* loquitur tamen illud in graui infirmitate, nec exigit 20. dies: & aliàs permutatio regulariter admitti debet. *c. vn. de rer permut. in 6.* quare Chokier *vbi suprà n. 16. si patronus*, inquit, *præsentauerit ad beneficium vacans per resignationem, si resignans moriatur ante 20. dies, poterit iterum præsentare: quia non præsentauit in casum mortis; & prima præsentatio est nulla: ergo non præstabit impedimentum alteri præsentationi. licet aliud consuluerit Decius cons. 224. cui respondet Rebuffus tract. de nomination. q. 17. n. 5.* Ita Chokier. contrà verà Modernus *n. 333. si patronus*, inquit, *ex causa resignationis infirmi præsentauit, & Ordinarius instituit; non potest patronus siue ecclesiasticus siue laicus iterum præsentare ex causa obitus resignantis intra 20. diem siue præsentationis, siue institutionis, secutum. quia hæc regula non habet locum in Ordinario.* Ita Modernus. & Choppin. *l. 1. t. 6. n. 3. de sacra Polit.* ait regulam de infirmis resignanti-

bus non obtinere in Ordinarijs diuersis Senatusconſ. eſſe firmatum.

Ex qua opinionum contrarietate D. Conſulens perſpicere poteſt, quàm ambiguum erit huius rei iudicium. & quamquam aliâs ſecutus ſim opinionem Modernì *in Iur. pont. nou. anal. de renunt. n.* 3. tamen ob generalitatem verborum d. regulæ, *ſi quis in infirmitate conſtitutus &c.* & rationes ſupra deductas, agnoſcere oportet dubiam fore, & ancipitem deciſionem. idque ſic proponere viſum eſt, vt D. Conſulens penitius rem ſuam introſpicere, deliberare, & ſtatuere poſſit.

De cenſibus.

RESPONSVM I.

De viſitatione.

1. Quo fine fiant?

VIſitationes ad corrigenda crimina, & auferenda ſcandala, bonos mores tuendos, & prauos corrigendos inductæ ſunt. *Concil. Trid. ſ.* 24. *c.* 3. vtique illos, qui palã ſunt. *c.* 1. *§. ſane. de cenſ. in* 6. de illis enim, de quibus dumtaxat eſt fama, viſitans non cognoſcere; ſed ad iudicium ordinarium inquiſitionis remittere debet. *ibid.* de occultis autem quia non iudicat eccleſia, nec coactionem nec iuramentum proponere debet. *d. §. ſanè.* quia tum Iudex ſine præuia fama vetatur inquirere; tum alius quiſpiam ſine præuia charitatiua monitione denuntiare. quod ex authoritatibus noui & veteris teſtamenti latè deducit Innocentius III. approbante Concilio œcumenico *in c. qualiter & quando* 24. *X. de accuſat.* quod innouat Concilium Trid. & ab omnibus obſeruari mandat. *ſ.* 24. *c.* 5.

2. Praui mores corrigendi qui palã ſunt.

3. Occulti non ita.

4. De quibus fama, fit remiſsio ad iudicium ordinarium.

5. Sine illa hoc non inſtituendum.

Quare etſi viſitans exegerit iuramentum ſuper quibuſcumque criminibus, ſeu exceſſibus ei aperiendis; non tamen, etiam qui iuramentum præſtiterit, occulta detegere poteſt. In hoc caſu inquiſitionis generalis viſitationum *interrogati*, inquit Leſſius *de iuſt. l.* 2. *c.* 29. *diſp.* 13. *n.* 109. *ſubditi non debent patefacere criminoſos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. eſt communis ſententia DD. D. Thomæ. q.* 69. *a.* 2. *& Caietani in illum art. Soti de tegendo & retegendo ſecreto, membro* 2. *q.* 6. *Nauar. c. inter verba concl.* 6. *n.* 21. *& in Rubr. de indicijs. n.* 87. *& colligitur ex c. Qualiter & quando, ſuprà. Ratio eſt, quia id, de quo nulla adhuc eſt fama, cenſetur occultum, dum via inquiſitionis proceditur: atqui iudicis poteſtas non ſe extendit ad eliciendа occulta; maxima enim inde incommoda in rep. ſequerentur. Itaque etiamſi ſub iuramento, vel ſub pœna excommunicationis præcipiat, vt dicas veritatem de eo, quod noſti; tamen non teneris: ſed potes cum reſtrictione mentali dicere, te neſcire quicquam: intelligendo tacitè, te neſcire eo modo, vt tenearis patefacere.* ita Leſſius. & ex Concilio Agathenſi diſertè decernitur *in c.* 2. *X. de purgat. canon.* vbi Epiſcopus viſitans ſub iuramento, ſeu banno Chriſtiantatis, populum de facto adſtrinxerat, vtique de famoſis criminibus, vt apparet, non occultis delaturum, & populus infamiam presbyteri patefecerat, accuſatoribuſque deficientibus *admoneatur*, inquit, *primò ſeorſim ab Epiſcopo, deinde ſub duobus vel tribus teſtibus: &, ſi non emendaucrit, Epiſcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò nec ſic ſe correxerit, ab officio ſuſpendatur, vſque ad condignam ſatisfactionẽ, ne populus fideliũ ineo ſcandalum patiatur.* vbi per viſitationem ne quidem infamatum publicè increpat; ſed primò ſeorſim, deinde coram teſtibus, tertiò publicè; tum demum incorrigibilem ſuſpendit.

6. Iuramentum de deſectibus indicandis ad occul-

Quin ſi fuerint detecta occulta, etiam quæ viſitati rei fuerint confeſſi, occultam poſſe imponi pœnitentiam, nullatenus publicam aiunt Stephanus Weymſ. *ad di.*

7. Si cauſa detecta fuerint publicè, poſſe imponi publicam pœnitentiam. *cauſ.*

const. 24. Conc. Trid. ſ. 24. c. 3. n. 11. Zerola in prax. ſua Epiſcopal. de viſitation. ca. 5. vbi citat Domin. Soto lib. 4. ſent. diſt. 18. q. 4. t. 5. Didac. Couar. reſolut. l. 1. c. 2. n. 6. quod id ſatis innuat tam d. c. 1. §. ſanè. de *cenſ.* in 6. & Trid. d. c. 3. vt paternâ charitate, chriſtianoque zelo omnes complectantur. *à quo*, inquit Weymſ. *abirent, ſi contra occultè delinquentes correctionem ſuam publicè exercerent, aut ijs publicam aliquam pœnitentiam intungerent. cum per hoc illos palam quodammodo diffamarent contra bene ordinatæ charitatis regulas. d. Dominic. Gem. in d. §. ſanè.* omitto nunc eos, qui non ad finem Concilij & canonum, correctiones aut crimina propalant.

4. Ad iudiciũ deduci non debent.

Ne quidem detectum crimen occultum licere in iudicium inquiſitionis deducere; quamuis etiam duo vel plures iurati teſtes id deponerent, latè docet Leſſius. *de iuſt. l. 2. c. 29. diſp. 15. n. 123.* niſi & rumor ſparſus ſit per maiorem partem viciniæ: *ex c. inquiſit. §. 3. X. de accuſat. reſpondemus nullum eſſe pro crimine, ſuper quo non laborat infamia; ſeu clamoſa inſinuatio non præceſſit; puniendum. quin imò ſuper hoc depoſitiones contra eum recipi non debent, cùm inquiſitio ſolummodò fieri debeat ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt.* & ex *d. c. qualiter innouato per Concil. Trid.*

Et quamuis *n.* 131. praxim ſæcularem contrariam aliquatenus excuſet; tamen *n. 140. abſque præuia infamia*, inquit, *Prælati non debent inquiſitionem inſtituere, præſertim contra perſonas eccleſiaſticas: tum quia harum infamia plus ſcandalizet ſeculares, quàm caſtigatio adificet: tum quia facilius correctione fraterna emendari ſolent: tum denique quia Prælatorum potius eſt in ſpiritu lenitatis ſubditos quoſuis, etiam ſæculares corrigere; quàm aſperitate pœnarum ſæuire.* vnde canones iubent, vt non ad primam famæ inſinuationem inquirant, ſed tum demum quando ſæpius eorum aures pulſauerit.

5. Praxis ſecularium contraria non debet trahi ad forum eccleſiæ.

Magna ſanè eſt obligatio celandi ſecreti illius, ex cuius propalatione ſcandalum veniat. væ mundo à ſcandalo. væ homini illi per quem ſcandalum venit. homini, inquam, humano affectu illud danti. Et propterea non immeritò canones decreuerunt, vt in viſitatione regularium nulli adſint ſæculares; ſed duo tantùm canonici eccleſiæ Viſitantis, ijque in habitu decenti, compoſitiſque moribus. *c. vt iuxta. X. de off. ord.* Ita *in c. non debet.* 30 *q.* 1. crimen commiſſum cum filia ſpirituali punitur quindecim annorum pœnitentia: ea tamen criminis grauitas non ſufficit, vt propaletur: ſed excipitur, ſi non in conſcientiam populi venerit. Vt ipſa propalatione iuductum ſcandalum criminis præponderet caſtigationi; quanto magis inutili manifeſtationi!

6. Secreti huiuſmodi magna obligatio.

Ad vitanda etiam ſcandala.

Ne viſitanti adſint ſeculares, ſed duo canonici.

Sed & ſecretum viſitationis, præſertim regularium, proximè accedit ad ſigillum confeſſionis. de quo latè Malderus *tract. de ſigillo confeſſionis.* vbi *c. 1. ex Leone* 1. pro ſigilli cauſa citat & hanc rationem, *tunc demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia pœnitentis.* quod ſuo modo applicando ad viſitationem; vtilior erit, quò ſecretior: nullus fructus, ſi publicanda credetur.

7. Secretum hoc proximum ſigillo confeſſionis.

Poſt ſigillum confeſſionis arcanum rei publicæ ponit Malderus *c. 2.* tertiò loco ſecretum iniuſtè interceptum; vt alienis literis apertis, ac multò magis per coactionem & iuramentum a viſitante exactum. *contra d. §. ſanè.* & quarto gradu cõmiſſum ab amico: ad quod refert illud Eccleſiaſtici *c. 27. Denudare amici myſteria deſperatio eſt animæ infelicis.* Prælatus viſitans viſitatis amicus eſt, & pater. eademque lege obligantur qui cum eo ſunt, vt in ſigillo confeſſionis alij participatiuè. de quibus ait *c. 13.* & improbæ minas denudationis Rufini ex D. Hieronymo;

8.

scire te iactas crimina, quæ tibi soli amicissimo sim confessus, & hæc in medium te prolaturum: meisque me coloribus esse pingendum, & debere meminisse, quod iacuerim ad pedes tuos, ne gladio oris tui amputares caput meum, quadrat illud Prouerb. c. 15. *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana; Qui autem fidelis est, celat amici commissum.*

Quærit denique Malderus *d. c. 2.* an secretum naturale obliget sub peccato mortali, & asserit obligare in re graui. peccata autem alterius reuelare præsertim in ecclesiasticis, eoque modo vt fiant publica, & graue in ecclesia scandalum oriatur, multò deterius est.

Quæ autem per causam visitationis in notitiam visitantium veniunt, non tantùm obligatione secreti naturalis, sed & arcani amici, & propter Deum, eiusque nomine amici, obstringunt. Vt eo magis denudare eiusmodi mysteria ab ecclesiastico, diceretur desperatio animæ infelicis, & fraudulenter ambulantis.

Sed & Honorius III. author *d. c. vt iuxta.* alio argumento id persuadet, vt in Corpore edito ex authoritate Gregor. XIII. supplementum illius ita legitur; *Vt iuxta illius supremi post Christum pastoris edictum forma factus gregis, ex animo dignoscatur non dominandi libidine, sed amore rectè agendi, debet eum salubriter visitare: sic excessus delinquentium, quantum potest corripiendo, ne reuelet:* (nota) *sic increpando, ne confundat. quia cũ iuxta sapientis dictum secretò sit arguendus amicus, amicitiæ legem violare videtur, si è contra palam arguat increpando.*

De Baptismo.

RESPONSVM I.

De baptismo extra templum non conferendo, nisi magnis Principibus.

BAptismus citra necessitatem extra templum conferri non potest, nisi Regum & Principum liberis. *clem. vn. de Baptismo. Conc. prouinc. Mechlin. 1607. tit. 3. c. 5.* Rituual. Rom. à Paulo V. editum magnos Principes exigit; & vt tunc baptismus fiat in illorum domesticis capellis, seu oratorijs. & clementinæ transgressionem, vt in re graui, mortalem existimant plures *apud Sylvium in resol. v. baptismus, 4. conc. 1.* vbi & eos tantùm Principes intelligit, qui non habent superiorem: sed Tridentinum *s. 25. c. 9.* de talibus *sublimes*, inquit, *ac supremos Principes iura Imperij in dominijs suis habentes.* quales etiam intelliguntur *s. 22. c. 8.* sub nomine Regum. *de quibus latè diximus in Iur. Pont. nou. anal. de religios. dom. n. 8. & seqq.* sed & iterum Conc. *Trid. s. 24. de reform. mat. c. 5. in secundo*, inquit, *gradu nunquam dispensetur nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*: vbi non ita strictè accipiendum est verbum *magnos.* & propterea Zerola *in prax. p. 1. v. dispensatio. §. 2.* videtur comprehendere Barones, & titulatos regni Neapolitani. sed & praxis nunc dispensationes non ad nobiles tantùm, sed & viles personas non rarò deducit. itaque in d. Rituale magni principes non tantùm supremi, & his ferè proximi; sed & titulis eminentes intelligi posse videntur. sed neque ceremoniæ in baptismo sunt omittendæ; nisi forte ob necessitatem, non pompæ; sed quam explicat clementina; *propter quam*

quam nequeat ad ecclesiam absque periculo accessus haberi. nec excusat dignitas baptisantis. *Syluius ibid. conc. 2. & 3.*

De ædificandis ecclesijs.

RESPONSVM I.

De erectione nouarum parochiarum.

1. Quando in proprijs terminis Concilij casus occurrit potius parochia erigenda est quàm capella tantùm.

QVando sumus in proprijs terminis Concilij Trid. *s. 21. c. 4.* vt *ob locorum distantiam, siue difficultatem sine magno incommodo ad percipienda sacramenta, & diuina officia audienda accedere non possint* incolæ ad ecclesias suas parochiales; *nouas parochias etiam inuitis rectoribus* Episcopi *constituere possunt. & ex fructibus quomodocumque ad ecclesiam matricem pertinentibus* competenter dotare; *& si necesse fuerit compellere populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam* noui parochi. *d. c. 4.* nouas, inquam parochias: ita enim Concilium. alioquin vbi non sumus in proprijs terminis Concilij, nec ex distantia, aut difficultate, est magnum incommodum; plures baptismales ecclesiæ in vna terminatione esse non possunt: sed vna tantummodo cum suis capellis. *c. plures. 16. q. 1.* quibus tamen aliquando omnia parochialia tribuuntur; ita tamen vt in summis sollemnitatibus accolæ in sua parochia comparere debeant. *c. siquis etiam. de consec. d. 1.*

2. Alioquin hæc tantùm.

Magno, inquam, incommodo: vtique Iudicis arbitrio; seu boni viri: non equidem delicata censura. & ne sibi quidem commoditates aucupentur magis, quàm vt necessitati satisfiat. cuius causæ aliquid subfuisse videri potest in ea decisione quã retuli in Consult. *can. h. t. cons. 1. §. sed & idem. cui consonat §. vnde si.* ideoque reijciendam censui ad arbitrium Iudicis. tam quod non omnia in capellis fiant, ad quæ parochiani tenentur ex iure communi, & Tridentino; quàm quod magna sit distantia inter pastorem, cuius sunt oues propriæ; vt instituitur in nouis parochijs; & sacerdotes qui in capellis, nec omnia præstant, nec tanquam suis. pleniùs ergo satisfit magno incommodo per erectionem nouæ parochiæ, quàm per capellam. eaque in casu magni incommodi mens esse videtur Concilij Tridentini.

3. Necessitas non commoditas tantùm exigitur.

Sola quidem distantia, aut itinerum difficultas refertur *in d. c. 4. & c. ad audientiam. X. hoc tit.* sed *c. fin. X. hoc. tit.* generalioribus vtitur verbis: *in locis*, inquit, *in quibus populi habitantes oratorijs egere videntur, super basilicarum institutione studeas salubriter prouidere.* quãquam ea generalitas ferè reducenda videatur ad d. distantiam, aut difficultatem: nisi fortè populus ita excreuerit, vt vetus ecclesia totum non capiat. tunc enim vel nouæ ecclesiæ ædificandæ, vel veteres augendæ sunt. *c. præcipimus. 16. q. 1.* nam rerum mutationes vnionem, separationemue postulant. *d. c. præcipimus. c. & temporis qualitas. 16. q. 1.*

4. Nisi de suo aliqui ædificare & dotare velint.

Atque hæc iterum, cùm secundùm terminos Concilij, noua parochia dotari petitur ex fructibus matricis; *iuxta d. c. 4.* aut obuentiones ecclesiasticas intra terminos nouæ parochiæ eidem assignari, *iuxta d. c. ad audientiam.* sed si quis *in sua proprietate voluerit ecclesiam ædificare, de Episcopi consensu licitum est.* ita tamen vt maneat matrici *sua iustitia, & decima. c. quicumque. 16. q. 1.* & sic *in c. 2. X. hoc tit.* leprosis propriam parochiam erigere permittitur: ita tamen *vt iniurioſi veteribus ecclesijs de iure parochiali nequaquam existant.* quamquam ex pietate illis *ibidem*, conceditur, vt *de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.* quæ exceptio, seu priui-

legium in reliquis iuribus parochialibus firmat regulam, seu legem commuuem.

5. Aut saltem non de fructibus Rectoris matricis.

Sed quid si neque præstò sit aliquis, qui ædificare velit ecclesiam, vt *in d. c. ad audientiam d. c. 2.* sed exstet vetus capella, & in ea fundatum beneficium, ac decimis a fundatore dotatum: cui tamen ius patronatus non est reseruatum; petatur que eadem capella in parochiam erigi? & Concilium Trid. generaliter inquit, *nouas parochias constituere possint*, nouam fabricam non desiderat: sua ergo matrici iustitia seruabitur, & decima. quare cùm rectori matricis nihil decedat; non capella tantùm, sed & noua parochia erigi posse videtur. *d. c. fin. d. c. 2. d. c. quicumque.*

Itaque vbi Episcopus iudicat necessariò parochiam erigendam, ratio suffragatur, vt eidem prouidere possit ex fructibus matricis si abundat. *d. c. ad audientiam. VVamesl. de paroch. cons. 437. n. 3.* aut alioquin secundùm c. 13. *§. in paroch. eiusdem Concilij Trid. s. 24.* eoque erectæ ex capella parochiæ vnire beneficium in illa fundatum. cuius etiam decimæ, postquàm ad ecclesiasticam fundationem redierunt, quadantenus censentur ad matricem pertinere, ad sensum d. c. 4. ita tamen vt onera deducantur à fundatore imposita. *l. mulier D. de tur. dot. l. fructus. D. sol. mat. l. 1. C. de fruct. & lit. exp. c. præsenti. §. fin. de off. ord. in 6.*

6. An non possit tantùm, sed & debeat Episcopus hoc casu erigere parochiam?

Sed posito, quod simus in terminis Concilij Trid. an non possit tantùm; sed & teneatur Episcopus erigere nouam parochiam? sanè ita statutum est *in c. ad audientiam in verb. mandamus, quatenus si res ita se habet, ecclesiam ibi ædifices, & in ea sacerdotem instituas.*

Porro Concilium Trid. *d. c. 4.* non tantùm erectionem nouarum parochiarum iubet fieri secundùm d. formam d. c. ad audientiam, adeoque eius decretum innouat, sed etiam ipse contextus indicat præcipi ipsis Ordinarijs, vt necessitati populorum prouideant secundùm diuersam singulorum exigentiam. Vtitur autem Concilium modo imperatiuo; *cogant*, inquit, *Episcopi*: quod non arbitrium liberum; sed præceptum continet. *clem. exiui de paradiso. § item quia praterea. de verb. signifi.*

Idem Concilium quidem vtitur in secundo membro verbo, *possint*; seu quod respiciat ad regularem prohibitionem erigendarum nouarum parochiarum; vt hoc casu distantiæ, & aquarum possint: seu, quod addit, nec exprimebatur in d. c. ad audientiam, vt inuitis etiam rectoribus nouas parochias constituere possint; & portionem assignare suo arbitrio congruam. adeò vt, quamuis fere ante receptum erat erectionem nouæ parochiæ fieri debere sine præiudicio possessoris; *Rebuff. in prax. benef. de erect. eccl. in curatam* non absolutè id nunc obtineat, sed, sicut in primo membro cogit pastores suo sumptu tot sacerdotes assumere, quot necessitati sufficiant; ita in secundo possint inuitis rectoribus nouas parochias constituere, & ex prouentibus illorum eas dotare. imò, si ob illorum defectum id fieri nequeat; ex alijs quomodocumque ad ecclesiam matricem pertinentibus: aut demum populum compellere ea subministrare, quæ nouo parocho sufficiant. *d. c. 4.* adeò vt d. c. 4. eadem ferè ratione de dotanda noua parochia loquatur, sicut idem Concilium *s. 24. c. 13. §. in parochial.* in retere.

Quod si ergo parochiani d. vici, qui vltimò demum loco tenentur, offerrent necessaria nouo parocho subministrare, donec assunde assignata erit congrua dos, per eos, qui de iure teneri declarabuntur; non manet iustum dubium quin ex nunc teneatur Ordinarius nouam parochiam erigere, & dotem partibus postea auditis assignare, super

ſuper prouentibus ad matricem eccleſiam, ſeu parochum, *iuxta d. c. ad audientiam. & d. c.* 4. vel per aſſignationem decimarum, vel per vnionem d. capellaniæ, aut quam aliam commodiorem rationem prouidere. *iuxta d. §. in parochialibus.* quod ſi Epiſcopus citra iuſtam cauſam officio deſit, per appellationem aditus ſuperior ſupplebit.

Quod ſi Ordinario non videbitur caſum ſibi occurrentem ſpectare ad *d. c.* 4. *ſ.* 21. *Trid. d. c. ad audientiam* poteſt iuxta prius membrum d. c. 4. in capella ſtatuere ſacerdotem, qui parochi ibidem vices ſuppleat, dum incolæ ad parochialem accedere non poterunt. & beneficio illud onus imponere. *c. ſignificat.* 11. *X. de præb.* quia omnia beneficia diœceſis ſubſunt ordinationi Epiſcopi. *c. omnes baſilicæ. 16. q.* 1. *c. ſicut vnire. X. de exceſſ. prælat.* Vtique ſine præiudicio poſſeſſoris: ſcilicet ne ipſi fructus minuantur, aut onus vita eius durante ab eo ſubeundum ſit. præiudicium autem, quod non æquè deinceps permutare poſſit, conſiderabile non eſt, quia ius ei non eſt permutandi. *c. quæſitum. X. de permut.* ſed arbitrium Epiſcopo. *ibid.*

De conſecratione eccleſiæ.

RESPONSVM I.

De ceremonijs poſitionis primarij lapidis non repetendis.

1. Eccleſiam quis conſecret, & quam?

Eccleſiam ritè conſtructam atque dotatam conſecrat, conſecratamue pollutam reconciliat ſolus Epiſcopus: *c. nemo. de conſecrat. diſt.* 1. loci: *c. tua.* X. *de conſecrat. eccl.* præſertim hodie: *c. 5. ſ. 6. Conc. Trid.* vt nec delegari poſſit ſimplex ſacerdos. *c. aqua. X. de conſec.* cùm ea res ſit Ordinis: quæ non niſi Epiſcopo delegatur. *ibid.* & *c. quamuis. diſt.* 68. etſi praxis reconciliationē delegari alicubi permittat. *Syluius in* 2. *p. D. Thom. q.* 83. *n.* 3. quam tamen improbat d. c. aqua. die etiam non feſto: *d. c. tua.* ſacrificio miſſæ per Epiſcopum in conſecrata eccleſia peragendo? *c.* 2. *in verb. ab Epiſcopis & non à chorepiſcopis. de conſecrat. diſt.* 1. ex eccleſiæ præcepto. tametſi alioquin non deſinat eſſe rata conſecratio. *Sylueſt. in v. conſec.* 2. *n.* 1. quamuis hodie Pontificale habet, vt Epiſcopus celebret, vel coram ſe faciat celebrari.

2. Quando.

3. Cum miſſa.

Conſecranda autem eſt eccleſia, quæ ambigua eſt de conſecratione. *c. eccleſiæ. de conſec. diſt.* 1. dum neque ſcripturâ, neque teſtibus illa probatur: *c. ſolemnitates. ibid.* (facilè autem ſcripturæ in pariete exaratæ, crucibus, alijſque ſignis creditur. *Panorm. in c. propoſuiſti. X. de conſec. eccl.*) vel ſi parietes ex toto vel maiori parte ſimul corruerint. *c. de fabrica. de conſ. d.* 1. nam ſi per partes diuerſis temporibus lapſa & reſtituta fuerit eccleſia; inſtar ſæpius refectæ nauis *l. proponebatur. D. de iudic.* pro eadē habetur. quod pars reliqua conſecrata, vt dignior, nouam ad ſe trahat. vt oleum conſecratum mixtum non conſecrato. *c. quod in dubijs. X. de conſec. eccl.* Denique ſi parietes in eccleſia toti, vel maiori ex parte fuerint combuſti, vel abraſi. quod pars, quâ chriſmate fuerint inuncti, deciderit. *Panorm. in d. c. propoſuiſti.* non autem ſi tectum, aliáue ædificia lignea, parietibus illæſis, fuerint conſumpta. *c. ligneis. X. de conſec. eccl.*

4. An dubiā de conſecratione?

5. Collapſā, an abraſam?

6. An ſæpius reſtauratā?

Altare autem iterum conſecrandum eſt, cum tabula mota fuerit, vel enormiter fracta; lapis motus, qui ſigillum continet. *c.* 1. 3. 4. *X. de eccl. conſec.* ſi manentem autem eccleſiā ſeu altare pollui contingat; reconcilianda tantùm eſt. *d. c.* 4. *& fin. X. de conſec. eccl.*

7. Altare quando iterum cō-ſecrandū.

Quæ-

8. An primario lapide manente, multis interim incommodis & annis lapsis sit repetenda sollemnis positionis?

Quæsitum est, an posito primario lapide, & fundamentis non parum promotis, opere per iniquitatem temporum interrupto, quin etiam loco per hæreticos in platæam publicam verso; & illis pulsis iterum clauso; post annos amplius 60. animo resumpto ad opus olim cœptum, atque ex parte destructum, rursus perficiendum, necesse sit lapidem rursus ponere ijs ceremonijs, quibus opus est secundùm Pontificale, in positione primarij lapidis? & non esse suadetur ex eo, quod consecratio semel facta non sit repetenda; *d. c. ecclesijs. d. 1. de consec.* & quod iuris est de toto, idem est & de parte. *l. quæ de tota. D. de rei vindicat.* atqui non est ambigendum, quin olim primarius lapis fuerit ritè collocatus: cùm aliter id fieri seuerè sit prohibitum: *auth. vt nemo fabricet oratorij domos. c. nemo. dist. 1. de consec.* & delicta non præsumantur; sed pro actu licito fiat interpretatio. *l. merito. D. pro soc.*

Et quamuis postea pars aliqua murorum super-ædificatorum diruta sit; non tamen peruentum sit ad fundamenta, sed primarius lapis manserit: neque desierit consecratio: quamuis ob delicta illic perpetrata, aliàs deberetur reconciliatio; si foret Ecclesia. *d. c. proposuisti.* manst enim lapis primarius immotus, consecrationem retinens; eo modo, quo de altari decisum est, *in c. si motum. d. 1. de consec.* vt si motum nullatenus sit; quamuis tota ecclesia destructa, illud consecrari denuo non debeat.

Sed an opus sit reconciliatione loci, operi resumendo præmittenda?

9. Vt polluatur ecclesia.

Polluitur ecclesia, (ita vt nec celebrare missam in ea liceat, *c. is qui de sent. excom. in 6.* nec diuina officia, seu horas canonicas, *c. fin. X. de consec. eccl. Hugolin. p. 2. c. 29. §. 7.*) homicido, aut vulnere intra ecclesiam facto, seu aliàs contra reuerentiam loci sanguine fuso: *d. c. proposuisti.* seu humano semine: *d. c. ecclesijs. c. significasti. X. de adult.* etiam inter coniuges, nisi fortè obsessos diu ad vitandam fornicationem. *Syluest. in verb. consecratio. 2. q. 5.* excommunicato, aut pagano in ea sepulto: *c. consuluisti. X. de consec. c. ecclesiam. de consec. dist. 1.* eijciendo, si discerni potest: *d. c. ecclesiam*: non tamen muliere prægnante cum prole simul extincta, ante baptismo. quia tanquam pars matris sepelitur, quæ nondum nata est. *c. si qua. d. 4. de consec.* consecratione per Episcopum excommunicatū facta: *argumento d. c. consuluisti* a maiori. non autem polluitur ecclesia ex alijs delictis ibidem commissis. quia canones illa non expresserunt. neque ob illa reconciliationem præscripserunt, & iuris positiui hæc sunt. sed & ecclesia, quamuis nondum consecrata, sanguinis & seminis effusione quasi polluta aquâ exorcizata lauanda est. *c. vlt. X. de consec. eccl.* quod potest fieri per simplicem sacerdotem, aquâ à se benedictâ delegante Episcopo. *DD. ibid.*

Porro nihil hic proponitur, ob quod locus hic, non moto primario lapide, sit habendus pro polluto. sed quoniam multis locis obtinuit; vt post alia etiam delicta fiat aliqua reconciliatio; rectè fundamenta primario lapidi superstructa aquâ benedictâ asperguntur: noui etiam aliquot lapides, non precibus primario lapidi sacrando proprijs, sed communibus benedicuntur; & operi perficiendo supponuntur, cum benedictione aquæ; nec repetitâ positione crucis: quæ in prima designatione facienda est. *d. auth. & d. c. nemo.*

1. Non semel benedicendus lapis primarius, non moto lapide primario aliqua reconciliatio recte fit.

De

De celebratione missarum.

RESPONSVM I.

De modo rem diuinam peragendi.

QVæsitum est de statutis ecclesiæ collegiatæ circa rem diuinã peragendam à Diœcesano recognitis, mutatis, emendatis, longum esset singula referre, & censere. cùm ergo Concilium Basilienſe ſ. 21. latè & distinctè egerit, visum est extensè illius decreta hîc referre: vt iuxta se posita magis elucescant. nam Concilium Tridentinum *ſ. 22. decreto de obſeruandis in celebratione miſſæ. & ſ. 24. c. 12. ſ. 23. c. 1. & 14. ſ. 22. c. 16. §. nullus. can. quanta §. deinde ſ. 22. ſ. 21. c. 3. ſ. 22. c. 3. & alibi* recitare opus non est: cùm in omnium manibus magis versetur.

1. Statuta canonibus, Concilio Tridentino, Basileensi conformanda.

Grauiter igitur Concilium Basilienſe ſ. 21. officium diuinum facturos monet, vt, sicut qui Principem sæculi rogaturus habitu honesto, gestu decenti, prolatione non præcipiti, sed distincta, attentâ quoque mente, seipsum, ac verba studet componere; tantò diligentius in sacro loco omnipotentem oraturus Deum hæc omnia facere debeat. quomodo & Innocentius III. *in c. dolentes. h. t. præcipimus*, inquit, *in virtute obedientiæ, vt diuinum officiũ nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſè celebrent, & deuotè.* generalioribus quidẽ terminis, sed idem Concilium Basilienſe specialius describit, quomodo clerici ad rem diuinam se debeant componere, quomodo peragere. vtique vt in cathedralibus, collegiatis ecclesijs, *horis*, inquit, *debitis, ſignis congruâ pulſatione præmiſſis, laudes diuinæ Maieſtati per ſingulas horas non curſim ac feſtinanter; ſed tractim, & cum pauſu decenti, præſertim in medio cuiuſlibet verſiculi pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne, & feriale officium differentiam reuerenter ab omnibus perſoluantur.*

2. Quoad præparationem.

Quoad habitum & mores; *horas* inquit, *canonicas dicturi cum tunica talari, ac ſuperpellitijs mundis, vltra mediàs tibias longis, vel cappis iuxta temporum, & regionum diuerſitatem, eccleſias ingrediantur; non capitia, ſed almutias; vel bireta tenentes in capite. qui cum in choro fuerint, grauitatem ſeruent, quam & locus & officium exigunt: non inſimul aut cum alijs confabulantes, ſeu colloquentes, aut literas, & ſcripturas alias legentes, & cum pſallendi gratia ibidem conueniant, muta aut clauſa labia non teneant: ſed omnes, præſertim qui maiori funguntur honore, in pſalmis, hymnis, & canticis Deo alacriter modulentur: cùm dicitur gloria Patri, conſurgant: cùm nominatur nomen glorioſum Ieſus, caput inclinent. nemo ibidem, cùm horæ in communi cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Decanus, vel cui diſciplina chori incumbit, diligenter inuigilet, ne quid inordinatè fiat, & tranſgreſſores mulctentur.*

3. Habitum & mores. cantum, pſalmodiam.

Quod pulsatis signis conuenien- 4. Tempus.
dum dixerit consequenter specialius determinat, vt qui in matutinis ante finem pſalmi *venite exultemus*; in alijs horis ante finem primi pſalmi; in missa ante vltimum kyrie eleison vsque in finem diuino officio non interfuerit, nisi fortè necessitate cogente, ac petitâ & obtentâ à præsidente chori licentiâ, discedere oporteat, pro illa hora absens censeatur. saluis ecclesiarum consuetudinibus, si quæ fortè circa hæc arctiores existant. idem in his obseruetur, qui à principio vsque ad finem in processionibus non permanserint.

Eaque res vt executionem habeat, deputari iubetur aliquis, qui notet personas singulas statuto tempore non conuenientes; iuramento astrictus agere fideliter, & nulli parcere. & vbi singulis horis certæ

5. Notatorẽ, distributiones.

certæ distributiones statutæ non sunt, omnino etiam de grossis fructibus, si opus sit, deputari; vt, iuxta mensuram laborum, plus minusque quis capiat emolumenti. sublato abusu, quo in vna hora dumtaxat præsens totius diei distributiones vsurparet: aut nomine dignitatis, officijue alicuius dumtaxat, qui non actualiter pro vtilitate ecclesiæ abesset, quotidianas distributiones perciperet.

6. De Precibus extra chorum dicendis.

Interserit deinde qualiter extra chorum horæ dicendæ sint. vt, *si orationes*, inquit, *suas Deo acceptas fore cupiunt, vt non in gutture, vel inter dentes, sub deglutiendo, aut syncopando dictiones, vel colloquia, vel risus intermiscendo, sed sine soli, sine associati diurnum, nocturumque officium reuerenter, verbisq; distinctis peragant, ac tali in loco, vnde à deuotione non retrahantur, ad quam se disponere, & præparare debent: iuxta illud quod scriptum est; ante orationem præpara animam tuam: ne sis quasi qui tentat Deum.*

7. Discursibus.

Pœnas exinde proponit illis, qui tempore diuinorum per ecclesiam, aut circa illam vagati fuerint, priuationis distributionis; non tantùm illius horæ, sed totius diei, mensis, aut grauiori; si priori non corrigantur. vt tumultuosis etiam discursibus diuina officia non turbentur. Regulares etiam, qui in conuentualibus ecclesijs circa predicta excesserint, graui pœna superiorum arbitrio castigentur.

8. Tabula & descriptione officiorum.

Insuper, vt cuncta in domo Dei ordinatè procedant, & quilibet sciat, quid sibi agendum immineat, *statuatur*, inquit, *tabula aliqua continuè pendens in choro, in qua quid per vnumquemque ex canonicis, vel alijs beneficiatis, in singulis horis, per hebdomadam, aut aliud tempus, cantandum aut legendum sit, describatur. qui autem secundùm quod ita descriptum fuerit, facere per se vel alium neglexerit, pro qualibet hora distributiones vnius diei amittat.*

Quoad missæ autem celebrationem statuit, vt symbolum, præfatio, seu oratio dominica completè cantetur, nec cantilenæ seculares admisceantur. neque missa etiam priuata sine ministro, aut præter secretas orationes ita submissâ voce dicatur, vt à circumstantibus audiri non possit. 9. Vtendo in miss.

Sed & prohibet, ne tempore missæ maioris, præsertim diebus solemnibus Capitula seu actus capitulares, aut alij tractatus per canonicos celebrentur. nisi fortè vrgens, & euidens ingrueret necessitas. Capitula fieri habeant.

Qui verò ad talem horam Capitulum indixerit, à distributionibus quotidianis per hebdomadam sit suspensus. neque ipsi canonici pro illa hora istas distributiones lucrentur.

Vetat denique ne spectacula in ecclesijs exhibeantur, aut quæcumque ludicra, quamuis speciem pietatis repræsentantia: quibus homines ad cachinnationes mouentur. neue commessationes aut conuiuia fiant. iubet Ordinarijs, & ecclesiarum decanis, & rectoribus, sub pœna suspensionis omnium prouentuum ecclesiasticorum trium mensium spatio, ne hæc aut similia ludricra, neque mercantias seu negotiationes nundinarum in ecclesia, quæ domus orationis esse debet, vel cæmiterio exerceri permittant. transgressores per censuram ecclesiasticam, aliaque iuris remedia punire non negligant. Spectacula in ecclesijs non exhibeantur. comm. nouell. constitut.

Denique omnes consuetudines, statuta, aut priuilegia, quæ suis huiusmodi decretis non concordant, irrita esse decernit.

Ad hæc decreta, aliaque Pragmaticæ sanctioni inserta scripsit Cosmas Guismier, canones veteres conformes citauit. superuenit Concilium etiam Trid. in locis suprà citatis, & quædam constitutiones pontificiæ. (*de quibus egimus in Iur. pont. nou. anal. de cleric. non resid. n. 27. De celebrat. missa n. 9. & 10*

& in Iud. l. 3. c. 5. n. 7 vide latè Dianam & citatos p. 2. t. 12. & 14. vbi multis quæstionibus excutit etiam decreta Vrbani VIII.) & circa diuina officia, horas canonicas, & distributiones satis conformiter statuerunt. Præscriptum tamen tempus quo adesse quemque oporteret, & seruitium quod præstare, magis remisit Trid. *s. 22. c. 3.* ad iudicium Ordinarij *in verb. personaliter competens sibi seruitium iuxta formam ab Episcopo præscribendam quolibet die statuto non impleuerint* &c. vt in Synodo 1. & 2. prouinc. Mechlin. à Sede apostolica approbata, ac alijs quædam circa diuinum officium celebrandum, præsentiã ac distributiones statuta sunt: quæ non verbotenus consonent cum Basilienſi; vt illius clausula irritans eatenus cesset; nec vbique recepta erat: substantia tamen eiusmodi decretorum, quatenus intacta sunt, omnino est retinenda.

12. Arbitrio diœcesani in forma seruitij cuiusque præscribendæ.

Et hîc reminiscendum quod Concilium Trid. *s. 22. c. 3.* decreuerit, vt clerici seruitium præstent in re diuina, iuxta formam per Episcopos præscribendam, adeo vt quod in huiusmodi statutis mutandum emendandumue dixerit, non obstante exemptione, seu consuetudine immemoriali, priuilegio, seu iuramento, sine difficultate recipiendum sit: cùm eis deroget *d. c. 3. s. 22.* Conc. Trid.

13. Præsertim in Synodis.

Id quod multò magis dicendum est de ijs, quæ Episcopi de diuino cultu decreuerint in Synodis diœcesanis, ac multò maximè quæ in prouincialibus, ac nominatim prouinciali Mechlinienſi an. 1607. à Paulo V. probata: Breui dato 4. kal. Maij 1608. in quo hæc verba leguntur: *quemadmodum etiam hortamur, atque Apostolica authoritate, quam à Deibenignitate licet immeriti accepimus, iubemus; vt eius Synodi decreta omnia, quæ ad sacrorum canonum præscriptum omnes istius prouinciæ Episcopos, omnesque eorum diœcesanos* (nota) *obstringunt; ab omnibus quàm diligentissime, & inuiolatè seruentur.* adeo vt & ipsi Ordinarij, super hac re constituendo, contra illorum formam ordinare non possint, nec quicumque diœcesani ijsdem contrauenire.

Hisce igitur omnibus iuxta se positis, quam rectè singula ab Episcopo mutata, emendata, probata sint, facilè eluceſcet.

De immunitate ecclesiæ.

RESPONSVM I.

Miles literas salui conductus Principis discerpens an asylo gaudeat?

IN constitutione Gregorij XIV. super confugientibus ad loca sacra extrahendis edita, exceptum est crimen læsæ Maiestatis. Miles literas securitatis, siue salui conductus, discerpsit, & pedibus conculcauit; cùm prædabundo illi rure opponerentur. procul dubio reus est læsæ Maiestatis. *l. 1. D. ad l. Iul. maiest. Boer. decis. 179. VVesenbec. in parat. D. ad leg. Iul. majest. & quos ibi allegat. n. 4. Tuschus v. majestatis. concl. 7. n. 18.* et & qui statuas, vel imagines Principis conuellit, & deijcit. *l. non contrahitur. l. qui statuas. l. famosi. D. ad leg. Iul. maiest.* nihilominus dicendum est, hunc militem gaudere immunitate. quippe non omne crimen læsæ maiestatis excluditur. *vt in Iur. pont. nou. Anal. diximus tit. de iminut. eccles. n. 10. in fin.* sed illud solum, quod in personam ipsius Principis commissum est. atqui miles hic nihil in personam commisit, neque in ipsum Principis contemptum primariò; sed petulans, furens, prædabundus, & dolore, quamuis improbo atque iniusto, incitatus, quod per conductum illũ prædam sibi destinatam amitteret,

1. Reus est læsæ maiestatis.

2. Sed solum maiestatis in personam Principis crimen asylo priuat.

3. Quale hîc non est.

teret, literas fregit. Quæ circumstantiæ valde in crimine læsæ maiestatis considerandæ sunt. *l. famosi. §. hoc tamen. D. ad l. Iul. maiest. VVesenbec. vbi sup. n.* 6. atque ita arbitrariè tantùm puniendus est. *Boër. & citati à VVesenb. vbi suprà.* quamuis crimen maiestatis facto, vel violatis statuis, vel imaginibus maximè exacerbetur in milite. *d. l. famosi. in fin.* cùm aliàs extremum supplicium læsæ maiestatis reis debeatur. *l.* 1. 2. 3. 4. *D. l. quisquis C. ad leg. Iul. maiest.* Cæterùm si qui imagines, statuas, arma, titulos Principis deijciunt, atque confringunt, quo ostendant se ab eo deficere; & alterius fortè Principis arma refigunt, quem adsciscunt; cũ primariò ea res tendat in Principis, & reipub. læsionem, non minùs ferè quàm si attentaretur in ipsius personam; procul dubio ad supremum gradum læsæ maiestatis id pertinet. perduellionis & rebellionis crimen habet. *d. l.* 1. *D. ad l. Iul. maiest.* cùm opera sint ea rebellium, adeoque eorum pœnæ debeantur. *extrauag. qui sint rebelles.*

4. Quamvis in milite grauiùs.

5. Perduellio asylo an priuet.

Sed quoniam maiestatis reos extrahere ex loco sacro per dictam Gregorij XIV. constitutionem non licet, nisi in personam ipsius Principis crimen commissum sit; obstabit ea constitutio: nisi fortè de primis rebellionis authoribus agatur. cùm Reges & Principes, qui reip. causâ sunt, sæpe minoris æstiment commissa in personam suam, quàm maiestatis suæ repulsam, & reip. euersionem.

RESPONSVM II.

De immunitate homicidarum non proditoriorum.

1. Cædes per bombardã vt ambigua.

QVàm difficilis est inquisitio an homicidium ex proposito, industria, insidijs, & proditione sit commissum; tam periculosum est telũ bombarda, sclopetumue, & multis casibus fortuitis obnoxium. Christophorus Joannẽ bombarda traiecit; ad ecclesiam confugit: quæritur an asylo gaudeat: & ex facto an fortuitum sit homicidium; an præmeditatum; an ex insidijs, & proditione; & ex quali ex his ad ecclesiam confuga immunitatem consequatur?

Ea de re diximus *in Iur. pont. noua. anal. h. 1.* non proditorium homicidam, quamuis præmeditatum, industrium, atque insidiosum immunem esse: ex bulla Gregorij XIV. quæ homicidia proditorios aut assasinos, aut homicidia in ecclesijs, aut cemiterijs committentes dumtaxat excipit; & insidiarum tantùm meminit quoad latrones & grassatores, itinera frequentata, vel publicas stratas obsidentes; qui viatores ex insidijs aggrediuntur. addit Diana *tract. de immunitat. ecclesiarum res.* 33. non tantùm præmeditatum, *res.* 5. insidiosum, *res.* 35. inimicum reconciliatum, & vt videtur, venenosum immunitate gaudere: quod bulla Gregorij proditorios dumtaxat excipiat, vt diximus: adeoque corrigat ius commune: *c.* 1. *X. de homicid.* industrium & insidiosum repellens; & reconciliatus caueri debuerit; quasi semper inimicus: & proditio non sit, vbi vllus vnquam præcessit rancor: neque proditor, qui occidit inimicum à tergo. *d. res.* 5. & 35. vbi in eam sententiam Bartolum citat. *& plures alios.*

Et quamquam *vbi supra n.* 10. industrios & insidiosos homicidas non repelli existimarim; non tamen id tribui iuris communis correctioni; sed interpretationi. cùm nullibi dicat ipse Gregorius se canones extractionem permittentes restringere: sed contra *aliquid ad terrorem*, inquit, *delinquentium; & ad coercenda facinora vltra id, quod prisca illa maiorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum canonum norma,*

mam præscripserat, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittamus. Quod vt planum sit, legendum est c. inter *alia X. de immunitat.* vbi respondet Innocentius III. his verbis, *quantumcumque grauia maleficia perpetrauerit, non est violenter ab ecclesia extrahendus:* & infra, *nisi*, inquit, *publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum; qui dum itinera frequentata, & publicas stratas obsidet aggressionis insidijs, ab ecclesia extrahi potest.* quæ exceptio facit vt in non exceptis stet regula. adeoque illam patiatur d. c. 1. ex antiqua lege desumtum. Ab hac autem regula vlterius excipit Gregorius vltra antiquorum canonum normam, qui proditorie proximum suum occiderint, aut asassini, vel hæresis, aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei sint. & rursus *quique homicidia & mutilationes membrorum in ipsis ecclesijs earumue cemiteryis committere non verentur.* quam exceptionem post Innocentium dedit Gregorius IX. *in c. fin. X. de immunitat.* ijsdemque verbis. qui, sicut ibi exempli, non restrictionis causa ponuntur; ita excipi hic debere diximus. *vbi sup.* vt maneat iuris ibi probata ratio, quod in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium innouet, qui committit in legem.

5. Et verò quod Diana *resp.* 1. contendit omnia à Gregorio XIV. ad vnam formam esse reducta; adeoque & ius commune; non rectè citat. sed *omnia*, inquit Gregorius, *& quæcumque priuilegia, indulta, & gratias tã per prædictũ Sixtum* &c. vt illa vniuersalitas restricta sit ad priuilegia, indulta, & gratias. nec aliter facit Gregorius mentionem iuris communis. & vbi ad finem agit de clericis (nam præcedentia expresè tantùm loquuntur de laicis) sæcularibus, & regularibus, etiam militibus quorumcumque Ordinum; prohibet, ne laici etiam in casibus exceptis se intromittant: etiam vigore priuilegiorum, indultorum, aut concessionũ, *quæ* inquit, *omnia ad terminos iuris per præsentes reducimus:* adeoque ad terminos dicti c. inter *alia. d. c. fin.*

Neque verò his aduersatur finalis clausula, ne quid attentetur 6.
præter aut contra illius constitutionis tenorem, quouis prætextu; adeoque nec iuris anterioris: quippe iuris euidentia, prætextus non non dicitur, sed color quæsitus. vt foret derogatorum iam priuilegiorum, indultorum, gratiarum, concessionum; quin & consuetudinum. quippe vel antiquissimus vsus ideo maximè sustinetur, quod vim priuilegij habere censeatur: si ergo derogatur expresso priuilegio, videbitur præsumpto magis, & tacito esse derogatum. dum iuuant verba d. constitutionis, *approbata, innouata, ac vsu recepta.* mens etiam expressa illis verbis, *ac differentias huiusmodi ad vniformẽ regulã reducere,* & iterum *sublata penitus omni differentia.* vsuum vtique & consuetudinum, de quibus etiam præfatus erat Gregorius. 7.

Apparet autem Gregorium ita canones veteres intelligere, vt nulla crimina *in d. c. inter alia. & in d. c. fin.* non excepta excludant ab immunitate; vt nec ex paritate, identitate, aut maioritate rationis, vt olim scriptores, admittat extensionem. alioquin non ipse ad terrorem, quod ait, casus extractionum non permissos moderatus esset; sed restrinxisset; terroremque minuisset. neque breuia aut rescripta quæ citat Diana r. 1. generaliter statuere videntur; sed ex particularibus loci antè priuilegiati, alijsque circumstantijs: adeoque, exceptis casibus delinquentium in ecclesia, Dianæ sententiæ accessero ex hac iuris interpretatione, non correctione. vt nec extractio sit licita proditorie tantùm lædentis, aut alapam nobili impingentis. quia Greg. homicidium actumque consummatum requi- 8. Eoque qui rei hodie gaudent asylo?

rit. *de quo ille ref.* 4. 24. 31. lædentis Principem de facto recognoscentem superiorem: quia non habent maiestatem, quam exigit bulla. *r.* 6. nec supremi Principis statuas: *r.* 7. quia bulla exigit personam: nec consiliarios: *r.* 20. carcerum effractores, falsarij *r.* 19. pagani, saraceni, infidelis: *r.* 22. quia non persona, sed locorum reuerentia spectatur: apostatæ: *r.* 23. clerici: *r.* 24. si ad sanguinem quæratur, non si ad correctionem. nam etsi bulla priùs loquatur de laicis, ad requisitionem sæcularium Iudicum extrahendis; tamen ad finem de clericis, & ecclesiasticis personis vetat sæculares se intromittere; priuilegia contraria reducit ad terminos iuris; quod indistinctè tribuit immunitatem religioso. *r.* 25. *Marth. de iurisd. part.* 4. cap. 59. non aufert hæretico in loco vbi hæresis non punitur: *r.* 29. fraudulento decoctori. *r.* 32. occidenti clericum: *r.* 34. excommunicato: *ibid.* blasphemo: *r.* 38. 39. damnato ad triremes: *r.* 40. Quoad autem delinquentes in ecclesia; cùm d. c. fin. & bulla huius, vt diximus, eadem sint verba, eandem esse mentem credendum est. nouamque legem capere interpretationem ex antiqua, illiusque ratione, eoque non tantum in ecclesia furantes, *vt diximus in Iur. pont. anal. de Immun. n.* 10. sed & alia crimina committentes asylo non gaudere dicendum est. secus quàm existimet Diana *r.* 2. 9. 10. 11. 13. 17. 21. 25. quare etsi fraudulentus decoctor in narratiuis verbis à Greg. XIV. referatur; non tamen in dispositiuis exceptus gaudeat asylo, vt diximus. si tamen manet in nequitia, bona codicesque occultat, iam peccat in ipsa ecclesia; præsertim si de hoc monitus, pertinax maneat, eoque extrahi meretur hoc nomine: quamuis non publici latronis à Greg. excepti, qualem hîc censeri rectè negat Diana *p.* 1, *t.* 2. *r.* 31. etsi à Pio V. vt fur publicus alioquin puniri iubetur. Id verò etiam noui iuris est in d. bulla, quod reorum extractio fiat remota appellatione, vt tamen omnis euitetur error, solis Episcopis, & eorum Officialibus, nullis autem inferioribus, quamuis Ordinarij sint, extrahendi licentiam dare permittit. & solus cognoscit Episcopus, seu ab eo deputatus, an crimina excepta confugæ commiserint. & tunc per Iudicem ecclesiasticum, & de mandato tamen Episcopi, consignantur seculari.

Igitur dicendum est præmeditatum quamuis industrium, & insidiosum homicidam dummodo non proditorium aut assassinum neque ex iure communi neque ex d. bulla, immunitate asyli priuari. Restat ergo videre quod hic genus homicidij interuenerit, exactè Menochius *de arbitrar. cas.* 361. disquirit, quo modo animus deliberatus in homicidio probetur: producitque aptissimum Ciceronis locum *l.* 2. *de inuent. causa distribuitur*, inquit ille, *in impulsionem & ratiocinationem. Impulsio est, qua sine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur. vt amor, iracundia, ægritudo, vinolentia, & omnino omnia, in quibus animus ita videtur affectus fuisse, vt rem perficere cum consilio & cura non potuerit: & id quod fecit impetu quodam animi potius, quàm cogitatione fecerit: ratiocinatio autem est diligens & considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. & l.* 10. *off. in omni*, inquit, *iniustitia permultum interest, vtrùm perturbatione aliqua animi qua plerumque breuis est, & ad tempus; an consulto, & cogitatè fiat iniuria. leuiora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea quæ meditata, & præparata inferuntur.* ita Cicero; quæ secundùm leges latè explanat Menochius. *cas.* 361. *de arbitr.* & 20. coniecturas refert, quibus probetur meditatio, atque propositum, *quod etiam exactè enucleat Mascard. de probat. verb.*

verb. homicidium conc. 864. *idemque Menoch. de præsumpt. l.* 5. *præs.* 40. *&* 10. vbi ait *n.* 3. *& seqq.* immunitate non gaudere, qui sub illius spe homicidium commisit: & *n.* 16. spem præsumi, vbi reus statim à perpetrato crimine ad ecclesiam confugit. sed cùm Gregorij XIV. constitutio huiusmodi spem non recenseat, nec *in c. inter alia. nec in c. fin. de Immun.* excipiatur; admittenda non est hæc exceptio. *Layman theol mor. l.* 4. *t.* 9. *c.* 3. *n.* 7 *post Abbat. Ang. Nau. Zuar.* manet tamen præsumptio propositi: quam etiam recipit Martha. *de iurisdict. p.* 2. *c.* 51 *n.* 2. hæc nostro confugæ obijcitur, atque vnus testis explosa bombarda fugisse ad ecclesiã ita statim, vt ille diceret læsum apparere ab explosione, & ad chirurgũ currere. alius tamen testis contrà ait, explosione facta perrexisse in suo itinere domum suam versus; & demum postea vertisse se ad ecclesiã: & reus in examine se demum esse regressum ait postquam filius obuius ei nuntiauit aliquẽ esse læsum.

1c. De homicidiũ cõmittente spe immunitatis.

11. Indicium propositi.

Altera coniectura est ex genere armorum, de qua *in l.* 1. *§. diuus. D. de scar. Menoch. d. præs.* 40. *& cas.* 361. sed rursus nullum homie genus armorum magis est subiectum fortuitis casibus, quàm bombarda.

12. De genere armorum, & præsumtione animi ex bõbarda.

Et quoniam quilibet natura bonus esse præsumitur, sine dolo, & delicto: *Menoch. de præs. l.* 5. *præs.* 1. 2. 3. & accusare non sufficit; sed homicidium meditatum esse probari debet: *c. significauit. X. de homicid.* eoque vnus nic testis ait se, videntem bombardam vertere reum ad coronam militum, in qua stabat, dixisse quid decrit decurion? in nos bombardam vertit: contrà alius testis ait se vidisse explodentem aduersus fossam, seu aggerem, & globum excitasse puluerem, & dixisse quod imperita esset, & periculosa talis explosio; reus ait in examine, se exonerare voluisse bombardam cùm domum iret; antea oneratam cùm putaret se foras iturum: exoneratam autem aduersus aggerem; & in ipso actu posteriorem bombardæ partem non nihil decidisse, anteriorem esse eleuatam; & sic globum potuisse attingere superiora aggeris, & verti in occisum.

Arguitur contrà, quod in carcere rogatus à socio, responderit se voluisse honorariam explosionem facere, *een eer-schent*; & incidisse in hoc infortunium: talem autem explosionem non solere in fossam dirigi: & more militari domum regredientes vt exonerent bombardam, sursum in aërem explodere: ergo obtinere versum vulgarem, *Omne malè factum præsumitur actũ. c.* 1 *X de præsumt.* at contra rursus ille testis progressum esse reum nulla corporis turbatione, quasi nõ conscium rei male gestæ. refertur etiã in actis immediatè à tè fuisse in hospitio, vt non incredibile sit titubasse; aut in explosione non firmiter constitisse, &, quod allegat, bombardam anterius eleuatam posteriori parte depressam; factum esse ex potu, quamuis non fuerit plena ebrietas.

Denique asserit idem testis, se vidisse in explosione reum nullatenus collimasse, vt fieri solet ab ijs, qui globum in scopum certum dirigunt: & ex plurium testium dictis constat difficile fuisse in vnum singulariter explodere, sine periculo aliorum, qui erant in corona: imò impossibile si duobus globis bombarda fuisset onerata: alios autem amicos fuisse rei, quod præsumptionem nocendi tollit: *Menoch d. præs.* 40. *n.* 15. *& seqq.* & pro reo facere, quod aduersus eum suprà allatum est, dictum socio in carcere, tanquam à deplorante infortunium. *vt ex Grammat. idem Menoch n.* 29.

Ad extremum allegatur pugna, quæ ante aliquot septimanas contigerat inter reum & occisum, reo tunc occisum è domo ad pugnam euocante; vt ait, obsympo-

13. De præuijs inimicitijs & reconciliatione.

potus, ab vxore rei factam; & rixas tunc secutas. Sed & cùm ab aduocato rei responsum esset interueniſſe reconciliationem; replicatum est per hoc dilemma; si mansit rancor, præsumptio est præmeditati animi: si reconciliatio interuenit; proditorium est iã amicum nihil amplius mali cogitantem, aut cauentem, & qui eodem die paulò antè quasi exituro reo felicem fortunam apprecatus fuerat, traijcere. Reus in examine dixit expressam non interueniſſe reconciliationem cum occiso; sed tantùm pluries post pugnam simul eos combibiſſe. de qua compotatione etiam ex testimonijs constat: eoque formatur contrarium hoc dilemma: si reconciliatio fuit vera, more Belgarum, præsumptionem esse pro reo, & infortunio; non præmeditato proposito: si reconciliatio habeatur pro non vera; tunc eodem modo Italico dicendum, non videri proditorium homicidium inimici reconciliati: secundùm Dianam: præsertim quod accidit intra paucos à reconciliatione dies, *vt Menochius alij q; authores vbique.* quod tempus, etsi Menoch. *d. cas.* 361. *n.* 18. *& alibi* arbitrarium facit; tamen ex ratione *legis si vindicari. C. de pœn. & c. cùm apud.* 11 *q.* 3. ad dies triginta, seu aliquot septimanas ita durare dicendum videtur; vt impediat sedatam cogitationem; tollatque omnem animi perturbationem; dum aliud non probatur. neque enim solum homicidium sufficit. *d.c. significauit. X. de homicid.* ideoque Mascar. *d. conc.* 864. *n.* 27. *& seqq.* quærens an accusator animi propositum, an reus infortunium probare debeat? concludit vtrumque probationes inducere: reum; vt absoluatur: *l.* 1. *C. de sicar.* accusatorem; vt ille damnetur. *d. l.* 1. *§. diuus. D. eod. ex re*, inquit, *constituendum hoc, nam si gladium strinxerit, & in eo percusserit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse: sed si claui percusit, aut cucuma, in rixa, quamuis ferro percusit; tamen non occidendi animo; leniendam pœnam eius, qui in rixa casu magis, quàm voluntate homicidium admiserit.*

14. An accusator propositum, an reus infortunium probare debeat?

Porro in dubio quamuis coniecturæ proferantur pro accusatore, & aliæ sunt pro reo; nec iam indubitatè, vt loquitur Iurisconsultus, occidendi animus probatur; fauorabiliores sunt partes rei, quàm Actoris. adeò vt accusato aliqui deferendum censeant iuramentum, super animi intentione. *citati à Mascar. vbi sup. n.* 20. cùm Pontifex *d. c. significauit* solâ assertione rei fuerit contentus, & circa grauia etiam crimina, quando verisimiles tantùm sunt coniecturæ, indicatur purgatio canonica. *c.* 1. 4. *& tot. tit. X. de purgat. canon.*

15. An iuramentum accusati deferendum?

Id quod in hac materia immunitatis ecclesiasticæ eò magis est admittendum, non tantùm quod multi contendant pœna ordinaria homicidij puniendum non esse, qui tantùm præsumptionibus conuincitur: *Menoch. de præsum. l.* 4. *p.* 97. *lib.* 5. *p.* 41. *n.* 15. sed ideo maximè quòd in dubio respondendum sit pro ecclesia, adeoque illius immunitate. *c. fin. X. de reiud.* eademque immunitas non sit concessa in gratiam criminosorum; sed ipsarum ecclesiarum; reuerentiæque diuinæ. eoque non tam in causa sua reus, quàm ecclesiæ testari videatur. quod canones in monacho pro monasterio admittunt. *c. cum nuncius. c. in super. X. de testib.*

16. Præsertim in quibus ne immunitas.

Et quamuis daremus non leues tantùm insidias, industriam & stratagema hic esse, sine quibus vix soleat esse homicidium præmeditatum, *Menoch. d. cas.* 361. *n.* 30. sed & subtiliter cogitatas; iterum redit solutio hæc; insidiosum homicidam à Gregorio XIV. non arceri ab asylo. quem plures à proditorio malè non distinguunt.

17. Iterum à præmeditatione & fide.

Restat igitur inquisitio proditionis,

tionis, etiam posità præmeditatione, & exclusò infortunio. & memoria repetendum est dilemma, quod suprà est positum; vt quamuis admittamus reconciliationem, per actus compotationum; nullibi tamen in actis ponitur, aut probatur, specialis aliqua amicitia vera, aut simulata inter reum & occisum; quæ ad qualitatem proditorij exigi videtur. *Menoch. d. cas. 361. n. 24. Diana & citati vbi sup. & alij passim.* vt osculum ludæ, cædes Abner, & Amasæ à Ioab facta, Vriæ per Dauid; & aliæ ab authoribus *d. n. 24. citatis* allatæ.

18. Proditorium vt sit accipiendum?

Proditorium quidem diuersimodè accipitur: vt est apud Farinac. *q. 18. n. 74. & seqq. Tuscum v. proditor. conc. 896.* propriè tamen respectu priuatorum proditor dicitur qui sub clypeo, prætextu, colore amicitiæ offendit. cùm ergo de præiudicio priuilegij ecclesiæ minuendo agitur, verba nouæ constitutionis strictè sunt interpretanda de eo, qui dum se amicum ostendit, seu fingit, aliud facit. *d. l. 1. D. de præuaricat. l. athletas. §. pen. D. eod. c. transferunt. 24. q. 3. c. omnis. X. de pœnit. & remiss.* quamuis enim, qui eum, qui neque amicus est, neque inimicus, offendit sine prælia diffidatione, vt loquuntur, accedere ad proditores videatur; pluriumque ea sit sententia; tamen axioma illud, *nemo volens percutere dicit, caue*; significat latam illam esse acceptionem: in fauorem autem ecclesiæ mox diximus verba bullæ strictè esse accipienda. nam summa est ratio, quæ pro religione facit. & vbi diuersæ sunt Iudicum sententiæ, statur illi, quæ fauet piæ causæ. *c. vlt. X. de sent. & re iud.* quanto magis id obtinere debet, vbi tantùm Interpretes dissentiunt? nisi altera opinio esset euidenter iniqua. *Tiraquell. de priuileg. piæ causæ priuileg. 147.* sed piæ causæ semper fauendum est, & secundùm illam in dubio iudicandum. *idem priu. 146. 148.*

19. In dubio sentiendū pro immunitate.

LIBER QVARTVS.

De sponsalibus & matrimonio.

RESPONSVM I.

De matrimonio invito, nec intelligente parocho attentato.

QVod à Concilio Trid. statuitur *s. 24. de reform. mat. c. 1. §. qui aliter* accipiendum est, vt in l. coram *Titio D. de verb. signif. l. diem §. coram D. de arbit.* vt & scire debeant parochus & testes, & intelligere quid agatur. non etiam consentire. *scire*, inquit d. l. coram, *non etiam velle debet: nam & inuito eo rectè fit quod iussum est.* in eamque sententiam Cardinales Concilij Interpretes sæpius responderuunt, validè contrahi matrimonium coram parocho, & testibus inuitis, mutuo contrahentium consensu intellecto. *d. c. 1.* scire ergo, intelligere, videre, in conspectu habere, oculis, auditúque percipere parochus debet actum, agentesque. *Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. d. c. 1. n. 79. diximus in Consult. can. de sponsal. & mat. cons. 3. & 4.*

1. Valet coram invito, modò intelligat.

Negat hic Pastor se vidisse

2. An pro intelligente habendus sit cùm alij quod agebatur intellexerunt?

iuuenem, negat se audiuisse respondentem filiæ dicenti, *accipio te in virum.* contra asserunt testes duo, vterque parens filiæ se audiuisse, vidisse, intellexisse: parochũ videre, audire, intelligere potuisse, & credere intellexisse, nisi ignorantiam affectarit. in hac dissonantia valet discertio Iudicis: cui illa remittitur. *l. 21. §. fin. & ibi DD. D. de test.*

Numerus hinc testium, inde persona parochi, vitâ laudabilis, fide digni; inde præsumptio, quod quis scire præsumatur quod omnes, qui adfuerunt, sciunt: inde iuramentum contrarium, causam perplexam faciunt. & quidem si vnquam vnico testi, cuius nihil interfuit, credi posset, ex certa scientia deponenti; vt vult Faber *& ab eo citati def. 35. C. de test.* id maximè recipiendum esset in parocho de actu sui officij testante. *vt diximus d. cons. 3.* vt & parochialibus registris omnem fidem tribuit edictum an. 1611. *art. 20.* & præsumptæ scientiæ præualet ignorantiæ iuramentum. *c. vlt. X. qui matr. accus.* nisi grauis nimirum esset præsumptio. *c. vidua. X. de regular.* vt nullatenus illa verisimilis foret. *c. quia verisimile. X. de præs. Viuian. in Ration. ad d. c. vlt. Menoch. de præs. lib. 1. q. 77.*

At hîc constat cùm per fraudem vocatus esset parochus, & contrahere L. & F. contenderent, magnos exortos esse clamores: parochum fugere, alios retinere conatos: bilem illi motam, mutatum vultus colorem, inter violentiam hinc ad erumpendum, inde ad retinendum: adeo vt apoplexiam ad sex horas veritum se fuisse declarauerit. verisimiles ergo hæ sunt negotij circumstantiæ, vt non vidisse, non audiuisse, non intellexisse possit credi.

Vt omnino distractis contingit, obuios non videre, ita vt agnoscant: sonos non audire, ita vt exaudiant: oculos quidem aureſque percuti; visa tamen, auditaque non animaduerti: ad intellectum non penetrare: ita parocho hic accidisse iurato credendum videtur; eius eximiâ probitate expensa.

At obijcitur affectasse parochus ignorantiam; eoque perinde habendum, ac si intellexisset. *c. cum non stat. de reg. iur. in 6. à contrario sensu. c. imputari. ibid.* sed hæc locum habent, cùm alicui incumbit quid facere, vel non facere; quando casus illi adscribitur, cuius culpa accidit; neque excusari meretur, qui ibi necessitatem iniecit. *Canſ. & DD. in d. c. imputari.* at hic nulla parochi culpa potest argui; nec ignorantia rectè vocari affectata; quod vitium sonat, vt ex Erasmo notat Spigel. *in Lex. v. affectare* & de Tuberone ait lex 2. *D. de origin. iur.* Concilium Lateranense de clandestinè contrahentibus *c. 3. §. si quis. X. de clandest. desponſ.*

Vbi *d. c. 3. in princ. & §. fin.* grauiter sub pœna suspensionis sacerdotibus prohibet, ne clandestinis matrimoniorũ contractibus, seu quæ præuias non habent denuntiationes, interſint. vtique ad sensum d. l. coram, ne placido lumine videant; audiant, interſint, adeoque tenentur, si possint, fugere; & euadere: non videre, non audire, non intelligere, si pœnas velint euadere.

Non ergo culpabiliter affectasse ignorantiam dicetur hic parochus: non quasi in contumaciam affectantis præsumetur pro contrahentibus, sed in officio suo incedenti per viam d. c. 3. fides tribuenda erit; quæ eis debetur, qui ritè functiones suas obeunt. & hic ad sensum Concilij Trid. præsentem non fuisse. & quamuis dicantur Cardinales Interpretes respondisse pro matrimonio, dum parochus ignorantiam affectauit; ad eam tamen declarationem respondimus *d. cons. 3.* præterquam quod Vrbanus VIII. iam decreuerit,

uerit, ne vllis declarationibus huiusmodi in iudicio, vel extra fides habeatur; nisi appareant sigillo Cardinalis præfecti munitæ, & secretarij manu signatæ. quod & tum æquissimum est, cùm non videntur cum iuris ratione conuenire: vt non illa cum d. l. coram. d. c. 3.

4. An obsit partium confessio?

Nihil etiam arguit confessio Juuenis, quæ alioquin etiam in matrimoniali causa omnes probationes superaret, *VVames. de spons. & mat. cons.* 529. *n.* 20. vt pro iudicato videatur habendus: *l. vn. C. de confess.* quia confessio tantum valet quoad confitentem: neque recipitur, si naturæ, aut iuri repugnet. *l.* 13. *D. de interrogat. act.* non ergo illius confessio probat parochi intelligentiam, sine qua matrimonium consistere non potest iure Concilij Trid. eius ergo confessio aduersus huiusmodi ius, & veritatem nihil probare, aut præstare potuit. sed eam Iudex sequetur, quatenus ei nota erit eximia, quam diximus, parochi probitas.

RESPONSVM II.

De proprio parocho.

COntrouertitur matrimoniũ, quod coram parocho contractum est, an validum sit, quod Concilium Trid. loquatur de proprio, in verb. *ter approprio contrahentium parocho*, & continuo sensu sequitur §. qui aliter. qui in c. omnis. *X. de pœnit.* dicitur proprius sacerdos. sub quo scilicet contrahentes domicilium habeant. *Triuis. l.* 1. *decis.* 23. *n.* 1. seu sufficientem habitationem; contrahentes autem eam hic non habuerint. sed sponsus sub alia parochia, sponsa autem moram quidem aliquam sub illo parocho fecerit; domicilium non habuerit. quia cùm legitima non esset; & hodie stricte liberi naturales non sint; *Cuiac. l.* 5. *obs.* 6. *in fin.* de familia non sint; sed extranei: §. *si adversus. institut. de nupt.* patrem solæ nuptiæ demonstrent, *l.* 5. *D. de in ius vocand.* ideo matrem illi non patrem sequantur; *l. cum legitimè D. de stat. homin.* adeoque maternum nõ paternum domicilium, *Piasec. in prax. Episcopal. p.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *n.* 2. *vers. ratione domicilij. Gonsal. ad reg.* 8. *Cancell. glossa.* 9. §. 1. *n.* 14. *& seq.* illudque non hoc sit hîc attendendum. *l.* 1. *in fin. l. eius qui D. ad municipal.* domicilium autem originis, vt hîc est maternum, dicatur immutabile, *l. assumptio. D. ad municipal. l. origine C. de municipal. l.* 10. ac durare præsumatur, donec probetur mutatum; *Baldus in l. fin. n.* 2. *vers. sed sufficit. C. si à non competent. Iud. d. l. assumpt. & gloss. in verb. mutare. & verb. non domicilium. in fin.* eoque minus, quod pupilli sine tutore nihil agere, adeoque nec domicilium constituere sibi possint; vt opus fuerit titulis *D. & C. vbi pupillus educari, vel morari debeat*: adeoque sponsa hîc minorennis domicilium maternum mutare non potuerit, & sic nec parochiam aliam nanciscì, quamuis tunc, per aliam occasionem missa, apud patrem sub illo parocho moraretur.

2. An illud mutare & aliud sibi constituere possit.

Sed enimvero decisum est filiumfamilias constituere sibi posse domicilium: *l.* 17. *D. ad municipal.* & morari vbi debeant pupilli leges decernunt; non vbi minorennes: qui sine curatore agere quod lubet, & contrahere possunt. imò nec curatorem inuiti accipiunt, nisi in litem. poterunt ergo sibi constituere domicilium & habitationem parochialem. præsertim cum puberibus permissum sit contrahere matrimonium, illiusque & spiritualium rerum respectu habeantur pro maiorennibus. &, quæ de materno domicilio dicta sunt, non de quibuslibet illegitimis, sed de vulgò quæsitis dicta

3. Iam pubes.

1. Filia illegitimè nata an extra domicilium maternum rectè contrahat.

dicta sunt, qui spurij & apatores, quasi sine patre, dicuntur. & propterea Celsus *in. l.* 1. *D. ad municipal.* cur vulgo quæsitus matris conditionem sequatur; *quam enim*, inquit, *aliam originem hic habet?* & ibi glossa; *certè nullam.* si ergo illegitimus patrem habet, originem eius & conditionem sequi poterit. sed, vt id ex iure non disputemus; certa hic consuetudine inductum est, vt quæcumque illegitimæ proles à patre agnoscendæ, alendæ, & educandæ sint, natæ ex muliere, cum qua ille copulam habuisse se fatetur, vel probatur, illaque patrem illum esse iurauit. & est assidua hic huiusmodi mulierum aduersus tales viros petitio, mille exemplis vsurpata his verbis; *vt proles pro suis agnoscant, ad se recipiant, & pro suis deinceps alant.*

4. Et quæ nō sit vulgò quæsita.

5. Vel & illa per mores.

Eoque hic magis hæc sponsa patris domicilio adscribenda fuit, quod tempore matrimonij contracti apud patrem morabatur; nec destinauerat positiuè ad matrem regredi: quod domicilio sufficit. cui nec refragatur intentio manendi dumtaxat, donec causa forte præbeatur mutandi. *l. ciues. in verb. nisi quid auocet. C. de incol. l.* 10.

6. Consideratio domicilij.

Igitur sponsa vbi contraxit, domicilium habuisse censetur; aut, si non illud in summo rigore; saltem talem habitationem, mansionemue, quæ contrahendo matrimonio sufficiat. *per ea quæ deduximus latè in Consult. can. de sponsal. & mat. cons.* 13.

7. Mansionis morosæ.

Neque mouet, quod initio dictum est, de immutabilitate domicilij originarij; seu quod consuetudines A. habeant, quod ne quidem alibi nubens (quod iure secus *l. vlt. C. de incol.*) desinat illic esse ciuis: quia leges intelligendæ sunt quoad munera loci originis; vt subterfugere illa migrando non possit ciuis. cæterùm luce clarius est, quod & alibi habitare, & domicilium constituere possit, *l.* 3. 4. 6. 11. *§. fin. l.* 17. *§. patris & tit. D. & C. ad municip. & de incolis. l.* 10.

8. Mutabilitas.

RESPONSVM VII.

De milite mutante locum ad tempus expeditionis, non præsidium.

CEnturia destinata est ad custodiam & præsidium fluminis N. distributa in diuersas munitiunculas in ripis exstructas, intra diuersarum parochiarum limites: pars alio diducta ad limites alios custodiendos, dum coit exercitus; quo rursus in hyberna redeunte illa ad prius præsidium redire solet: contraxit matrimonium miles coram parocho prioris suæ munitiunculæ; centuria castrensi sacerdote carente; cum muliere, quæ cauponariam exercebat sub alia parochia, in præcipua munitione centuriæ: nec satis constat, an is in priori munitiuncula fuerit assiduus; an alio deductus; obtento commeatu in paucos dies ad priora redierit; vt matrimonium hoc contraheret: & nunc quæritur an illud sit, validum; quasi non contractum coram parocho habitationis mulieris; nec satis constet an ipse tum in d. præsidio moratus fuerit, dum contraxit.

Necessitas quidem facultatem tribuit parocho administrandi peregrino sacramenta necessaria. *c. 1. X. de celebrat.* sed matrimonij sacramentū necessarium non est. & propterea Concilium Trid. *de reform. mat. s.* 24. *c.* 1 celebrari illud tantum permittit coram proprio parocho habitationis. nisi contrahentes sint vagi. *c.* 7. *ibid.* quales no sunt milites. *vt diximus consult. 3. 4. 6. cons.* 7. quorum sacramentum vagationi aduersatur: quamuis frequenter loca mutent; sed ex ducum & centurionum iussu: dum dicunt

1 Milites possunt libere contrahere vagus

dicunt huic, *vade, & vadit: illi, veni, & venit.*

2. Sed coram parocho firmi præsidij.

Quare & miles, qui in firmo præsidio est, habitationem imitatur, & coram parocho præsidij matrimonium rectè contrahit. *l.* 19. §. 2. & 3. *De iudic. c.* 3. *de sepultur. in* 6. *l.* 23. §. 1. *D. ad municipal. miles*, inquit, *ibi domicilium habere videtur, vbi meret*: & adscriptus munitionum suarum glebæ, cui datus est præsidio. *arg. l.* 12. §. 23. & 37. quod si autem ad exiguum tempus alicubi subsistat, vt quasi per modum transitus ibi sit; non censebitur loci parochus illius proprius. *d. l.* 19. §. 3. & propterea per Concordata Delegati exercitus declaratum fuit antiqua præsidia spectare ad Ordinarios locorum. & anno 1624. idem repetitum, adiectumque ab Ordinarijs solis curam animarum fixorum præsidiorū committi, exercentes approbari, & facultates recipere debere: & iterum, *non licere parochis assistere militibus, seu personis de exercitu matrimonium contrahere volentibus, nisi tanquam præsidiarij in eorundem parochorum parochijs resideant.*

3. Non vbi est per modum transitus.

4. Quid vbi mora nec exigua est, nec diuturna?

Sed dum mora est nec perpetua, nec momentanea; causa præsidij nec nata durare diu nimium, nec statim cessare; satis est perplexa consideratio: vt in mortuo ad tempus depositio, aut in perpetuum sepulto. *l.* 4. *l.* 40. *D. de religios. & sumpt. fun.* &, dum fundus legatur, cum ijs qui ibi erunt, in pecunia, quæ ibidem est fœnerandi causa: *l.* 44. *D. de legat.* 3. aut præsidij: *l.* 79. §. *fin. eod.* ad tempus vel ad futuras necessitates: *l.* 39. §. 1. *D. de aur. & arg. leg.* qui in villa est recreationis causa. *d. c.* 3. in academia studiorum: *l.* 2. *C. de incol.* nam si maiori parte anni alibi habitet, contrahere hic non potest matrimonium: si morali modo æqualiter vtrobique; poterit contrahere vtrobique. vt casum vtrumque sæpius à Concilij Interpretibus decisum referunt authores.

Igitur an miles eductus ex suo præsidio in aliam quasi expeditionem statariam ad custodiendos alios limites, per æstatem duraturam, an ex quasi æquali ibidem habitatione, seu mansione, potuisset contrahere; non opus est ex facto hic disputare: sed hoc dumtaxat, an obtento ad dies commeatu reuersus ad priorem stationem, coram parocho suæ munitiunculæ? & dicendū videtur potuisse. quia centuria præsidia fluminis N. primitus destinata retinebat: quamuis rariori milite: paucis inde numeris aliò ad tempus translatis; signis aquilisque ad flumen remanentibus: vbi merere censentur: quamuis annona & stipendia regia ad expeditionem aliò comitentur.

5. Potest in loco præsidij etsi ad tempus absuerit expeditionis causa, ex eadem etiam mox recessurus manente præsidio.

Sicut autem in patria possessiones habens, retinet nihilominus prius domicilium: *d. l.* 23. sic etiam d. Concordata. *art.* 1. & 2. Gubernatorem generalem, domesticos vtriusque sexus, corporis custodes, nobiles, & alios inferiores in his partibus habentes suos Ordinarios, dum sub ijs, seu in domicilio agunt; eosdem illis subijciunt, dum in exercitu, Delegato.

Similiter censendum est militem de quo quæritur, dum temporalem expeditionem ad tempus relinquit, reuersum ad præsidium centuriæ destinatum, quamdiu centuria ibi hæret, meretque, retinuisse præsidiariam munitiunculę habitationem, subiectionemque parochialem: &, ad imitationem ex villa reuersi, potuisse hic matrimonium contrahere; quamuis illo contracto reuersurum ad numeros aliò ad tempus missos: adeoque matrimonium, de quo quæritur, valide fuisse contractum.

De

RESPONSVM IV.

De matrimonio contracto de licentia generali parochi coram alio sacerdote.

QVoniam Concilium Trid. in matrimonij contractu exigit parochi præsentiam, aut alterius sacerdotis, de illius seu Ordinarij licentia; frequenter in controuersiam venit, an sufficiat indefinita concessio supplendi vices parochi?

1. Qualis generalis sufficiat?

Et quidem specialem licentiam non requiri rectè docet Sanches. *l. 3. de mat. disput. 35. n. 5.* cùm id Concilium Trid. non exigat: sed sufficere ea mandari quæ ad curam animarum spectant, seu parochi officium. vt decisum ait Hurtado *apud Barbos. in coll. DD. ad Conc. Trid. s. 24. de mat. c. 1. n. 127.* imò Concilij Interpretes *apud Ceuall. in Spec. commu. op. q. 604. n. 114. Pontium. l. 5. c. 29. n. 1. non sufficit,* inquiunt, *tacita licentia, quæ resultat ex tolerantia: requiritur verò vel commissio generalis administrandi sacramento, vel, si hæc absit, expressa, vel specialis licentia.* vbi Pontius *n. 2.* notat & generalem sufficere; & verbo *sacramenti* etiam assistentiam matrimonij intelligi. idemque ante illum docuit *Bonacina, Reginald. & Rebell.* denique *Sanches vbi sup. n. 8.* huiusmodi assistentiam comprehendi admittit, si qua coniectura probabilis fuerit animi delegantis.

Generalis ergo licentia sufficit. quamquam nec desint qui, etsi expresse omnium vniuersaliter sacramentorum administratio concessa foret, id commodè contendant intelligendum, de necessarijs; non de matrimonio; cuius non eadem sit ratio: atque ita multò magis indefinitam esse restringendam: & ita accipiendam esse bullam Cruciatæ declarasse Rotam. *qua de re Sanches de mat. l. 3. disp. 35. n. 8. & quos plures citat Barbosa vbi suprà.*

Denique Ægidius Coninck, *alijque ab eodem Barbosa citati n. 129.* negant mandato contineri assistentiam matrimonij sub generali cõmissione administrandi omnia sacramenta: quoniã præsentia, quam præstat parochus matrimonio, nõ est ministratio sacramenti, cùm ipsi matrimonium contrahentes sint ministri, presbyter publicus tantùm testis: sed in negocijs moralibus loquendum, iuxta philosophum, vt multi. *c. humanæ aures, 22. q. 5.* vsus autẽ loquendi sub administratione sacramentorũ comprehendit etiam ministerium parochi matrimonio coniungentis, iuxta Trid. d. c. 1. *in verb. & ego vos coniungo.* &c. quod quidam adeo extollunt, vt parochum matrimonij ministrum faciant. iuuanturque illis verbis, *ego vos coniungo.*

Quinimo decisum est, in matrimonio *c. 7. X. de sponsal.* vt si alter alterius verba non intellexerit, *ad communem*, inquit, *verbi intelligentiam recurratur. & cogatur vterque verba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare,* & consonat *l. Labeo D. De suppell. legat.* communem ergo intelligentiam sequemur: & quam ipsis Cardinalibus Concilij Interpretibus huiusmodi verba generarunt.

Opponitur tamen regula iuris, *in generali concessione non venire, quæ quis in specie verisimiliter non esset concessurus.* vt in generali mandato non continetur matrimonium. *c. fin. de procurator. in 6.*

Sicut etiam generaliter responsum est, ea quę speciali notaegent, nisi specialiter designentur, omissa censeri. *l. item. §. ait. D. de iniur.*

Quin & verisimiliter concessio in specie præsumi non solet, cùm cara aliqua quis habet. vt in l. obligat. *6. D. de pignor.* generalis obligatio

ligatio non comprehendit supellectilem, vestem, mancipia, quæ in vsu quis habet necessario, vel maioris momenti sunt. *c. fin. de off. vic. in 6. l. filiusfam. 7. D. de donat.* vbi generale mandatum non complectitur donationem: *c. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* vbi facultas eligendi confessarium, non continet facultatem absoluendi à reseruatis.

Sed iterum respondetur assistentiam nullam habere comparationem cum ipso matrimonio, quo corpora in mutuam tradantur seruitutem, & nisi sit animorum consensio, perpetuam gehennam: vt sub generalibus verbis quis seipsum non ita abdicare censendus sit, cùm parocho ex sola assistentia nihil decedat, vel accedat.

Quinimo & Clement. 1. *de priuileg.* eodem fere gradu videtur statuere, vnctionis extremæ, vel eucharistiæ sacramentum, viaticum ministrare, vel matrimonium solemnizare.

Igitur cui vices ministrandi viatici, pœnitentiæ, aliaque pastoralia alijs prohibita, commissæ sunt; & matrimonij celebratio censenda videtur etiam demandata, sub generali seu vniuersali locutione.

3. An indefinita locutio matrimonij assistentiam comprehendat?

Sed an etiam sub indefinita? & quidem pro iuris axiomate est receptum, vt dicatur indefinita locutio in iure æquipollere vniuersali. in iure inquam; non vi logica verborum. suffragantur leges *si pluribus* 44. *in princ. D. de leg. 2 l. si necessarias §. si annua. D. de pignor. act. l. in vsu* 158. *D. de verb. signif. l. si pluries* 98. *de leg. 3.*

4. Quando indefinita æquipolleat vniuersali?

Sed imprimis indefinita censetur æquipollere vniuersali, seu generali; in causis fauorabilibus. *Tuscus vbi sup. n. 5. & 10.* fauorabile autem est matrimonium: *c. fin. de sent. & re iudicat. Sanches l. 3. disp. 35. n. 19. in fin. l. 1. disput. 18. n. 5* etiam quoad forum internum: neque tantùm quoad causam in facto dubiam; sed etiam in iure probabiliter controuersam; vt pro illo pronuntiari debeat. *ibid. n. 6. & 7. Nauarr. cons. 15. de conuers. coniug. Malder. 2. 2. t. 9. c. 1. d. 4. Siluius Resol. var. v. mat. XI.*

6. Etiam spiritualibus.

Indefinitam etiam in materia spirituali accipiendam pro vniuersali, valde probat c. *vnam sanctam. de maior. & obed. in extrauag. comm. in verb. dicente Domino ipsi Petro, pasce oues meas*, inquit, *& generaliter non singulariter has vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur vniuersas.* vbi disertè generaliter oues Dominum dixisse dicit, cùm dixit indefinitè, & intelligi vniuersaliter. nec minùs latè illud verbum *pasce* accipitur, cùm inde & primatus, & tota authoritas Petri, & successorum eius deducitur. vnde & hîc latè accipienda videtur facultas administrandi sacramenta, secundùm facultates loquentis.

7. Vbi eadem ratio est.

Enimuero authores axioma æquiparans indefinitam vniuersali, ita solent exaudire, vt habeat locum; vbi eadem omnino ratio est: quod si illa fuerit dispar, non obtineat. *Tuscus latè Concl. pract. v. indefinita æquipollet vniuersali, & quando secus. concl. 86. vbi multos authores, & conclusiones refert:* quantum ferè substantia est; vt paritas & disparitas rationis distinguat.

8. An hîc paritas?

Negant verò solemnizandi matrimonij, aliorumque pastoralium administrationem eandem esse rationem: sed mox diximus in d. clem. 1. *de priuil.* satis comparari: atque ideo ex communi iuris ratione censendum, id, quod generaliter aut indefinitè concessum porrigitur ad alia sacramenta, & pastoralia, esse etiam intelligendum de sollemnizatione matrimonij.

9. Nisi circumstantiæ aliud suadeant.

Communi, inquam, iuris, sermoniſque ratione: contingit enim ex alijs causis aliud dici oportere. atque inprimis si mens mandantis

contraria eluceat: *l. in ambiguis. D. De Reg. Iur.* quamuis verba impropriarentur, illa sequenda est. *l. semper in stipul. 34. D. de reg. iur. l. insulam 6. D. de præscript. verb. tot. tit. C. plus valere quod agitur. & in venditionib. 9. vers. planè si in nomine D. de contrahend. emt. l. 1. §. conuentionis D. de pact. c. humanæ aures in fin. 22. q. 5.*

10. Vel si deprehendatur contraria mens testantis.

Elucere potest seu in alijs verbis, seu factis. attenduntur enim antecedentia & consequentia dicta, & facta: *l. hæredes. 21. §. sed & si. D. qui testam. facere poss. l. sed Iulian. §. proinde. D. Ad Macedon. ibi, intelligendum ab initio sic accepisse. Menoch. de præsumpt. l. 6. pr. 38. a. n. 23. vsque ad fin.*

11. Vt illa eluceat ex antecedentibus & consequentibus.

Iterum in ambiguis, quod solet fieri, actum censetur. *l. certi condictio. §. si nummos. D. si certum petatur.* & quod communiter fit, factum præsumitur. *Euerard. loc. leg. à communiter accident.* consuetudo patrisf. & regionis attenditur. *l. si seruus plurium 50. §. vlt. D de leg. 1. l. nummus 75. D. de leg. 3. l semper 34. D. de reg. iur.*

12. Fieri consuetis.

Si tamen de more delegantis, aut loci consuetudine non appareret, ad terminos iuris redeundum est. *l. 2. in verb. ad ius retulit. C. de hæred. instituen.* sed & quando varius mos est, vtique non attenditur. *d. l. semper. 34. D. de reg. iur.* sed & præter morē fuit hîc ægrorum & profugorum multitudo de qua mox infrà, vt extraordinario eguerit remedio: & quæ obscurè dicta sunt, etiam vbi de matrimonio quæritur, iuxta communem intellectum accipi debent. *d. c. 7. X. de sponsal.*

13. Aliàs ad ius referendum est.

14. Etiam cùm mos est varius.

Sed & contingit limitatam esse delegandi causam, quæ limitatum producit effectum: & indeterminatum sermonem causa determinat. *l. 5. & ibi Barth. D. de admin. tut. l. cùm pater §. dulciss. D. de leg. 2. Gail. l. 2. ob. 88. n. 8.* ex causis dicendi assumitur intelligentia dictorum. *c. 6. X. de verb. sign.* ideoque delegatio interpretanda est secundùm terminos primordialis causæ. *l. 5. D. de administrat.*

15. Causa limitata determinat effectum.

Denique vbi rationabiliter hæsitatur, contra eum facienda est interpretatio, qui legem dicere potuit, debuitque apertius. *c. contra eum. de reg. iur. in 6. l. veteribus. D. de pact. l. in contrahend. D. de reg. iur. l. cum in lege. D. de contrahend. empt.* contra proferentem: ergo tunc indefinita æquiualet vniuersali, secus si pro eo faceret. *Tuscus. d. c. 98. n. 20. post Roman.* At verò, vt id obtineat, vbi inter aliquos de contractibus agitur, sed vbi tertij interest, non item: vt hîc cùm de validitate sacramenti. vbi in vero dubio interpretatio facienda esset pro matrimonio. *d. c. fin. X. de reiud.*

Speciales ergo circumstantiæ excutiendæ sunt, an hîc communi iuris rationi aliquid detrahant. constat ergo hîc *datam esse iurisdictionem, potestatem, & facultatem administrandi sacramenta: sed sine distinctione, aut reflexione ad matrimonium*: verba sunt ipsius parochi, & his conformia ipsius sacerdotis, qui matrimonium, vnde quæstio, solemnizauit. mos non fuit parocho isti, alijsue istius vrbis ita indefinitè committere, præter vicepastores: ipse parochus, cùm primùm rogatus fuit, dixit se matrimonium istud pro valido habere, perinde atque si ipse celebrasset: alijs cùm similem facultatem dedit, solitum se esse excipere matrimonium.

Illud nonnihil propiùs inspiciamus, an generalis locutio à causa sua hîc determinetur. Causa ergo committendi fuit multitudo eo tempore ægrotorum, & aliorum ex omni vicinia armis gallicis infesta eò confluentium: cui curandæ solus parochus, & vnus vicarius par non erat: eoque testatur parochus *ex ea occasione facultatem* esse datam, & Ordinarius se, ideo parocho mandasse, vt plures

res assumeret subsidiarios.

18. Causa finalis non impulsiua determinat effectum.

Sanè indeterminatè dictum determinatur secundùm suam causam: sed vtique finalem. qualis in legibus suprà citatis proponitur: non ita secundùm suam causam impulsiuam; quam dispositio sæpe excedit. & inter vtramque pulchrè distinguit lex *cancellauerat. 2. D. de his quæ in testam. delen. in ambiguo autem benigniorem interpretationem sequi, non minus iustius est; quam tutius* inquit l. *3. ibid. d. l. 2. in fin.* multò autem maximè

19. Vt illæ distinguantur?

20. Pro fauorabili causa in dubio censendū.

in fauorabili causa, vt matrimonij, pro ea respondendum est; quamuis dubium grauius sit: vt in libertate serui, quamuis nomen inductum esset, constituit Antoninus, fauore libertatis *d. l. 3. in fin.* &, cùm argumentum est variationis, pro subsistentia actus præsumitur. vt cùm duo exstarent instrumenta eiusdem supremæ voluntatis, alterum testator cancellauerat, alterum integrū reliquerat *l. 4. ibid.*

21. Vt hæc vel illa causa præsumatur: hæc vel illa hic intelligatur?

Ad hunc modum Tuscus multis docet causam finalem regulare actum. *v. causa. conc.* 135. *& conc.* 141. quærit causa finalis quando dicatur; & quando impulsiua? & *n.* 21. præsumi causam finalem cùm adijcitur à lege, vel Principe: n. autem 14. impulsiuam quando à testatore, vel contrahente, vel quando ad fauorem recipientis, vel tertij. *n.* 18.

Vbi autem dispositioni adiectū est verbum, *occasio*, latè docet idem Tuscus *conc.* 318. *v. dictio occasione, quid importet.* denotare causam impulsiuam; nullatenus autem finalem. *post Baldum, Cornetum, Felinum, & Ioannem Andreæ*, referentem obtentum in practica, quod causa sit finalis; occasio, impulsiua.

Vnde multitudo profugorum, & ægrotorum fuisse causa hic impulsiua videtur adlegendi subsidiarios; non finalis: præsertim addito hoc verbo *ob occasionem* multitudinis ægrotorum, & aliorū, quo vsus est parochus, qui administrationem sacramentorum commisit, ideoque non vt profugis tantùm, & ægrotis subsidiarij operam præstiterunt; sed indifferenter omnibus, citra difficultatem.

Sed an ea expressio *occasionis multitudinis ægrorum & aliorum egentium sacramentis pœnitentiæ, viatici, & extremæ vnctionis*, impediat indefinitam locutionem comprehendere assistentiam matrimonij, quam adeo multi non exigunt infirmi, aut profugi? dubitatur nunc ex hoc facto: & pugnat tam verbum *occasio*, quàm fauor matrimonij, contra restrictionē: impulsiua enim causa non restringit; sed finalis dumtaxat: & de hac accipi tantùm potest quod cessante causa cesset lex, & dispositio testantis: ant contrahentis; non autem vbi cessat impulsiua, cessat dispositio.

RESPONSVM V.

De putatiuo pastore.

QVamuis Concil. Trid. *s. 24. de reform. mat. c. 1.* omnes omnino matrimoniū contrahere volentes inhabilitet ad contrahendū aliter, quā coram proprio alterius parocho, vel alio sacerdote, de illius Ordinarijue licentia, & duobus saltem testibus; contractusque irritos atque nullos faciat: frequenti tamen sententia receptum est, vt quamuis parochus interdictus, prohibitus, priuatus, iniustum titulum habens, aut propter aliquos iuris defectus nullum, atque etiam parochus putatiuus sit tantùm, matrimonium tamen sit validum. *citati à Barbosa in Collect. DD. ad Concil. Trid. ad d. c. 1. n. 87. & seqq.* sed tamen nō quomodocumque putatiuus singulari quopiam priuati alicuius sed populari, atque communi errore, ex titulo saltem colorato, atque aliqua possessione. vt *in l. Barbarius Philippus. D. de off. prætor.* Barbarius seruus cùm esset in candidatorum numerum irrep-

1. Putatiuus sufficit ex communi errore, non singulari.

serat, à populo prætor fuit constitutus, officiumque exercuit; atque ob communem errorem, bonumque publicum acta eius sustinentur. idem est *in l. 2. C. de sent. & interloc. om. Iud.* cùm ergo error priuati vnius tantùm est, non idem receptum est. *l. nulla. qui & à quib. manum. lib. l. non idcirco.* 44. *§.* 1. *D. de iudic. optimè Cuiac. obs. l.* 18. *obs.* 33. *Hotoman. quæst illust. c.* 17. *quos sequitur Busius ad d. l. Barbarius.* vt in errore nõ probibili aliud obtinuit. *c.* 2. *de constit. in 6. c. dudum el.* 2. *de elect. Vers. in multarũ animarum.*

Porro in præsenti causa error actricis priuatus est, suppositi caculæ, in vicem parochi, sacerdotali veste induti, personam non agnoscentis.

2. An coram sic putatiuo actus habeat vim sponsaliũ?

Videamus, an actus coram personato parocho celebratus, saltem habeat vim sponsalium? & quidem cùm omnis omnino abfuit parochus, eam controuersiam in vtramque partem agitant doctores *citati à Barbosa vbi suprà n.* 150. 151. dum Concilium *d. c.* 1. & contrahentes reddit inhabiles, & contractus nullos. & quidem subtiliter disputari hæc possunt, quando contrahentes in nudis verbis substiterunt. Nã licet *in d. c.* 1. *in verbis ad sic contrahendum, & huiusmodi contractus* partium inhabilitas & nullitas actus, vt talis, decernatur; non tamen alio quouis modo; vt idem Concilium *s.* 25. *de regular. c.* 15. professio ante ætatis & nouitiatus annos ibi præscriptos *sit nulla*, inquit, *nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus.* & *c.* 16. renuntiatio secus quam ibi præscribitur facta *sit irrita*, inquit, *& nullius effectus.* quæ adiectiones faciunt, vt cùm illæ desint decreto d. c. 1. non absratione dubitari possit, an nullitas illius extendatur ad omnes omnino alios effectus; præsertim illos, qui proposito fini, intentionique Concilij non aduersantur? quemadmodum sæpe respondit S. Congregatio Interpretum Concilij Tridentini decretum d. c. 1. non extendi ad sponsalia de futuro; eo excepto, quod per copulam nunc non transeant in sponsalia de præsenti. *vt retulimus in Iur. Pont. nou. anal. de sponsal. in principio, & plenius citati à Barbosa vbi supra. n.* 146. 152.

Sanè authores *citati ibidem n.* 151. graues sunt, neque rationes leues in defloratis bona fide, non aliqua erga decretum ecclesiæ *d. c.* 1. contumacia contrahentibus, quanto magis dum sub vmbra ecclesiastici ministri sacrilegè decipiuntur; vt omnino actus, si non valet, vt agitur, valeat meliori modo quo valere potest. vt inimpuberibus sponsalia de præsenti vertuntur in sponsalia de futuro. *c. fin. in fin. X. de desp. impub. c. vn. §.* 2. *eod. in 6. in verb. quæ iuris interpretatione fuerint sponsalia de futuro*, & in verb. *contractus valuit vt potuit; non sicuti agebatur.* & causam vbique assignant doctores, fauorem matrimonij. qui vtique & hic deberi videbitur ei, quæ nulla erga ecclesiæ decretum contumacia fuit, sed miserabiliter decepta; & sub specie proprij parochi. & propterea Concilium Trid. *d. c.* 1. *§. qui aliter.* dum vtitur verbo *attentabunt*, præsumptionem & contumaciam aduersus ecclesiæ decretum denotat. quæ in hoc casu non inuenitur, cùm personâ proprij parochi, quis induit adeo quidem, vt quamuis matrimonium omnino serio *ante d. §. qui aliter* inculcauerit coram proprio parocho contrahendum, atque aliter validum esse nequeat; posse tamen videatur eam recipere fauoris interpretationem, vt vim sponspalium habeat.

Enimvero *vt in Iur. Pont. anal. de spons. n.* 3. *& 16. in fin. diximus* mero quidem contractuum iure, seu vi sola conuentionum expensa,

expensa, verius est non transire contractus huiusmodi de præsenti in sponsalia de futuro. *iuxta c. is qui fidem. X. de spons.* quia id quod nullum est, nullum producit iuris effectum. adeoque quod fit contra d. §. qui aliter, neque valebit vt potest: vt in impuberibus, quia ius disertè resistit: vt non facit in matrimonijs impuberum; sed defectus materiæ seu personarũ copulæ incapacium. tamen cum deuentum erit ad copulam, non ex contumacia aduersus ecclesiæ decretum, sed seductione, errore, ignorantia, æquius est deceptis subuenire: ex ratione *c. 1. X. de adult.* adeoque in personis honestis eam speciem seductionis præsumere, vt credantur verbis in præsens conceptis complecti voluisse & futurum; vt, si non valeant vt efferuntur; valeant vt valere possunt: atque ita ex intentione deceptarum ante honestè viuentium æstimentur sponsalia de futuro complecti: vt in illorum vim vitiatæ in vxorem duci se, ad vitij restaurationem, iustè postulent.

Sed quid opus est hanc sponsalium obligationem elicere argumentando, cùm Rei chirographum habeamus manifestum? quo fatetur ipse se obligatum ad d. actricem in vxorem sumendam; se fidem coram Deo ei dedisse; imprecaturque, si eam fefellerit, vt gratia diuina excidat. ad obligationem huiusmodi, fidemque exsoluendam actionem dari, dirarum imprecationum horribiles successus promissa explendo vitandos esse, omnis ratio christiana exigit. atque huiusmodi promissa irretractabilia esse, neque pœnitentiæ locum dari, quando res ab altera parte non est integra, vtique copula subsecuta (sicut in contractu facio vt facias, cum alter fecit, alter non potest non facere) optimè ait Sanches. *de mat. l. 1. d. 10. n. 3. 4.*

Neque refert quod dicitur chirographum illud, post copulam datum esse: neque enim, vt id verum foret, ideo fides flocci pendi, aut non præstari potest. adeoque scrupulosa fuit inquisitio, per tot testes coniecturales, an datum illud fuerit anno 1635. an 1636.

Præsertim cùm illud etiam ex chirographo liqueat non tantùm fidem ibi promitti in futurum; sed & confessionem scribi dictæ iam pridem de præterito; renouari promissionem præstandæ ad exonerationem conscientiæ. &c.

4. Coacta matrimonia vt ius consideret.

Scrupulum autem nullum mouere potest, quod coacta matrimonia difficiles soleant habere exitus: quia id scrupulum nullum iniecit Concilio Trid. *s. 24. de reform. mat. c. 6.* vbi decernit raptorem debere ducere, & dotare raptam, postquam extra eius potestatem consenserit: neque diuinis scripturis, vnde sumptum est d. c. 1. *X. de adult.* vt seductor virginem ducat, & dotet. imò non potest Iudex non seruare sacros canones, vel in dictanda sententia ab illis recedere, vt ius suum cuique reddat. præsertim cùm dictamen istiusmodi sententiæ, quam proximè reparet honorem defloratæ: quod non facit sola dotatio. In ipsa porro executione huiusmodi sententiæ exsurgunt partes prudentiæ Judicis. *Vid. resp. seq.* vt circumspiciat hinc iustitiam læsæ; inde coacti matrimonij difficiles exitus: hinc fidei obligationem, iuramentique religionem; inde duritiam ceruicis inuoluntariæ: hinc quatenus iustitia coactionem exigat; inde quatenus prudentia, ne excedat: hinc illa pœnas & censuras velit infligi; inde expendi, ne si nimis diu, & obstinatè perferantur, venenum fiant, quæ pro remedio sunt inuentæ. in summa, condemnare per sententiã Iudex debet vt ducat, hanc exequi, & cogere, sed tamen cum prudentia. vt cogendo inuoluntariũ, faciat transire ad liberum consensum, aut sal-

5. Non vt sententia non ferantur probligatione.

6. Sed coactio prudenter temperetur.

tem sententia aliàs sic concipienda esset, si per anticipationem de difficultatibus istis sint allegationes, probationesque inductæ, vt actis conformis sit sententia, vt iudex declaret debuisse quidem reum actricem ducere, ob incommoda tamen aliud tolerandum. nam ea formula nonnihil saltem consulitur honori deceptarum: nemeretrício animo, sed affectu quasi coniugali, peccasse videantur.

Quare cessat hîc, quod demum quæritur, an Reus offerendo dotem, ad arbitrium Iudicis, obligatione sua defungi possit? quamuis enim praxis forensis tenorem d. c. 1. *X. de adult.* qui coniunctim scriptus est, vt seductor virginis ducat, & dotet, transtulerit ad sensum alternatiuum, vt ducat, aut dotet: propter varias seductionum species; & quod sæpe promissa de ducendo non probentur: & in alternatiuis obligationibus debitoris sit electio; ita vt vnam præstando, ab altera liberetur? tamen cùm promissa de ducendo sunt facta, eaque probantur, tenetur promissor; & in omnibus hodie Belgij tribunalibus ecclesiasticis condemnatur, vt ducat.

Quod si vnquam iustum, æquũ est, in hac facti specie sanè iniquissimum fuerit sacrilegum deceptorem remissiùs condemnari. præsertim cùm, vt diximus, de seductore id diuinæ literæ statuerint: *Exod. c.* 22. & sit plusquam seductor hic: & in stupratore ex d. c. 1. vt *sub tit. de stup. & adult.* iacet; & sit plus quàm stuprator hic: in raptore Concil. Trid. *d. c.* 6. & sit plus quàm raptor hic.

Sanè præter veterum legum austeritatem aduersus raptores, seductoresque laudatur capitalis seueritas edicti Henrici III. Galliarum Regis contra eos, qui inscijs parentibus, tutoribusque filios filiasue familias, seu minorennes abducunt. & annales nostri referunt, & Lipsius in Monitis Politicis extollit, Caroli Audacis egregium factum, quo iuridicum, qui deceperat spe liberandi mariti honestam eousque matronam, & marito nihilominus mortem irrogauerat; deceptam iusserit vxorem ducere, hæredemque instituere; ac, post priuatam satisfactionem, ad vindictam publicam gladio subiecerat.

Neque quidquam mouet declaratio scripto facta ab actrice: eam siquidem per vim & metum extortam esse censendam, sufficientissimis præsumtionibus, argumentisque probatur, ea sunt clamor, lacrymæ, sæuitia, inclusio, detentio, (quam ipse reus fatetur saltem talem fuisse, vt ne dominicis quidem aut festis diebus actricem permiserit templum accedere) protestatio d. actricis, quod id cogeretur inuita signare, quod omnino aut verum non esset, aut ipsa nollet. ex qua sola refertur irritata professio *inc. 1. X. de his quæ vi aut met.* denique tenor ipsius extorti scripti, qui talis est, vt vix à meretrice sponte obtineri posset. quod scilicet nullo matrimonio, nullo promisso præuio, Actrix reo sui copiam fecerit. nam præter Rei chirographum euidenter contrarium, de tam honestè nata, tam probè educata, tam laudabiliter anteacta vita, talibus parentibus orta, consanguineis & affinibus coniuncta, qui possit credi? aliter sensit Iustinianus *in l. vnic. C. de rapt. virg.* nisi *etenim*, inquit, *eam sollicitauerit, nisi adhibitis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere.* Et Romani veteres sola professione apud Prætorem facienda satis putabant coërceri posse fœminarum luxuriam. & pro monstro habuerunt apud Tacitum, Vestiliam honestè natam, ita pudorem suum vulgasse. Eamque adeo exilio damnarunt. & nos reus velit credere actricem natalibus, moribusque hactenus

hactenus landatam, sponte verecundiam omnem exuisse, atque vltro se infra dedecus meretricum scripto huiusmodi collocasse?

RESPONSVM VI.

An coniuges citra parentum aut tutorum assensum coniuncti inuicem hic alimenta debeant?

EDictis anni 1540. & 1623. super minorennium matrimonijs citra consensum tutorum aut parentum initis, *quorum substantiam retulimus in Notitia iuris Belg. tit. de sponsal.* cùm decretum sit, vt neuter ab altero quidquam lucri siue per contractũ matrimonij, seu quomodocumque aliàs acquirere possit; quæsitum est, an vxor ali à marito vel contrà debeat, cùm sic contraxerunt? quoad parentes expressum est disertè, vt aduersus illos etiam alimentorum nomine actio nulla detur: quoad coniuges inuicem; non æquè. videri tamen potest etiam *lucri* nomine excludi. verius tamen videtur *lucrum* ibi accipiendum esse iuxta subiectam materiam de qua ibidem agitur; de duarijs; legalibus, consuetudinarijs & conuentitijs: ijsque quæ per causam matrimonij commoda merè lucratiua sunt. *vt diximus vbi supra.* consequenter dicendum est obligationes, effectusque coniugales per edicta non impediri. adeoque per mores maritum fieri mamburnum, & tutorem personæ, vxoris; & administratorem bonorum ipsius; caput mulieris & familiæ: vxorem debere marito reuerentiam, & subiectionem; leges societatis coniugis vel per statuta inductas, vel per contractum pactas & officia naturâ debita coniugibus, qui iam vna caro facti sunt, seruari oportere; adeoque inuicem coniugalia obsequia deberi; & proinde alimenta alterum, cui satis est, præstare alteri egenti debere. hæc enim sunt non lucra, sed reciproca coniugum debita: quæ à naturali æquitate fluunt. ad quæ proinde extendi non debet odiosa & pœnalis dispositio. sed lucra strictè accipi, atque in rigore verbi debent: sicut odia restringi, & fauores matrimoniales conuenit ampliari. ita vt contra ius vetus correctio & pœna non expressa non recipiatur.

1. Quid in edictis nomine lucri veniat, an & obsequia coniugalia?

2. Adeoque & alimenta.

Obtinet ergo alimentorum obligatio inter eos, qui sunt coniuges. qualitas verò quæ obligationem parit, inesse debet agenti: quia sine actione, adeoque matre illius obligatione, nemo potest experiri: at hic matrimonium nullitatis accusatur: an igitur præiudiciali illa quæstione pendente alimenta addicenda sunt? lite pendente nihil innouandum est: & hi coniuges fuerunt in mutua coniugij possessione, retinendi ergo sunt in illa: adeoque alendi debito: donec super nullitate succedat definitio. *l. 5. §. si vel parens. l. 7. D. De agnos. lib.* Accedit quod instrumenta contracti matrimonij secundùm apparentem formam Concilij Trid. sint liquida: exceptio nullitatis, & non proprij parochi hactenus obscura penitiorem indaginem requirens: adeoque illa inquisitione pendente prouisionalia alimenta sub cautione addicenda sunt. *d. §. si vel. d. l. 7.* quod & in apparenti tantùm præsumtione tenet Afflict. *decis. 152. Specul. tit. qui fil. leg. §. 1. n. 32.* sed quoniam rursus tam super nullitate, quàm alimentis causæ concluſæ sunt; præiudicialis nullitatis coniugij quæstio priùs est pronuntianda. *c. 1. & tot. tit. X. de ord. cog.* & secundùm eam alimenta exinde, vel addicenda, vel neganda. *d. l. 7.*

3. An & lite pendente super coniugio?

An autem præterita alimenta addicenda sint, an tantùm futura?

4. An & præterita?

ra? pluries reus Actricem asserit Parisijs huc venisse, vt coniugalem actionẽ institueret, adeoque inchoata aditio hæc Iudicis, primordium liti præstat; ex eoque tempore ad effectum alimentorum lis inchoata conseri potest.

Addicenda autem alimenta censentur ex quo peti cœperunt: præteriti autem temporis alimenta addicenda nõ videntur. quia cùm tantùm debeantur officio Iudicis, non via actionis; qui aliunde de præterito vixit, ea petere non potest. *Faber in Cod. suo l. 4. t. 7. d. 20. post Bart. in l. libertus quod §. 1. n. 3. D. de alimen. leg. vbi* id asserit in filio respectu patris: *Rota decis. 305. in nou. inc. monachus profes.* in monacho respectu abbatis: *Decius in c. Episcopus X. de præb.* in ordinato sine titulo respectu Ordinantis: *Alexand. vol. 4. cons. 27. n. 2.* in vidua intra annum luctus non agente respectu hæredum: *Castrens. in l. diuortio 8. n. 6. D. sol. mat.* & generatim Felin. in *c. ex parte X. de accus. in fin. Matth. Afflict. decis. 10. in fin.* & iusta est ratio, quia de præterito nemo viuit, sed transijt ea cura. vnde leges de præteritis alimentis transigi permittunt, non de futuris. *l. alimentis. C. de transact.*

Alimenta, quæ à coniugibus inuicem præstanda sunt, officio Iudicis, non via actionis debentur, dum nullus est contractus qui eam pactionem habet; vel quasi; non maleficium vel quasi: siue quibus non datur actio. *§. namque agit. Inst. de act.* nec hæc, sine obligatione. *l. licet. §. 11. D. de procur.* sed gignit hæc instinctus naturalis, & æquitas. & vbi hæc subest, & illa deest, datur officium Iudicis. *l. planè. l. fin. D. de petit. hared. l. Quintus. §. Pompon. D. de alim. leg.*

§. Quid si maritus indotatam vxorem accipit?

Quod autem obijcitur maritum, qui indotatam vxorem accepit, non teneri ad alimenta, si patrem illa habeat sufficientem: *arg. l. quod hi nulla. 28. D. de relig. & sumpt. fun.* vbi id deciditur quoad sumtus funeratæ vxoris, quin imò Fulgos. *ad d. l. 28.* contendit dari repetitionem marito, qui aluit vxorem, si aliunde habet ipsa, aut patrem opulentum. dixi indotatam: alioquin indubiè tenetur maritus. *l. dotis fructus. D. de iur. dot. l. fin. in fin. D. de iur. dot.* & non pater: *l. si quis. §. sed etsi filius. D. de lib. agnos.* at verò patris legitimi officium est dotare filiã secundùm suam qualitatem: at hic non est pater legitimus, & adulterinam filiam iure ciuili nequidem alere tenetur. *l. §. §. idem rescripsit. D. De agnos. & al. lib. Auth. Quib. mod. nat. effic. sui. §. discretis. §. fin. §. oportet.* vxor splendere dicitur radijs mariti, dignitatem & domicilium ab eo sortiri. *l. 11. C. de incol. l. 10.* ergo maritus pro sua qualitate id præstare debet, quod non debet pater. & quamuis iure canonum pater etiam ex illicito coitu natam prolem pro ratione facultatis teneatur alere. *c. 5. in fin. X. de eo qui duxit quam polluit per adult.* tamen id eò vergit ne fame tales pereant: quia necare videtur qui non alit. *Necare. D. de agnos. lib.* non vt auferat debita maritalia, quæ non tantùm pietatis, sed & politiæ ratio induxit in societate coniugali.

Qui filij sint legitimi.

RESPONSVM I.

De natis ex matrimonio putatiuo.

LEgitimos filios nasci constat ex matrimonio legitimo, *c. 9. X. qui filij sint legit.* non tantùm, sed etiam ex nullo sæpe, & irrito cùm in facie ecclesiæ bona fide contractum fuerit. *c. 2. c. 11. c. 14. X. eod.* etiam ad effectum succedendi in hæreditatem parentum. *d. c. 2. & c. 11.* etiam quoad feu-

Ex matrimonio putatiuo ecclesia matrem et filium tenetur habere pro legitimis.

da,

da, exclusionemque substituti. vereque sunt legitimi, non ficte pro talibus habentur dumtaxat. *Couar. de mat. c. 8. §. 1. n. 2. & seqq.*

2. Quæ præsumitur.

Vbi & post Baldum ait præsumi bonam fidem, dum non probatur mala. quod & Hostiensis dixit. *eod. tit. §. legitimum in hac materia.* & probat lex *penult. C. de euict. l. quoties. §. qui dolo. D. de probat. l. bonæ. 110. D. de verb. signif.*

3. Etiam in errante.

Eandemque bonam fidem Alciat. *in d. l. bonæ* præsumi ait etiam in eo, *qui iuris*, inquit, *errore lapsus sit.* & Couar. *vbi sup. n. 9.* etiam ad hunc effectum legitimandæ prolis. vt cum iuris errore consistat bona fides, si modò error talis sit, qui iustus habeatur. *vt in c. cum dilectus. X. de consuet. & ibi DD.* quo dubio ait suspensum fuisse Abbatem. *in c. referente. X. qui filij sint legit.* & pro iusto errore resoluisse Baldum Nouellum. *in tract. de dot. p. 11. in caus. fin.*

4. Si non iustus sit error.

Iniustus enim error fuit *in d. c. referente.* si tamen error, impedimenti publicæ honestatis, quod & contrahi vetabat, & contractum solui volebat matrimonium. *cum*, inquit, *filij nec per ecclesiæ permissionem, nec parentum ignorantiam excusentur, per illud ad successionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi.* vbi sanè istiusmodi iuris error circa tale canonicum impedimentum obstat bonæ fidei, legitimitati, & successioni.

5. Examinatur l. qui in prouincia. D. de rit. nupt.

Adfertur tamen lex *qui in prouincia. D. de rit. nupt.* qua excusari iuris ignorantia videtur in ea, quæ nupserat auunculo, & liberorum status in tali matrimonio quæsitorum approbari.

Sed primò dicendum, valdè specialem casum ibi proponi, plurium circumstantiarum, quæ Imperatores mouerint ad sic rescribendum.

Mouemur, inquiunt, *& temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio annunculi tui fuisti, & quod ab auia tua collocata es, & numero liberorum vestrorum: idcirco cum hæc omnia in vnum concurrunt confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quæsitorũ, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde ac si legitimè concepti fuissent.* ergo iuuenis admodum, ante quadraginta annos, & ab auia collocata erat in matrimonium, & auunculo, quos magis iuris gnaros credere poterat, nupserat. quod culpam ius ignorantis valde minuit, & tolerantia Iudicum per tantum temporis, vt quam proximè à iusto errore videatur abesse.

Deinde non dicunt Imperatores matrimonium se approbare, nec liberos legitimos esse, sed se statum illorum confirmare. quod perinde est, ac si legitimarent, vt Imperatores veteres latinè magis loquebantur.

Insuper aiunt Imperatores, *perinde ac si legitimè concepti fuissent*: non ergo fuerunt legitimè concepti. & sic ait Baldus legitimationem per rescriptũ imitari aurichalcũ, quod videtur aurum, & non est. facit illa vox *perinde*, quæ similitudinem arguit, non identitatem ordinariè, ac sui natura. *Spigel. in Lex. v. perinde. v quasi. v. tanquam.* nullum enim simile est idem.

6. Sequendi hic canones.

Denique si in his salebris quis hæreat, omnino standum est, in materia matrimonij, effectuũque inde surgentium canonibus hodie standum esse, non legibus. *Sanches & ab eo citati de mat. l. 3. disp. 44. n. 2.* adeoque iniustum iuris errorem obstare, & matrimonio, & legitimitati, & successioni. vt de his omnibus statuit d. c. referente.

7. Quæ clandestinatas vitiet matrimoniũ?

Quærendum igitur hic est, an clandestinitas resistat validitati matrimonij? & decidit c. 2. X. *de clandestin. desponsat.* si contrahentes clandestina matrimonia voluerint *publicare*, inquit, *nisi rationabilis causa præpediat, ab ecclesia recipienda sunt. & comprobanda, tanquam a principio in ecclesiæ conspectu contracta.* valida sunt

sunt ergo. eademque est sententia Concilij Trid. *de mat. c. 1. dubitandum*, inquit, *non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse matrimonia, quam diu ecclesia illa irrita non fecit.* dubitandum etiam non est matrimonio publicato, & ab ecclesia comprobato, legitimos filios esse, & hæredes. *d. c. 9. X. qui filij sint legitimi.*

§. Si postea detegatur impedimentum dirimens.

Quod si autem clandestinè contractum est, & postea detegatur impedimentum illud irritans, *soboles*, inquit Concilium generale *d. c. 3. X. de clandest. desponsat. de tali coniunctione suscepta prorsus illegitima censeatur: deparentum ignorantia nullum habitura subsidium.* iungitque causam; *cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ videantur.* præsumit ergo ius in clandestinè contrahentibus malam esse fidem. eodemque modo procedit Concilium *Trid. de mat. c. 5.* vt scientes impedimentũ & ignorantes comparentur, *si quidem*, inquit, *solemnitates requisitas in contrahendis matrimonijs neglexerint.* adeoque inquit, *ijsdemque subijciantur pœnis. non enim dignus est qui ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria precepta contempsit.* eòque vtrolque spe dispensationis carere iubet.

Ob similem contumaciam erga ecclesiæ præceptum, *pari modo*, inquit d. c. 3. *proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserunt.*

Fidem ergo bonam destruit clandestinitas, si irritum postea matrimonium deprehendatur. neque id mirum: cùm pro iuris regula traditum sit, eum qui contra ius mercatur bonam fidem præsumi non habere. *c. qui contra de reg. iur. in 6.* & conformiter *malè*, inquit lex 7. *C. de agricol. & censit. l. 1. fidei possessorem esse nemo ambigit, [illegible] contra legum interdictum [illegible]*

mercatur. quia *lex*, inquit Alciat. *ad d. l. bonæ specialiter resistit.* ibidemque ex communi DD. sententia *ad d. l. ex consens. D. de appellat.* ait bonam fidem tum non præsumi, cùm famosa, & passim nota lex est.

Quare cùm Concilium Trid. *d. c. 1. de mat.* declaret se inhærere vestigijs d. Concilij, matrimoniáque iubeat celebrari in facie ecclesiæ, præmissis tribus denuntiationibus, ea quæ olim de clandestinitate statuta sunt, ob omissas denuntiationes etiam hodie obtinent. nisi super his fuerit dispensatum. quod permittit Concilium Trid. & dicit se vestigijs Conc. Lateran. inhærere: quoniam autem olim statuta, non sufficiebant ad euitanda perpetua adulteria eorum, qui clam cum vna contrahunt, & inde palam in facie ecclesiæ cum altera; non sufficit hodie matrimonij clandestinè contracti publicatio, sed illud ipsum contrahendum nunc est coram parocho proprio, vel alio sacerdote de illius, vel Ordinarij licentia, & duobus testibus. *d. c. 1. §. qui aliter.* alioquin huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.

Jgitur qui nunc aliter contrahit, contra iura mercatur, quæ nunc contractui resistunt, irritant, & annullant, & contrahentes ad sic contrahendum inhabiles reddunt: & consequenter bonam fidem præsumunt illos non habere: adeoque soboles *iuxta. d. c. 3. §. si quis* illegitimas facit censeri, & contrahentes vel ex malitia, vel nimia insipientia peccasse. *iuxta c. final. X. de celeb. miss.*

Et quoniam d. c. 1. decretum famosum est, tanquam in vnaquaque parochia publicatum, & tamque parochis publicatum, & tam grauibus sub ferio proemio, tam grauibus sub pœnis seruari mandatum, censendum est omnino nullum esse excusationi locum, pro iuris errore tam iniusto, bonam fidem præsumi non esse, nec legitimitatem sequi.

Præ-

præsertim attentâ à contrario ratione *d. c. 2. X qui filij sint legit. cùm parentes*, inquit, *eorũ publicè sine contradictione ecclesiæ inter se contraxisse noscantur*. quando siqui conscij sunt alicuius impedimenti denunciare illud tenentur. *c. tua nos. X. de cognat. spirit.*

Adeoque Couar. *vbi sup. n. 2.* iam olim contractum in facie ecclesiæ iuxta bonã fidem exigit, vt proles extra legitimum matrimonium nata sit legitima, aut saltem clandestini publicationem & ecclesiæ approbationem *d. c. 9.* Tridentinum autem nunc exigit à primordio matrimonium contrahi in facie ecclesiæ, vt diximus, adeoque ad prolis legitimam natiuitatem opus nunc est & bona fide & primordiali contractu sic celebrato.

Facies ecclesiæ seu conspectus est presbyteri parochialis testiumque præsentia. *c. aliter. 30. q. 5.* nam alijs, seu regularibus, seu sæcularibus clericis, nõ parochis, & contrahentium proprijs, sub grauibus pœnis prohibitum est matrimonia solemnizare. *clem. 1. de priuileg. d. c. 1. de matr. Trid.*

Quæ omnia applicando præsenti causæ, non est iustum ampliùs dubium, quin matrimonium, vnde processit proles de qua quæritur, tanquam non contractum coram proprio parocho, vbi publicatum erat d. c. 1. *de mat. Concil. Trid.* irritum fuerit: cùm sententia pridem desuper lata ita fuerit declaratum: eaque per multos annos transiuerit in rem iudicatam, citra appellationem, aut saltem talem, quæ prosecutionem habuerit, & non sit deserta.

Quamuis enim in causa matrimoniali sententia dicatur numquam transire in rem iudicatam, eius tamen dumtaxat ratio est, periculum peccati; ideoque mortuis contrahentibus, eorumue altero, cessante iã illa ratione, nihil superest, quin huiusmodi sententia, vt aliæ, in rem transeat iudicatam quoad legitimitatem prolium, & parentum successionem. *Sanches & quos citat de mat. l. 7. disp. 100. n. 11. Vide quæ diximus suprà de his quæ vi. r. 1. n. 22. & seqq.*

Bona autem fides, ex qua hîc prætenditur legitimitas prolium, destruitur à neglectu conspectus ecclesiæ, quem diximus, ex quo contra iura mercantes, seu contrahentes, eoque modo quo iura resistunt, contractus irritant, & annullant, & sic contrahentes inhabilitant, bonam fidem tollunt: eam saltem quæ meritoria sit beneficij iuris, & legitimitatis, vt diximus. neque enim affectata vel etiam vera, supina tamen, & non probabilis ignorantia eodem illo hîc gradu est. *d. c. 3. §. 1. X. de clandestin. desponsat d. c. referente. X. qui filij sint legitimi. d. c. fin. X. de celeb. miss.*

12. Cuius neglectus hodie bonam fidem destruit.

Arguitur quidem pœnalem dispositionem d. c. 3. *§. si quis. X. de cland. desponsat.* extendendam non esse extra proprium casum: at verò licet subiuncta ratio ibidem generalis, illam extendi suaderet, tamen non opus hîc est huiusmodi pœnæ extensione; sed tantùm denegatione beneficij, quod ecclesia benignè impertit ijs, qui eius mandata venerantur, ideoque publicè contrahunt sine illius contradictione: *d. c. 2. 11. 14. X. qui filij sint legit.* vt illud extendi non debeat vltra suos terminos, & causam beneficij expressam: publicam vtique celebrationem. quæ hodie esse non potest in ijs, qui sine proprio parocho contrahunt. qui non obsequuntur ecclesiæ, sed participant de causa neglectus mandatorum ecclesiæ: de quo in d. §. siquis. eoq; equius est effectus obseruantiæ ad eos non deriuari, sed potius negligentiæ; si non & contumaciæ. vt causæ & effectus symbolisent respectiuè.

Quæ

Qui accusare matrimonia possint.

RESPONSVM I.

Periculum peccati, & favor matrimonij facit ne tam facilè soluatur contractum, quàm impediatur contrahendum.

1. Vt impediri contrahendum & solui contractũ possit differentia probationum.

MAtrimonij favor animæque salus, quæ in eo versatur, facit; vt nec contrahi possit si denuntietur, quamuis nec plenè probetur, impedimentum: *c. super eo el. 2. X. de test. c. præterea. el. 2. de sponsal. late Sanches de mat. lib. 1. dis. 71.* nec dissolui; si non omnino plenè. *c. 1. X. de consanguin. & affin. idem Sanches lib. 2. disp. 45. n. 30.* vt &, quamuis ne contrahatur sufficiat impedimenti confessio; *idem d. lib. 1. disp. 72.* non sufficiat etiam vtriusque, vt dirimatur. *c. super eo, X. de eo qui cognouit consang.* & tamen iterum sufficiat, vt contractum credatur: *c. sufficit. 27. q. 2. l. nuptias. D. de reg. iur.* & vt thorus separetur. *c. ex literis. X. de diuort. c. intelleximus. X. de adult. Sanches d. d. 45. n. 33. & seqq.* quia enim quod Deus coniunxit, suo consensu separare coniuges non possunt; vtique dirimere sua confessione matrimonium nequeunt: sponsalia possunt, & thorum.

2. Testium & Iudicum grauitas.

Cæterùm aliàs generatim grauitas causarum matrimonialium probationes exigit plenas, testes omni exceptione maiores, atque circumspectos; Iudices etiam *discretos; qui & potestatem habeant iudicandi*, inquit *d. c. 1. & statuta canonum non ignorent.* potestatem iudicandi rectè interpretatur glossa ordinariam vel delegatam. ex facto autem d. c. testes deposuerant coram archipresbytero tantùm; cui iure non tribuitur potestas iudicandi; sed præest præsbyteralibus tantùm officijs: *c. 1. & tot. tit. X. de off. archipresbyt.* sed Archidiacono: *c. 1. 7. in verb. audire iurgia singulorum, & vers. vt loco Episcopi &c. & tot. tit. X. de off. Archidiac.* quamuis & hoc ipsum nunc vetuit in matrimonialibus Concilium *Trid. s. 24 c. 20. §. ad hæc.* vbi causas matrimoniales non archidiaconorum aut inferiorum adeoque neque arbitrorum, iudicio, sed Episcoporum *examini, & iurisdictioni* reseruat. sed loquitur d. §. adhuc, vt alibi diximus, in prima instantia. quamuis & iam antè stylum fuisse Curiæ Romanæ, vt causę appellationum matrimonialium non nisi Episcopis, eorumue officialibus delegarentur, ait Ioan. Andreæ *in c. statutum de rescript. in 6.* adeoque aduersus idem Cap. poterat obtineri delegatus extra diocesim, non tamen prouinciam. *c. neminem. c. 4. 5. 6. 14. caus. 3. q. 6.* quod ipsum renouat Concilium *d. c. 20.* vt nec in secunda, nec in tertia instantia extra prouinciam, adeoque nec Romam trahi possit causa matrimonialis: nisi tamen, si pars vna in prouincia verè paupertatem probauerit, altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. *d. c. 20.*

Quibus omnino credendum.

Enimuero sicut contrahendo probandoque matrimonio sufficiunt parentes, consanguinei, & aliàs non idonei. *c. vtdetur. X. qui mat. accus. possint.* nisi grandis esset imparitas; *c. super eo. 22. X. de testib.* nec in eo quicquam mutauit Conc. Trid. *Sanches. de mat. l. 3. d. 41.* & quicquid videri potest fidei testium deesse, suppletur hodie per parochi præsentiam. sed & eo mortuo, nec libro reperto inquem relatum sit contractum matrimonium, obtinent veteres probationes: ita in dirimendo matrimonio ex causa consanguinitatis vel affinitatis

nitatis rigidè semper processum fuit; *c. consanguineos. c. notificamus. c. de parentela. 5. & 8. caus. 35. q. 6.* & quidem olim in Synodo; *d. c. consanguineos. c. multorũ ibid.* & quamuis testes de auditu reciperentur, cùm ad septimum vsque gradum nasceretur impedimentum; tamen hodie cùm illud ad quartum restrictum est, id prohibetur. *c. licet. 47. in verb. Statuimus ne super hoc recipiantur de cætero testes de auditu. X. de test. nisi fortè personæ graues extiterint, quibus meritò fides sit adhibenda.* & oportet vt testes *personas designent, & ab vtroque latere singulos gradus clara computatione distinguant, & iurati deponant se vidisse personas, vel in vno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. d. c. licet.* eademque computatio à stipite aut fratribus saltem & sororibus incipienda est: non ab auunculo & nepote, seu fratris aut sororis filio. *c. tua. X. de consanguin. & affin. nec est laxanda facultas; cum qua ratione computationem inciperent à gradu secundo; eadem ab vlterioribus inchoarent. d. c. tua.* tum quia *tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimitte e copulatos; quàm coniunctos legitimè contra statuta diuina separare. d. c. licet.* quod omnimodo obseruandum est in probatione per testes. *Barbosa in d. c. licet.* sic tamen vt per instrumenta consanguinitas probari etiam possit, per præsumtiones, & alia genera probationum. *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 409. 410. Sanch. de mat. l. 1. d. 71.* ita tamen vt plena sit probatio: & clara computatio: & finis idem obtineat in alijs probationibus, quem spectat d. c. licet. in testibus. in quibus illud loquitur dumtaxat.

Cùm ergo in actis præsentis litis computatio clara non sit; sed testes in incerto vagentur, nec aliæ probationes vllam plenam conficiant; merito dicendum est; *Non liquere.*

De Diuortijs.

RESPONSVM I.

De Sæuitia.

QVamuis per transactionem tollantur omnes priores super sæuitia querelæ; *l. 10. & 16. C. de transact.* & actio perimatur; *l. 31. eod.* & disertè instrumento transactionis id comprehensum sit; adeo vt nec rescripto Principis resuscitari possint: *d. l. 10. & 16. C. de transf.* tamen non impedit illa, quin antè gesta faciant ad demonstrandam sæuiendi consuetudinem, si iterum vir sæuiat; & incorrigibilitatem, ac emendationis futuræ desperationem, requisitam ad diuortium. Sanches *de mat. l. 10. d. 18. Basil. Pontius de mat. l. 9. c. 13.* sed & quamuis coniugalis copula secum vehat reconciliationem; *Sanches de matrim. l. 10. d. 14.* tamen, quæ hîc intercenit expressa etiam reconciliatio, non est plena. &, quæ nascitur ex copulâ præsumptio, restringitur hîc pactis transactioni insertis. 1. quod inita sit per modũ probationis; 2. quod si maritus iterum trudat, verberet, seu aliâs malè tractet vxorẽ, liceat ei diuertere; 3. idque propria authoritate; 4. quodque super factis sæuitiæ iuramento eius stabitur; 5. quod Officialis poterit interponere desuper decretum diuortij.

1. Transactio præterita tollit sæuiendi cõsuetudinem in futuris, non impedit probari ex præteritis.

2. Restringitur pactis adiectis.

Huiusmodi pacta, extra hypothesim, non satis cum iure conueniunt. non enim sine iudicio ecclesiæ licet diuertere. *c porro. X. de diuort.* nisi sæuitia sit nimia, & vitæ periculum, aut grauis mali. *c. literas. X. de rest. spol. c. ex transmissa. eod. c. 1. X. vt lit. non contest.* donec secura cautio præstetur. quando demum sit spolij restitutio. quod si securitas dari nequeat, manet separatio. *Sanches de mat. l. 10. d. 18. Pontius de mat. l. 4. c. 23.* At verò hîc ante transactionem pro-

3. Vt sine ecclesiæ iudicio non liceat diuertere.

4. Nisi nimia sit sæuitia, nec vlla securitas.

uisionali decreto permissa fuerat vxori separatio: quam facultatem pactum probationis præseruare potuit: & porro Judex transactionem confirmans, censetur facultatem facere. *l. 57. D. de re iud.*

5. An verbera diuortio sufficiant?

Secundùm pactum, quod de verberibus agit, vtique talia excludit, qualia antecesserant, ob quæ discessum, litigatum, & transactum fuit. sicut sententia dicitur ex libello interpretationem capere: ita & transactio *l. 31. C. de transact.* quæ ei æquiualet. *l. 56. D. de re ind.* adeo vt, quamuis quidam sentiant verbera non sufficere diuortio, nisi sint grauia: *Sanch. d. 18. n. 14. 15.* nec atrocem sæuitiam semel procedentem ex subito iræ motu, *ibid. n. 14.* & nisi tanta sit assuetudo, & sæuitia, vt per cautionem prouideri nequeat: *n. 31.* tamen hîc tanta transactioni sufficiat, quanta fuit præterita; & contra quam sponsio facta est.

6. An pactum valeat vt iuramento vxoris stetur super sæuitia mariti?

Tertium pactum, vt super futuris sæuitiæ actibus iuramento vxoris stetur; videtur fundari *in l. 9. D. de iureiur. §. item si quis postulante. Inst. de act.* tamen cùm ansa daretur peierandi à Iudice admittendum non est. *c. ille qui hominem 22. q. 5. c. clericos. X. de cohabitat. cler. & mulier.* eiusmodi autem videtur, si alteri coniugum permittatur solo iuramento probare sæuitiam, & diuertere. nimia licentia inuitat ad malum. cùm & in causa ardua & actione famosa illud deferre non liceat. *c. vlt. X. de iureiur. Castren. & DD. in l. admonendi D. eod.* causa autem matrimonij sit ex grauioribus. adeoque reiecto huiusmodi pacto, tanquam inutili. *c. 5. X. de reg. iur.* non vitietur transactio, quatenus vtilis est. *c. 37 eod. in 6.* sed resecetur quod inutile est. *c. constitutus. in fin. X. de transact. c. cum tempore. X. de arbit.* nihilominus quocumque pretio in rebus anxijs transigere licet. *l. transigere. C. de transact.* neque porro d. leges prohibent partibus volentibus paciſci sub huiusmodi iuramento; præsertim placandis coniugibus malè exceptis; & malè tractantibus compescendis. quod hîc non inuitat ad malum; sed dissidio componendo, vt medium, inuentum est. finis autem media facit licita, dum ille bonus est.

Quartum pactum: vt decretum diuortij ex huiusmodi iuramento possit Iudex interponere. possit, inquam; non teneatur. ita nempe diserte ipse conuentionem hanc dumtaxat probauit, *quantum partes ipsas contingit*, eas condemnando id postulantes. quarum voluntatem sequi debet, nisi publica causa eum retineat. *l. si conuenerit. D. De re iudicat. l. si quis spontaneus. C. de decur. l. 10.* eoque conuentio & condemnatio rectè stringit ipsos contrahentes; non autem Iudicem. qui simpliciter probare non potest huiusmodi conuentionem: sed antequam diuortij decretum possit interponere, videre debet an è re sit publica, & salute contrahentium: &, vt discretio tum dictat, ita demum statuere: seu noua concordiæ remedia proponendo: nam id semper ad eum pertinet. *c. fin. X. de transact. diximus latè in Iudic. l. 1. c. 26.* seu ex rigore iuris aliquid remittendo, *d. c. fin.* vt faciliùs inducat. præsertim vbi res alioquin dispositæ sunt ad decernendum diuortium. quia tunc, quamuis cum iure non satis conueniat transactio, & iniqua videatur pacis pactio; tamen lucro apponenda est, cum aliàs immineret damnatio.

Igitur hic ex transactione actum est: oblatum iuramentum super actibus sæuitiæ: petitum diuortij decretum: potuit Iudex illud interponere, quantum ad ius partium ex conuentione, attinet: non potuit ex iure publico. quod restitit huiusmodi separationi. vt, *quod Deus coniunxit homo non separet*, nisi sæuitia sit intolerabilis, & desperatio in futurum emendationis.

Sanches

8. Si sæuitia sit intolerabilis & desperatio emendationis.

Sanches & Pontius vbi supra. rectè ergo ex vxoris iuramento nihil statuit neque illud admisit, probationes recepit. & quamuis, vt dictum est, acta ante transactionem per illam sint extincta; tamen ea nō impedit, quo minus arguatur in recidiuo consuetudo sæuiendi; & correctionis desperatio. adeò vt quamuis iurgia tantùm forent; si tamen sunt assidua, pro iusta diuortij causa habeantur. *Sanch. d. d. 18. n. 11.* quæ hîc nimiùm frequentia ex causa bonorum, & expensarum rectè maritus redemerat offerendo maiorem prouentuum suorum partem in œconomiam pro discretione vxoris dispensandos: eoque Judex petitionē diuortij reiecerat.

9. An in secunda instantia ex transactione nō tantum agere, sed & ius commune cumulare liceat?

Jn secunda autem instantia vxor non tantùm ex transactione putat agendum; sed etiam ex iure communi petitionem fundandam: sed obiectum est id tantùm hic posse quæri, an in vim d. transactionis; benè an malè iudicatum sit: ex qua actum fuit: & non posse excedi terminos d. transactionis; alioquin fore nouam actionem: cùm Concilium *Trid. s. 24. c. 20.* omnes actiones in prima instantia voluerit proponi coram Ordinario.

Et quamuis Vice-Nuntius causam delegauerit, *cum omnibus incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis, totoque negotio principali*; & specialibus insuper literis facultatem fecerit, prout iuris, admitendi, vt non tantùm ex caūsa d. transactionis; sed & ex iure communi postulari possit diuortiū corā delegato; negat tamen maritus esse in potestate Vice-Nuntij derogare d. Conciliari decreto: concessionemque ait ideo restrictam esse *prout iuris.*

10. Post Concil. Trid.

At verò d. Concilium causas omnes in prima instantia coram Ordinario tractandas decernit. causas, inquit; non actiones. *causa est*, inquit c. forus. *X. de verb. signif. materia & origo negocij nec dum discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur causa est; dum discutitur, iudicium; dum finitur, iustitia.* cùm ergo iure communi in secunda instantia, vbi omnia censentur reducta ad statum litis contestatæ, liceat non allegata allegare, quamuis media ad petitionem varientur; atque decretum diuortij, quod ex transactione petitum est, simul nunc ex iure communi etiā, & nimia sæuitia petatur; non ideo mutatur causa, seu negocium, & materia: non ideo ergo ad Ordinarium redeundum est; qui super illa definitiuè pronuntiauit. nec Concilium aliquid ex iure vetere mutauit, quoad cumulationem actionum; vel ex iure communi, & transactione correctionem, seu mutationem petitionis; quæ fieri possit in eodem iudicio, seu coram eodem Judice. vt loquitur glossa *in §. si minus. Inst. de act. Mynsing. Wesenb. & alij.* Id quod multò magis in foro ecclesiastico obtinet. vbi factum ipsum & rei veritas dūmtaxat attenditur; non formula actionis. *c. dilecti. X. de Iudic.* & Const. Zenonis, *de qua in d. §: si minus est mentio*, id recepit in gratiam minuendarum litium. *vt ibid. DD.* multò ergo minùs id Concilium Trid. reducere voluit. cùm d. c. 20. plura ad lites abbreuiandas, & *c. 10. s. 25.* statuat.

Eoque minùs, quod causa matrimonialis, quamuis ardua sit, quoad tamen ordinationem litis est summaria. *clem. dispendios. de iud.* ideoque reiectis iuris apicibus solā inspici rei veritatem *d. c. dilect.* nullo consueti iuris ordine seruato illam instrui, & expediri cupit d. clem. *dispendiosam. clem. sæpe. de verb. signif.*

Dixi, quando definitiuè pronunciatum est: quia super mera interlocutoria nec cadit appellatio, nec delegatio. *d. c. 20.* cùm autē vim illa habet definitiuæ, aut per definitiuā est irreparabilis, admittitur *d. c. 20.* & appellatio & delegatio. an autem tunc committi simul possit causa principalis? aiunt S.

11. Quid si nō definitiuè pronunciatum sit, an causa principalis delegari simul possit?

Congregationem respondisse eum casum à Concilio omissum, dispositionique iuris communis esse relictum; *Salgado de protect. p. 2. c. 1. n. 7.* ideoque docet ille clausulam *totoque negotio principali* interpretationem eam capere, quæ sit iuris. *c. causam quæ. X. de rescript.* adeoque iustificato grauamine etiã causam principalem retineri posse: iustificatâ sententiâ, non posse: *c. vt debitus. de appell. c. exhibita. X. de iud.* ita tamen vt si de mente contraria delegantis Papæ iuxta formam d. c. 20. planè constet, ea excipiatur. vt habet stylus commissionum quæ fiunt in Curia Romana. quando ergo appellatũ est dumtaxat ab vno articulo, limitatus producitur effectus, vt in alijs non suspendatur iurisdictio; aut fiat vlterior delegatio. totius autem semper causæ transit cognitio, cùm ob Iudicis in definiendo negligentiã recursum est ad superiores post biennium, *iuxta d. c. 20. vide Salgado d. c. 17.*

12. Quid si transactio nõ est proposita, vt litis finitæ?

Cæterùm exceptiones litis finitæ, vt transactionis, iurisiurandi, seu aliæ præiudiciales, quæ litis ingressum impediunt, *c. 1. Vt lite non contestata. in 6.* si reiectæ sunt in causam principalem, rectè appellatur. *c. exhibita. X. de iud.* & delegato, si grauamen probetur, causa principalis committitur. *ibid. in fin.* quod etiamnum hodie admittitur. quia huiusmodi grauamen manet irreparabile. *vide latè Salgado de protect. p. 2. c. 18.* contingit tamen huiusmodi exceptiones & altioris esse indaginis; nec explicari facilè posse sine causæ principalis examine: eoque vtramque cognitionẽ coniungi; vt plenius, planiusque innotescat: & ne diuersis iudicijs litigantes distrahantur, & protrahantur morosiùs causæ. quas canones sacri, etiã Tridentini, velocissimè optant expediri. *d. c. 10. §. 25. d. c. 20. §. 24.*

Sed neque ex transactione hîc actum est, vt præteritæ litis finitæ, aut iureiurando decisę, quasi actiõe iudicati: sed de sæuitia aduersus transactionem admissa, & per iusiurandum probanda: in cuius subsidium ipsa, pro qua est transactio, & cui deferendum ex ea iuramentum, aduocat causas ex iure communi, vt quæ non prosint singula, iuncta iuuent; tam pacta conuenta, quàm iure præscripta; quo sæuiendi consuetudo, acerbitas, & correctionis desperatio, simul diuertendi iustam cum transactione causam generent.

RESPONSVM. II.

De causis non sufficientibus ad diuortium, censuratamen iudicis tollendis.

COmmunem omnium tribunalium praxim oppugnat, qui, dum Iudex partes coram adesse iussit, negat eius se imperio teneri, aduersãte etiã titulo *D. in ius vocati vt eant. & si quis in ius vocatum nõ ierit. D. si quis ius dicenti non obtemper. l. 5. D. de Iudic.* posse autem iubere, vt personaliter compareat, liquet *ex vet. c. pastoral. X. de iudic. c. 1. de Iud. in 6. vers. nisi. l. generaliter C. de iure iur. ind. l. vlt. C. de procur. verb. Iudicis vocabit authoritas. clem. sæpe verb. interrogabit etiam partes. de verb. signif. c. præsentiũ de test. in 6. verb. sufficienter facias ad inuicem respondere. V. sup. resp. 1. de Iudic.* præsertim in causa matrimoniali. in qua id statuunt Statuta prouinc. Mech. *de modo procedendi, c. 13.* atq; imprimis in controuersia sæuitiæ coniugalis, æquũ est responderi plenius de modo formandi recõciliationis quærenti, dum ipse appellatus propugnat prioris instantiæ iudiciũ, in qua partiũ vtraque est iussa personaliter respondere, & secundæ instantiæ Iudex ad d. articulum tantum pleniorem responsionem exigit, idemque decretum tertiæ instantiæ Iudex confirmauit. quidni ergo personaliter residuam partem expleat, qui in priori iudicio quasi toti

toti satiffecit? dum pars à toto, & accessorium à principali non debet differre.

2. Præsertim in causa matrimoniali & sæuitiæ.

Præsertim, inquam, in materia sæuitiæ maritalis, & coniunctionis coniugalis. perperam enim existimat appellatus, dum vxor in petito diuortio declarata est non receptibilis, nihil superesse, quàm vt illa supplex ad thalamum illus redeat. *l. si cum dotem. §. Sin autem. D. solut. mat.* confirmata est enim, & in rem iudicatam abijt secundi Iudicis sententia, non tantùm quâ petitio diuortij reiecta est; sed & quâ ad illum articulum iuncta plenior responsio; ante quam declarauit Iudex sibi de redintegratione thalami non esse statuendum.

Cur enim? ne coniuges tanquam canes ad vomitum reuertantur, ne momento vno litium, iurgiorum, pugnarum causa offensi nimium animi ad ea transire cogantur, quæ sunt summi amoris, ab vnoque extremo ad aliud sine medio; à terra in tectū sine gradibus. neque enim nihil medium est inter iustas diuortij causas, & reconciliationem.

3. Vt reconcilientur coniuges.

Summa & ineuitabiliter mortifera sæuitia omnimodo diuortium admittit: alia grauis, cui tamen caueri potest, repellitur mediante fide-iussoria cautione; quā Tuscus *v. vxor. conc.* 402. *ex Baldo cons.* 176. *in fin. vers. concludamus. l.* 1. *cons.* 240. *l.* 3. semper exigit, quando vxor diuertit, siue iustæ fuerint causæ, siue non: & ex omnibus animum suum informare debet Iudex. *ibidem.* quid si hic Iudex nec iuratoriam quidem cautionem exacturus sit; sed promissum tantùm de non sæuiendo, iurgando assiduò, vel pugnando; censuram morum interpositurus, ac vtrumque coniugem culparum suarum monitorus, ex earumque correctione conciliaturus?

4. Aut caueat qui sæuit.

5. Et quo modo?

Peccatum enim vtrimque esse acta primæ instantiæ plus satis probant. iudicium hîc de moribus non est sublatum. quamuis enim mortalis non fuerit sæuitia, adeoque diuortio non suffecerit; sufficit tamen ad exigendum imposterum securitatis non tantùm; sed ad amicè etiam coniugalisque verè coniunctionis promissum: si non & cautionem iuratoriam, aut fide-iussoriam. sicuti enim in graui sæuitia non fit restitutio, nisi præstita plena securitate: *c. ex transmissa. X. de restitut. spoliat.* ita neque in minori, nisi aliqua proportionata securitate data.

Neque vero tam leuis est appellati sæuitia, quam ille sibi persuadet; ideo quod declarata sit non sufficere diuortio. frequentes enim rixæ, iurgia, & difficiles mores, vt muta, toruaue plurium dierum, hebdomadum, mensium conuersatio, quibusdam non leuibus authoribus *apud Sanches de mat. l.* 10. *d.* 18. *n.* 11. sufficere diuortio videtur. quod vt hîc receptum non sit omnino; valdè tamen aggrauatur difficultas conuictus: si & sæpius accedant verbera, & pugnæ, contemptus vxoris, prælatio ancillæ, ademptio authoritatis domesticæ, compellatio stultæ, & vt talis in monasterium inclusio. quamuis enim in actis hæc tanquam ex officio facta describatur; plus valet tamen quod agitur quàm quod simulatè concipitur. nec appellatum acta quamuis sic concepta, dum verè non satis iusta causa subfuit, omnimodo excusant. *c.* 3. *& tot. tit. X. de collusione deteg.*

6. Vbi neque ad diuortiū satis, neque nihil sæuitum est.

Animaduertendum est porrò appellatum in prima instantia respondentem non sumpsisse contrariam conclusionem, nisi ad non receptibilitatem diuortij; Judicem autem ex officio extra conclusionem iudicasse de redintegratione matrimonij: item in actis huius instantiæ 4. Martij 1639. appellatum declarasse se ab appellatione recessuram, si appellatus ad

7.

ad articulum responsionẽ dederit sibi placentem. quod interpretandum est de placito boni viri: nec vnquam super eo personaliter voluit appellatus comparere, & huiusmodi contentio longa scripta non permittit; aut palam quædam efferri. præsertim cùm appellatus ipsitegrum & satis magnum processum formari curauerit, quem ipse in omnibus instantijs voluit manere secretum, in vim cuius facta est vxoris sequestratio seu inclusio: & exquo nunc Iudex verbaliter multa habere potest proponenda. præsertim si & ipse abire sæpius illam iusserit, & sic possessionem videretur amisisse. *l. si quis. vq. §. differentia. D. de acquir. poss.* cum amicis de illa perpetuò in monasterio includenda tractauerit, & sequestrari impetrauerit, nec in lite ad regressum concluserit.

Nec satis à contumacia excusat appellatum, quo minùs compareat, generalis responsio ad d. art. qua dicat se gesturum in omnibus, vt virum probum, & coniugem decet; dum Iudex coram ad specialia vult descendere; & censere singula; & iniungere singulatim quæ deinceps seruanda sint; cum promisso securitatis singulari: aduersus omnia quæ supra retulimus.

8. Viri erga vxores se habere debent vt Christus erga ecclesiam.

Proterua est etiam excusatio contumaciæ, quod appellatus iussum ideo Iudicis, iniunctamque comparitionem simultaneam existimet posse contemnere, quod non plus illi possit iubere, quam Christus præscripserit. quid enim ille? *viri*, inquit per os Apostoli, *diligite vxores vestras, & nolite amari esse ad illas. ad Coloss. 3.* & iterum *ad Ephes. 5. viri diligite vxores vestras, sicut & Christus ecclesiam*; quis ergo Christi fuit amor erga ecclesiam? *propter nostram salutem descendit de cœlis: prior ipse dilexit nos. 1. Ioann. 4.* relictis nonaginta nouem quæsitum abijt ouem vnam, quæ perierat, inuentam sustulit in humeros, & ad caulam deduxit. *Luc. 15. Matth. 18.* igitur ex Christi præcepto ea agenda sunt, quæ salua dignitate mariti, spectant ad redintegrandam charitatem, eamque intimam, ac coniugalem; quæ supereminet. quippe qua vniantur coniuges, & fiant vna caro, & velit hic maritus cyclopica tantùm authoritate exspectare sponte redeuntem, & in sublimi ipse throno sedere, vt truculentus Assuerus cum virgula? cuius non vocantis mortalis erat accessus, *nisi fortè*, inquit *lib. Esther. c. 4. Rex auream virgam ad eum extendebat pro signo clementiæ, vt posset viuere?* D. Petr. *ep. 1. c. 3. viri*, inquit, *cohabitantes secundum scientiam* [notet qui vxorem stultam nominat] *quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem.* quod Malder. *in Meditation. theolog. diei 27. de matrim.* ita dilucidat; *subnectit Petrus viros debere adhærere, & cohabitare in amore vxoribus suis, cum magna discretione, & honorare ipsas: vtpote quarum infirmitas requirat, vt honore præeniantur.*

9. Qualiter ille?

Quid porro dissidentibus præcipit Christus? vt quamuis detulerint munus ad altare, ibi illud omittant, & priùs reconcilientur fratri suo. & *postea rediens* inquit, *offeres munus tuum.* iubet non exspectare; sed ipsum accedere, & reconciliari: nec velit hic maritus in causa matrimoniali, quæ est personalissima, coram Iudice, vt cum vxore reconcilietur, comparere? abhorret ab eius conspectu, nec visu, nec sermone, illam vult dignari? sed cæca illam obedientia redire, sub toruos oculos, os elingue, thalamum cyclopicum? cum generatim Iudex à græcis dictus sit mesodicos, tanquam medius inter litigantes interloquens, ius dicens, aut concordiam procurans, ex officio suo; *de quo diximus in tit. Iud. l. 1. c. 26.* quod, si qua in causa, in matrimoniali summum locum habet. Quod

10. Offerens ad altare munus.

11. Culpam agnoscere ad reconciliationē monendus à iudice & instruendus.

Quod si neque peccati venia datur nisi correcto: *c. 5. de reg. iur. in 6. legatur*, inquit Gelasius Papa 24. *q. 2. c. 2. ex quo est religio Christiana, vel certè detur exemplum in ecclesia Dei, à quibus licet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Saluatore veniam, nisi se corrigentibus, fuisse concessam*: & cum vt diximus vtrimque inter hos coniuges peccatum sit; & singulariter ab Appellato; qui tamen in sua generali responsione ad d. articulum non tantùm se quippiam peccasse non dicit; sed sponte sub iuramento calumniæ ait, se numquam diuortio causam dedisse; adeoque negare videtur; vtique ad agnoscendam culpā est instruendus; censura Iudicis de moribus; & ad emendationem monendus. primus autem emendationis gradus est culpæ agnitio. sine qua propterea non speratur facilè correctio: & sic nec venia danda, nisi agnoscenti & promittenti, & in spe correcto. Idemque de appellata dicendum: & vtrisque inculcandum *confitemini alterutrum peccata vestra* ex D. Iacobo *c. 5.* & *honore inuicem praeuenientes* ex D. Paulo *ad Roman. c. 12.* & Appellato illud itidem D. Pauli. *Viri diligite vxores vestras*, & Appellanti ex D. Petro *1. ep. c. 3. Mulieres subditæ sint viris suis*: denique vtrisque ex D. Paulo *ad Ephes. c. 4. supportantes inuicem in charitate.* hæc Christi præcepta sunt; hæc si Appellatus satis impleuisset; meritò dicere posset sibi non plus à Iudice imponi posse: cùm non fecerit; merito vocatus coram eo adesse; censeri, & moneri debet.

RESPONSVM IV.

De causis soluendorum sponsalium.

QVod qui sacrilegō dolo suppositi caculæ, in vicem parochi sacerdotali veste induti, decepit virginem, vt euadat obligationem eam ducendi, nunc allegagat fictas fuisse promissiones, chirographo quamuis & iuramento firmatas, altera improbitas est: ad atheismum vergens; vt illius;

Iupiter ex alto periuria ridet amantum.

Deus non irridetur. ideoque huiusmodi exceptio pro doloso nō præsumitur: nihil autem illius, prout oportuerat, probauit reus: habendum ergo est illius chirographum pro vero. & quamuis claretur scriptum esse etiam ad placandos parentes; verum tamen esse, quod in eo narratur; ac præextitisse, de ducendo actricem in vxorem, promissa; voluisse rem conscientiæ suæ satisfacere; iurasse matrimonium se solemnizaturum; ex causis arcanum haberi ad tempus debuisse. *Non arbitror*, inquit l. labeo. *7. §. Idem Tubero. D. de supellect. leg. quemquam dicere* (minùs scribere) *quod non sentit.*

1. Præsumtio est contra scribentē.

Neque potest elui huiusmodi iuris præsumptio oblato in contrarium iuramento. *c. per tuas. X. de probat.* quia *nimis*, inquit, *indignum sit, vt quod quisque sua voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare. vide Menoch. præs. l. 6. p. 35. l. 1. q. 22. l. 3. p. 1. n. 36. 37.* vnde *in c. tua nos. X. de sponsal. vbi* allegatur quis fictè desponsasse aliquam, vt illius copia potiretur, cùm aliter inducere illam nequiuisset ad copulam; respondet Pontifex; fore pro matrimonio præsumendum: *nisi tu*, inquit, *nobis expressè scripsisses, quod ille non proposuit, nec consensit illam ducere in vxorem; quod qualiter tibi constiterit non videmus*; vidisset autem facilè Pontifex, si id iuris esset, vt iuramento posset huiusmodi fictio probari. habent Pontifices enim iura in scrinio pectoris. *c. 1. de const. in 6.*

2. Quæ contrario iuramento non eluitur.

Duas autem profert reus cau-

sas elidendi obligationem sponsalium: inæqualitatem ex humili actricis genere, quam ignorauerit, & secutas inimicitias.

3. Notitia inæqualitatis præsumitur in eo qui cum inæquali contrahit.

Quod pertinet ad notitiam qualitatis: Reus triennio & amplius quotidianus fuit procus in ædibus actricis: aduersatur ei Vlpianus *in l. qui cum alio contrahit, vel est vel esse debet non ignarus conditionis eius. D. De regul. Iur.* quod si vera hæc esse putetur ignorantia, cessat fictio; cui inæqualitas pro causa assumitur: neque contraria simul fingere reus potest: neque ob causam ignoratam fingere.

4. Examinatur nobilitas & partium non nimis magna inæqualitas.

Quod ergo spectat generis vtriusque ac qualitatum imparitatem; sciendum est reum ex illa gente esse, vbi omnes hidalgui vocantur, seu nobiles, qui non ex infecto Maurorũ sanguine, nec vilium opificum natisunt; sed parentibus, qui succo suo iam olim vixerint. *vide Gutier. pract. q. l. 3. q. 13.* vt neque hic reus aliqua nobilitatis maiorum diplomata profert: & superfactis, ex quibus elicere vult nobilitatem, nullos testes produxit: sed aliqua Instrumenta dumtaxat; in quibus narratiuè quædam referuntur. cùm certi iuris sit istiusmodi nõ probare, ne quidem literas Papæ. *si summus. de sent. excom. in Clement.* nisi quæ narrantur coram se gesta. *clem. liter. de probat.* quæ autem concepta sunt in formam testimonij, nullius momenti sunt: testibus siquidem non testimonijs est credendum. *l. 3. §. ideoque. D. de test.* vbi reiectus est actor, quia inquit Adrianus, *non probabat, nec testes producebat; sed testimonijs vti volebat, quibus apud me locus non est.*

Et quamquam Bartholus *in l. 1. C. de dignitat. l. 12.* generatim dicat militiam nobilitare; non tamẽ id receptum est: & vix hìc si & magistratum militarem milites gesserint; ac denique vt summum, non nisi quoad communem nobilitatem, quam actrix non negat. nam vt eximia sit nobilitas, magni, pluresque magistratus requiruntur. vnde ille:

Auus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarunt,

& *in d. l. 1. C. de dignitat.* *si auum*, inquit, *consularem & patrem prætorium habuistis, claritatem generis retinetis.* vtique si maiorum virtutes retineant nepotes: alioquin si vitiorum mancipia fuerint, honoribus exuuntur; & inter plebeios censentur. *l. 12. C. eod.* vnde rectè dixit Socrates nullam esse differentiam inter baiulum & Alcibiadem, si virtus abesset. & propterea *l. 28. C. de nupt.* certamen competitorum procorum ex genere, & moribus tantùm admittit.

Insuper considerandum est apud Hispanos auitum omne patrimonium primogenito deferri; alios ab eius liberalitate pendere; pueres gladio cingi, in regiam militiam mitti, omnium egenos.

Plautus autem iudicabat præstare diuitem esse, & populatem; quàm nobilem & mendicum. & quamuis in rei veritate *fortuna non mutet genus*; neque paupertas, aut diuitiæ quoad nuptias: *l. 7. C. de incest. nupt.* ex iudicio tamen communi faciunt ad personarum inæqualitatem. vt apud ipsos Romanos dedit olim *census honoris*, *Auth. de defensor. in princ. vide Tiraquell. de nobilit. c. 3. Borell. de magist. c. 13.* & ipse Aristoteles etiam *lib. 3. polit. c. 6.* sibi nobiles videri dixit, quorum maiores diuitijs & honore florüissent. adeoque vix in numero manent

Quorum conatibus obstat
Res angusta domi.

Nunc quod attinet parentes ipsos actricis; vixerunt sine labe, sine exercitio artis mechanicę; quales multorum locorum iure consuetudinario pro nobilibus censentur. & de iure etiam Romano tractat Tiraquel. *de nobilitat. c. 4.* & Hispani eo iure vtuntur.

Accedit quod actricis pater eâ vitæ & industriæ laude se gesserit, vt

vt iuuenis diuersas prouincias lustraturus, postquam domesticus fuerat alicui ex illustrissima familia de Osoria (quod nihil natiuitati nocet, *l. 7. C. de incest. nupt.* quãuis seruilia obsequia præstitisset *l. 22. C. de probat.*) in Hispania adscitus sit in familiam Alberti Archiducis Principis nostri; eique ad extremum vitæ domestico cubiculi ministerio obsecutus: & *quis non putet*, inquit Nouella 8. *magno honore compleri eum, qui Principis decreto, iudicioque ad cingulum venit?* nam & tales principalis lateris comitatus illustrat. *l. vn. C. de præpos. labor. l. 12. l. 1. 24. C. eod. lib. de præpos. sacri cubiculi. & de omnibus cubicularijs.* vbi non agitur de summis tantùm cubicularijs, qui hodiè non sunt nisi magnates: sed etiam sua proportione de inferioribus. quippe lex 4. *ibidem.* decernit, seruos etiam ad cubiculi officium admissos, eo ipso liberos fieri non tantùm, sed & ingenuos. fauet & l. 1. *C. de domest. & quæ tradit Tiraquell. de nobilit. in princip.* Vt vt sit iure Romano, negare nemo potest, quin apud eam gentem, quæ pro nobilibus habet omnes, qui nulli vili opificio fuerint addicti, multò magis inter tales recipi deberent, qui in domestico obsequio cubiculari Principum supremorum sunt: plurimumque apud illos veri habere illud; *Dignitas est seruum esse potentis.*

Sicut etiam si verum est, quod filia Comitis I. Burgundi nupserit auo rei inferiori, claritatem generis amisit. *d. l. 1. C. de dignitat.* deinde quærendum esset, si ad rem nostram faceret, qua nativitate fuisset illa filia.

Sed & vitæ honestas, sine vili conditione, aut exercitio, cum moderatis facultatibus, simplici nobilitati, ac pauperi, nec virtutibus deditæ, longè anteponenda est. pulchrè Gregorius in Pastorali; *quis nescit, quod in natura gemmarum carbunculus hiacynto præfertur? & tamen cerulei coloris hiacyntus præfertur pallenti carbunculo? quia illi, quod ordo naturæ subtrahit, species coloris adiungit; & hunc, quem naturalis ordo prætulit, coloris qualitas deprimit.*

Demus ergo nobilitatem rei armis quæsitam, quamquam nulli maiorum vnquam magnis legionibus imperitarunt, paulò esse maiorem, quàm nobilitatem ex domesticis Principum obsequijs; alijs vtrimque circumstantijs illa inæqualitas compensatur sanè, aut superatur: moribus, decore vultus, habitu corporis, omnibus alijs in virgine communiter æstimatis gratijs, & virtute: nobili etiam affinitate per sororem ipsius dominam pagi de G. contracta, alijsque.

Sed eo maximè, quod Reus sit homo exterus, nullam vllibi sedem, aut larem habens, omnia sua secum portans.

Quin nec hodie lex XII. tabularum aut Papia obtinet, nec vlla qualitatũ disparitas impedit consentientium matrimonium, aut dissoluit. *c. 1. & tot. tit. X. de coniug. seruorum.*

Et propterea qui tradunt inæqualitatem contrahentium obsistere sponsalibus; accusant vel defectum consensus, quasi ioco quis procum egerit, & ioco agere intellexerit, aut intelligere debuerit sponsa inæqualis. *Sanches de mat. l. 1. d. 10. n. 7.* vel quod ex inæqualibus nuptijs, scandala, odia, similiaue incommoda oritura sint, qualia euitare iubeat charitas; & quæ sine peccato mortali admitti vix possint.

5. Inæqualitas magna esse debet, vt ius ratio habeatur.

Verùm agunt inprimis de inæqualitate, & distantia valde magna: vt si Comes rusticam mulierem procetur. quamquam Sanches *De mat. l. 1. d. 10. n. 6.* non tantam distantiam velit esse necessariam; sed remitti illam ad Judicis arbitrium.

Deinde agunt de scandalis, odijs, inimi-

6. Magna itē scandala, odia, periculū quasi certum.

inimicitijs omnino certis; nam certa contractus iustitia euerti non potest propter incertum minuendæ charitatis periculū; sicut etiam magnū scandalum, & magnum odium, seu capitale requiritur; & similis causa valde grauis, antequam alicui auferri possit ius per contractum quæsitum. quod ne Princeps quidem potest, nisi magna admodum ex causa, & publica. quando damna priuata cedere debent bono publico. *qua de re videri possunt authores citati à Fachin. controuers. iur. l. 8. c. 63.* nec verò quilibet Iudex ea in re, quod Princeps, potest: nec charitas communibus iuribus, & Iudicibus imperat; sed iustitia. vt hanc Ordinarij non possint aduersus illam liberè amplecti. quemadmodum traditum est, teneri quidem litigatorem ex charitate iuramentum remittere aduersario, quem scit peieraturum; Iudex tamen tenetur illud huic iniungere, illo instante, ex iustitia. secundùm quam vnicuique ius dicit. quemadmodum etiam acerbus creditor. pauperi debitori cōmisereri deberet, iuxta euangelicam, domini rationem ponentis cum seruis, parabolam; Iudex tamen pauperem condemnat, & omnia bona sub hasta diuendit, vt creditoti suum tribuatur, & iustitia seruetur: quamuis charitas à partibus lædatur. exceptis illorum casibus, quibus leges priuilegium dederunt, ne vltra teneantur quam facere possunt. Et quidem de periculi certitudine, ita rectè Sanches *de mat. l. 1. disp. 14. n. 3. cautè*, inquit, *considerandum est hoc scandalum, non enim quodcumque sufficiet. sæpe enim variæ minæ iactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula intentantur; quæ tamen experientia teste, vbi deferbuit ille impetus, & matrimonium celebratur, in nihilum recidunt, facileq; animi conciliantur, sedaturque omnis tempestas.*

7. Vt auferatur ius ex contractu quæsitum.

Quod eo magis in hac hypothesi rationem habet, quod actrix decepta sit per suppositionem cuculæ, habitu sacerdotali induti, credens esse proprium viri parochi; nec antè induci potuit ad copulam, nec credere fictam esse procationem: quod in imparibus requiritur, saltem in sua causa. *Sanches de mat. l. 1. d. 10 n. 21.* & inter Belgas facilior, & securior sit reconciliatio: & reus per scelus huc vsque peruenerit. lex autem 12. *C. de dignit l. 12.* decreuerit, vt qui sceleribus se maculauerint, *honore*, inquit, *exuti inter pestimos quosque, & plebeios habeantur: nec sibi possint de eo honore blandiantur, quo seipsos indignos iudicauerint.*

8. Impuniti delicti contemptus impunitas.

Quinimo cùm per carnalem copulam sponsalia, seu promissa de ducendo secutam, censeantur nec. 9. Exempti conditio. sponsalibus adiectæ conditiones remitti: *c. 3. & 6. X. de condit. apposit.* eamque præsumptionem glossa *in d. c. 3.* dicat iuris esse, & de iure: multò magis in foro saltē externo, censebitur remissa tacita conditio hæc, *nisi nimium sit inaqualis*: quia vis taciti huiusmodi subintellectus, non potest esse maior quàm expressi: quidquid autem huiusmodi expressum esset per copulam censeretur remissum; ergo & quidquid tacitè posset esse subintellectum. 10. Exti. hic nisi sit par.

Et quamuis Sanches & alij, etiam post copulam negent obligationem ducendi admodum imparem; tamen, cum filia satis intellexit, aut intelligere debuit se decipi, ex nimia imparitate, dumtaxat intelligendi sunt: præsertim in foro interno: nam in externo magis standum est d. c. 3. & 6. in quo etiam huiusmodi conditio, *nisi inæqualis nimium sit*, pro turpi reijceretur, cùm adijceretur causa obtinendæ copulæ sponsæ. *c. 1. & vlt. eod.* vt optimè ideo in fingente respondit Pontifex *d. c. tua nos. X. de sponsa.* quod sine illius consensu non posset quidem esse matrimonium; sed quomodo id

id in foro externo constitisset, se non videre. adeoque & hic manendum est in d. iuris præsumtione, in externo hoc iudicio. cùm & Sanches fingentem obliget ad ducendum deceptam, vbi non nimia est inæqualitas.

11. Pericula si ducat minora, quàm si non ducat sic corruptam.

Vt omnibus istis expensis, nec sit vera inter litigantes imparitas; & si quam velimus imaginari ex parte rei, si actricem vxorem ducat; maiora occurrent ex parte actricis incommoda, si vxor non ducatur. timendum enim est ne ex illius parte non desint consanguinei, qui ad vindicandam illius, & familiæ suæ ignominiam incitari non iniusto dolore se credent.

12. Inimicitiæ.

Nunc quod attinet ad inimicitias, quas procudit reus, pro exceptione altera aduersus promissa; quasi non teneatur eam ducere quis, quam odio habet; ne fortè deterius contingat: *c. 2 X. de sponsal.* cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. *c. 11. X. eod.* quod c. loquitur etiam in sponsalibus iuratis. metus quidem non inspicitur, cui metum passus causam dedit, *l. si mulier. D. quod met.* sed videamus tamen allegatas inimicitias. diuisit eas Intimatus in duas classes; in vna ponit causas à patre actricis; in altera ab ipsa actrice datas.

Ad patrem quod attinet; res inter alios actæ, quin etiam iudicatæ, de iure alijs non nocent; nec alterius per alterum iniquior potest fieri conditio, aut ius auferri; sed & qui iure suo vtitur nemini dicitur facere iniuriam.

13. Non æstimadæ nasci ab agente ex formula à iure proposita.

Ad quid egit pater actricis? non criminaliter; sed vt reus filiam ipsius in facie ecclesiæ pro vxore agnosceret, aut prout iuris est puniretur: sed hunc ipsum modum præscribit c. 2. *X. de adult. & stup.* decernitque nihilominus, vt stuprator habeat stupratam pro vxore; aut corporaliter castigatus, excommunicatusue in monasterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur; de quo nulla sit egrediendi licentia. & agit d. c. 2. de eo dumtaxat, qui simpliciter quandam virginem stupro decepit: vbi nec fides data de ducendo allegatur, minùs iuramentum; minimè tam impia fraus suppositi parochi ficti falsiue matrimonij: & tamen detrusionem in monasterium sine egrediendi facultate, & pœnitentiam, & excommunicationem infligit, quæ homini bene christiano grauior est, quàm mors naturalis.

14. Et sibi imputat, qui causam dat.

Et verò dum concluserit pater alternatiuè, vt ducat, aut puniatur; talis actio, verè non est criminalis. cessat enim punitio, electo priori membro; ductaque vxore: quam ducere teneatur. vt dicitur ita *Deum muneratse hominem libero arbitrio, vt tamen terreret exitio*: eum tamen terrorem constat nullas posuisse inimicitias; non obfuisse libero arbitrio. nec verò suauius à patre agi potuit: nisi fortè in conniuentiæ, & taciturni lenocinij suspicionem vellet incidere, & pœnam *l. vn. C. de rapt. virg. parentibus*, inquit, *si patientiam exhibuerint, ac dolorem remiserint, deportatione plectendis.* si, quod debet, nolit facere reus; *imputari debet ei per quem stat, si quid non faciat quod erat ei faciendum. c. imputæt. de reg. iur. in 6.* etiam illud, si quodcumque incommodum eum sequitur, qui est in culpa. c. *damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs* (nota) *imputar. de reg. iur. in 6. l. quod quis. D. eod.*

15. Qui obedit iudici non censetur causam dare inimicitiæ.

Quoad secundam, quam reus prætendit, causam inimicitiarum; producta est in testem actrix, iussa est rem edicere, debuit imperio Iudicis parere; & exacto iuriiurando satisfacere; ne à vero deflectens peieraret. dixit ergo Actrix Iudici imperanti veritatem. *quod quis mandato facit Iudicis dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. c. cum quis de reg. iur. in 6. l. non videtur §. 1. D. eod.* imò, si non faceret,

ceret, in dolo esse censeretur. *l. non potest D. eod.* propter publicam authoritatem, quam non licet contemnere. *c. 2. 4. 5. 6. X. de maior. & obed. tot. tit. X. de test. cog.*

Quin etiam sui causa debuit à Iudice iussa veritatem dicere: ne si illam negasset, infirmarentur probationes, pro ipsa in hac causa faciendæ.

16. Nec qui ad ius suum tuendum veritatem rei gestæ proponit.

Quin etiam actrici sua sponte agenti non minus licitum est rei veritatem in iudicio proponere, vt administrationem iustitiæ possit consequi; aduersus inuitum, contumacemque debitorem. ideo enim leges latæ, & iudicia instituta sunt. ideo obligatio dicitur iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendæ, secundùm iura. *Instit. de obligat. in princ.* actio autem nihil aliud esse, quàm ius prosequendi in iudicio, quod sibi debetur. *Institut. de act. in princ.* licet ergo filiæ seductæ, vt id consequatur, quod seductori *in c. 1. & 2. X. de adult.* imponitur, agendo allegare seductionem: licet raptæ, vt consequatur quod Conc. *Trid. s. 24. de mat. c. 6.* raptori imponit, allegare raptum: licet deceptæ per chyrographum, falsi parochi suppositionem, falsum testimonium contracti matrimonij, quo decepta est, & in copulam venit; vt consequatur, quod ex iure communi, & Tridentino debetur sic deceptæ.

17. Quasi raptum, vim, & metum hic fuisse.

Nam in rei veritate, si promissa, quæ diximus, suppositio parochi, & sub parocho falso contractum matrimonium, vera sunt; huiusmodi sanè persuasio vim & metum continet, eíue æquiparatur; si vnquam importunæ preces, persuasioneſue, vi & metui æquiualeant. *persuadere*, inquit l. *1. §. qui bona fide. D. de seru. corrupt. est plus quam compelli, & cogi sibi parere, l. eum 5. C. de apostat. in verb. inuitum seu suasione. l. 3. vers. si quis volentem. D. de libero homine exhibendo. l. vnic. §. pœnas. vers. si enim C. de rapt. virg. in verb. hoc ipsum velle mulierem ab insidijs nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. nisi enim eam sollicitauerit, nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle.*

Cùm ergo reo aduersus actricem nulla procederent promissa ad impetrandam copulam, deuenit tandē ad huiusmodi falsū matrimonium; ab huiusmodi nequissimi hominis insidijs, & odiosis artibus inducta, circumuenta, facta est velle; plus quàm compulsa, & coacta est. eamque procul dubio considerauit rationē Conc. Trid. d. c. 6. vbi *si mulier iam libera* [illegible] *illum*, inquit, *in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat, teneaturque decenter Iudicis arbitrio dotare.* vtrumque coniunctim; tam ducere, quàm dotare: & quidem præcisè ducere liberam, & consentientem; non alternatiuē tantum vel dotare, vt vel solo hoc iure, sepositis promissis, & chyrographis, reus præcisè obligatus sit actricem ducere: idque in prima instantia rectè petitum, adiudicatumque sit: in secunda autem perperam reformatum. quinimo non tantùm agere potuit actrix, sed & condemnatum cogere per Iudicem, & censuras. *d. c. 2. X. de adult. d. c. X. literis. X. de sponsil.* & quin etiam ante censurarum inflictionem ciuilibus coactionum modis, etiam carceris. *Marc. Anton. Genuen. in prax. Neapolitan. c. 14.* quia parcendum est censuris, quando executio per districtionem personarum, aut rerum captionem, aut distractionem aliter fieri potest. *Trid. s. 25. c. 3. de reform.* vt nec huiusmodi districtio personæ rei, nec distractio rerum, nec censuræ, aut capturæ contumacis proficere ei possent ad elidendam actricis actionem, & commentandas inimicitias, quæ alioquin seductoribus virginum numquam deesse poterunt.

Et quoniam, quæ de matrimonio

nio tradita sunt, etiam ad sponsalia transferuntur. *l. oratio. D. de sponsal. c. quemadmodum. X. de iureiurand.* & in matrimonio receptū sit, vt cùm inimicitiæ sunt inter coniuges ortæ, diuortium ob illas petere non possit, qui illarum est causa. *Sanches de mat. l. 10. disp. 18. n. 9.* quamuis fortè Iudex cohabitationem procrastinare aliquantulum possit: vt ille animi fluctus interim componat, *vt Sanches ibid.* ita dicendum est dissolutionem sponsalium petere non posse illum, in quo solæ illæ residentdum alij non aliud agunt, quàm vt vxor ducatur, & cessent inimicitiæ, cum sua causa.

19. Inimicitiarum qui est causa, dissolutionem sponsalium petere non potest.

Iterum quemadmodum in matrimonio non sufficiunt ad diuortium quælibet rixæ, sæuitiæ, vel inimicitiæ; sed graues omnino requiruntur, atque capitales: *c. ex transmissa in verb. si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod merito de ipso diffidat: c. literas in fin. X. de restitut. spoliat. in verbis, si vero sit tanta viri sæuitia vt mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas prouideri, non solum non debet ei restitui, sed ab eo potius amoueri, alioquin sufficienti* (si fieri potest) *securitate prouisa, profecto videtur coniux ante causæ cognitionem restituenda marito*: vt hinc clarè constet requiri capitales inimicitias. vt & docet Basilius *Pontius de mat. l. 12. c. 12. n. 7. citatque Hostiensem, Sanches, Toletū, Ægidium, Seraphinum. vide iterum Sanches de mat. l. 10. disp. 16. n. 6.*

20. Et capitales alioquin requiruntur.

Cùm igitur inimicitiæ, quas reus hic commentatur, demus vt veræ, & ab illo non ortæ forent; non sint capitales: quoniam alternatiua ei permissa facit actiones omnes esse ciuiles, & criminalem cessare; si, quod facere debet, elegerit: impedimento nullatenus esse possunt executioni obligationis, pro qua actum erat: vt scilicet si matrimonium inter partes clandestinè contractum validum non esset, declararetur sal-

21. Quæ cum hic non sint, superstet cog-

tem validandum, seu solemnizandum in facie ecclesiæ. vt Iudex primæ instantiæ pronuntiauit: & rectè. quemadmodum *c. ex literis X. de sponsal.* mandatur Iudici cognoscere de promisso ducendi, & iuramento, & *si*, inquit, *hoc tibi constiterit, eum moneas* (pronunties, seu definias) *& si non acquieuerit monitis, ecclesiastica censura compellas* (ecce executio pronuntiati) *vt ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.* ecce in executione, seu compulsione proponitur demum rationabilis causa. vt & in d. c. requisiuit *X. de sponsal.* de muliere inuita, *monenda est*, inquit, *potius, quàm cogenda.* monitio & coactio præsupponunt præuiam decisionem: & in executione illam inquisitionem; an coactio, vt sæpe, ita in particulari difficilem sit habitura exitum: vt rationabilis in executione proponi debet, facta fortè promissorum remissio, aut aliæ iustæ causæ, quæ superuenerunt, v. g. capitales inimicitiæ, atque odia certò irreconciliabilia, non leui imaginatione concepta. vt ex Sanches *d. disp. 14. n. 3. in fin.* suprà retulimus: non quæ culpa tergiuersantis aut natæ sunt, aut non sedatæ. vt mora, culpa, dolus tergiuersanti non prosit.

noscere de promissis.

22. Pronuncias re de obligatione ducendi.

23. Cogere ad implementum.

24. Nisi executioni obstet causa rationabilis.

Quinimo in c. qnidquid. 32. q. 5. etiam ob accusationem criminalem non toleratur inter coniuges diuortium; adeoque proportionaliter nec dissolutio sponsalium. *d. c. quemadmodum. d. l. oratio. quidquid*, inquit Nicolaus Papa, *mulier tua contra te cogitauerit, aut fecerit, vel si te accusauerit, non est, excepta causa fornicationis, reijcienda, vel odio prorsus habenda, quæ est Apostolo præcipiente, sicut ecclesia à Christo, diligenda. generaliora sunt in c. 1. & seqq. 5. q. 5.*

25. Ne quidem accusatio criminalis causa esset rationabilis.

Quod ergo suprà proponitur *ex c. 2. X. de sponsal.* quod ob odium possint solui; de capitali intelligendum est: vt suprà diximus, vel

26. Intellectus c. 2. X. de sponsal.

de dissolutione quæ fiat communi consensu, vt fieri potest, *in verb. sibi remittunt*, eoque maximè videtur spectare ob eadem verba, ac denique vbi nec iuramentum, nec copula interceßit : cùm neutrius ibi sit mentio, sed fidei tantùm. & quidem iure ciuili etiam inuito altero sponsalia alter potest dissoluere ; sed non itidem per canones. *d. c. ex literis.* quod autem d. c. 2. sponsalia societati comparet, facit quoad communem consensum ; non verò quoad renuntiationem vnius inuito altero. sed etsi in eo comparari posset ; non tamen intempestiuè socius renuntiare potest. *l. actioni. §. diximus. D. pro socio in verb. eo tempore, quo interfuit non dirimi societatem. item qui societatem, in tempus coit, eam ante tempus renuntiando, socium à se, non se à socio liberat.* quare renuntiatio post rem nō integram, & copulam fieri non potest ; nec ante tempus, id est, finem vitæ, quo vsque societas contrahi potest. *l.* 1. *D. eod.* & sponsalia & matrimonium spectant indiuiduam vitæ societatem quæ, finiri non potest, nisi per alterius mortem.

27. c. requisiuit. X. eod.

Alterum caput suprà citatum videlicet c. *requisiuit. X. de sponsal.* loquitur etiam de causis grauissimis, vt odio capitali. *vt Sanches sentit post plures quos citat d. c. 14. n. 3. in fin. disp. 58. n. 3.* alioquin vanus inimicitiarum timor non sufficit. *vt ibidem Sanches in fin. vbi* de vano timore accipit c. veniens X. *qui clerici vel vouentes.* quamquam fortè rectius de sæuitia, quæ non sit mortalis, aut ad inimicitiam capitalem sufficiens. & propterea mulier ibi nolendo nubere, sponsum à se liberauerat, isque vxorem duxerat. iubet tamen Pontifex de fide mentita, quod in casu capitalium inimicitiarum dici nequit, mulierem puniri. quod si vir aliam non duxisset, sed illam fidem seruare voluisset ; moneri illam, & compelli iussisset Pontifex, *iuxta*

28. c. veniens. X. qui clerici.

d. c. ex literis. 10. *X. de sponsal.* cùm illud sit Alexandri III. & eiusdem sit d. c. veniens, adeoque confortiter vtrumque omnino sit accipiendum. 29. c. ex lit.

Itaque cùm hic neque inimicitiarum origo, aut causa à parte actricis sit ; neque graues esse possint, aut capitales, vndecumque sint ; sanè solemnizando matrimonio obesse iure non possunt. neque dubitandum est ; postquam contractum illud erit, facile bonis actricis gratijs reum leniendum : si quid adhuc in stomacho durioris superfuerit digestionis. memorabuntur coniuges, Romæ fuisse templum deæ Viriplacæ : in quod ibant coniuges, & si quid domi iurgii incidisset, locuti quæ volebant, reconciliabantur : idemque inter hos litigantes successurum omnes causæ circumstantiæ debent persuadere.

Attentis his omnibus videtur omnino sententiam per Iudicem vltimum latam esse retractandam, & à priori Iudice latam confirmando, reum ad solemnizandum cum actrice matrimonium condemnandum, prudenterque cogendum esse.

De secundis nuptijs.

RESPONSVM. I.

Vt leges non retrotrahantur, & quid in negotio imperfecto?

TRitum est, leges futuris dare formam negotijs, non trahi ad præterita, nisi exprimatur. *l. leges, C. de leg. c. 2. X. de constit.* & ne tunc quidem ad negotia iam perfecta : per quæ partibus ius quæsitum, non præsumitur Princeps auferre velle.

Verùm vbi factum de præterito exspectat perfectionem à futuro,

turo, tunc dicitur lex noua illud comprehendere. *Felin. ad d. c. quoniam X. de constit. n.* 11.

1. Vt in fidei-commissis? Sic interpretatio 18. *oct.* 1611. *ad edictũ* 2. *Iulij* 1611. extendit dispositionẽ *art.* 16. *illius edicti.* quod substitutiones, & fidei-commissa ter dumtaxat effectũ habebunt, comprehensa prima institutione, & ad tres tantùm personas porrigentur. vbi & numerum faciet primus institutus hæres, declarauit extendi ad fidei-commissa præterita, quæ nondum erant aperta, neque ecciderant tempore edicti. nam in nondum apertis nemini ius perfectè quæsitum est: & negotium substitutionis apertione suscipit suam perfectionem: vt tunc secundus aut tertius hæres incipiat esse. quoniam enim verba sunt cum effectu intelligenda, ac tum demum fieri res dicatur, cùm effectum capit. *l. sciendum D. ad l. flauiam. de plagiar. l. in tempus. D. de hæred. inst. l. quia D. de don. inter vir. & vx. l. quod sponsæ de donat. ante nup.* & maximè testamentum, quamuis à viuente fiat, ante mortem tamen sine effectu est, *l.* 1. *& ibi gloss. de testament. tutel.* hæc omnia Peckius *de testam. coniu. c.* 29. *n.* 2. *&* 3.

Eaque tum magis dicenda sunt, cum æqualis est ratio in negotio præterito, futuroue, atque præterito nondum perfecto.

Atque tum præsertim obtinent, cùm lex noua magis est veteris iuris declaratoria, quàm noui conditoria. *DD. ad d. c. quoniam ibique Felin. n.* 4. *Papon. arest. l.* 16. *tit de restitutions en entier. arresto* 1. 5. *& additio ad Imbertum Instit. for. l.* 1. *c.* 34. *ad v. quinquennij in fin.* quando ex lege veteri finalis ratio nouæ, atque huius interpretatio sumi potest. *Bart. & aly citati à Tiraquel. in tract. cessante causa lim.* 1. *n.* 43.

2. Vt in secundò nubentibus? Ideo cum testamento coniux superstiti legarat ante edictũ 1611. eo loci, vbi lex fœminæ, *& subiunctæ authenticæ, atque. l. hac. edicitali. C. de secundis nupt.* vsu contrario erant sublatæ, & superstes iterum secundas nuptias contraxerat ante idem edictum, adeoque iam perfectè ius ei quæsitum erat pleni dominij, & liberæ dispositionis, dicendum videtur testamentum post edictum factum, quo fundum legatum non prioribus liberis, sed alijs reliquit, validum esse debere: secus autem si post edictum secundò demum nupsisset. tunc enim demum perfectum esset negotium, in quod fertur edictum d. art. 28. si inquit, *alter coniugum moriatur, & superstes secundo nubat, bona à defuncto ad hunc profecta, affecta & reseruata sint liberis prioris thori: ita vt in horum præiudicium coniugi alteri ex illis beneficium nullum conferri possit.* vbi affectatio & reseruatio inducitur ex solo facto secundarum nuptiarum, cætera autem articuli verba explicationem tantùm continent effectus huiusmodi reseruationis.

Et sic etiam loquitur d. lex fœminæ, *quæ*, inquit, *ad secundas transierunt nuptias.* & ratio addi potest, quod qui post legem nouam ad secundas nuptias transijt, facit id, de quo disponit edictum, tanquam super causa, & conditione, vt huiusmodi affectationẽ & reseruatione constringatur: qui autem ante edictum nupsit, nihil admittit, nullam iam causam præstat: negotio quippe perfecto, sine culpa aut pœna tunc obtinente, in quam feratur edictum postea futurum: sed qui post illud nubit, habet quod sibi imputet factum illud admittens, cui edictum reseruationem illam infligit.

Et sic apud Iulian. *Brodeau in addit. ad arrest. louet. littera à n.* 8. fuit 27. *Martij* 1584. decisum, cùm antiqua consuetudo vsusfructum superstiti coniugi permitteret, noua auferret secundò nubenti coniugi, & sub antiqua coniuge mortua, superstes sub noua secundò

nuberet, ei vsusfructũ fuisse auferendum. vtique qui haberet quod sibi imputaret, qui commiserit post noui statuti publicationem, quod ita per eam præmiaretur. quod non idem obtinet in perfecto iam negotio, factóque illo, quod noua lex ita perstringit.

Quod autem dicitur leges circa testamenta quidpiam præscribentes obtinere debere in illis, quæ post illas fiunt, sanè intelligendum est; in quibus inuenitur ratio ipsa legum, quæ si cessauerit, leges ipsæ cessant. *Euerard. in loc. à cessatione rationis, à lege cessante.* hic autem ratio cessat in eo, qui nupsit ante edictum, & cui liberum ius plenè erat acquisitum, vt liberè adeo possit de bonis disponere, cùm cesset d. reseruatio: vt diximus. in eo autem, qui post edictum secundò nubit, non cessat ratio legis; factum illud persequentis; & ex conditionis existentia reseruationem imponentis.

Accedit, quod edictum disertè non renouet authenticam *Iucrum. C. de secundis nupt.* à consuetudine quam diximus, exclusam; & tantum vetet vitricis, aut nouercis, ex bonis prioris coniugis bene fieri; non autem liberis secundi matrimonij: vt hîc accidit.

LIBER QVINTVS

De accusationibus.

RESPONSVM I.

De carceratione, & detentione clericorum.

1. Consultò facienda.

QVam tardo pede procedendũ sit ad capturam, & carcerationẽ clericorum, satis declarat Bonif. VIII. *in c. si clericos. de sent. excom. in 6. & Conc. Trid. s. 25. c. 6. & diximus in Consult. can. de accus. consult. 2. & 4.* De relaxatione autem, *eosdem quoque clericos*, inquit ibid. Bonif. *si de parendo iuri, tibi fide-iussoriam dederint cautionem, detinere non debes: nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis, eos suaserit detinendos.* excessus ergo enormitas detentionem permittit. & enormitas quidem Iudicis censuræ relinquitur. *Spigel. in Lex. v. enorme.* sed Concilium Trid. presius stringit *d. c. 6. in verb. in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus,* vt grauissima tantùm crimina speciare videatur. præter crimen incontinentiæ, de qua in decreto de concubinarijs, *scilicet c. 24. s. 25.* non ergo in crimine simplicis fornicationis. *vt decidit Rota apud citatos à Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. d. c. 6. n. 40.*

2. Ob excessus enormitatem.

3. Arbitrio Iudicis?

4. In atrocioribus delictis, vbi ad degradationem & similes pœnas requiritur.

Rationabilis etiam causa detentionem permittit: & hæc ad censuram etiam Iudicis pertinet. & exempla dari possunt quæ pro exceptionibus, quando relaxatio carcerati fieri non debeat, adferuntur à Menoch. *in arbit. cas. 303. n. 23. & seqq.*

5. Rationabilis detentionis causa arbitrio Iudicis.

Loquitur autem d. *s. eosdem* de captiuis, quorum adhuc causa agitur. *in verb. de parendo iuri &c.* nam postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub arcta custodia detineri debent. cùm in monasterijs non valeant custodiri. *ita c. vt famæ. X. de sent. excommun.* & crimina non debeant manere

6. Dum causa adhuc agitur.

7. Non post condemnationem.

manere impunita. *ibid.*

Quare etsi in summo gradu non fuerint atrocia crimina, ob quæ clericus sit incarceratus, & periculum sit ne fugiat, & iudicium eludatur; vt considerat Trid. *d. c. 6. & d. c. si clericos* & fragilis cautio videatur, quando videtur imponenda pœna corporis afflictiua; arbitrio Iudicis relinquenda videtur, an relaxatio facienda sit. restringendum est tamen arbitrium, quantum fieri potest, ad terminos iuris communis. qui etiam hoc in casu fideiussoribus reos committunt. *l. 1. 2. 3. D. de custod. & exhib. reor. l. eos. §. super his. C. d. appell.* optimè deducit *Menoch. d. cas. 303. n. 17.* quanquam à communi contraria permittat non recedi. *n. 21. & seqq.* & sic constitutione regni Neapolitani relaxantur sub cautione fideiussoria accusati de criminibus, quæ, si vera forent, non vltra relegationis pœnam inferrent.

8. Quid in alia pœna corporis afflictiua?

Sed hîc quæritur an clericus iam per sententiam relegatus, ab illa appellans, retineri debeat in carcere, donec probetur vel improbetur sententia? & quidem lex inter *pœnas. §. præsides. D. de interdict. & relegat.* in deportato, de quo ad Principem scriptum est, vt æstimet an sequenda sit sententia; *medio*, inquit, *tempore dum scribitur, iubere eum* (præses) *debet in carcere esse.* sed deportatus mortui loco est. *l. 4. §. si deportatus. D. de bon. libert.* deportatio Romanis instar mortis est, & vltimi supplicij. *§. publicorum. Inst. de publ. iud.* ideoque, vt nec morte afficere ciuem Romanum, ita nec deportare præsidibus ius erat. *d. l. inter princ.* relegatio autem minor est pœna. *l. capitalium. §. in exulibus. D. de pœn. Spigel. post Budæum in Lexic. v. relegat. & in verb. peregrini.* nam relegati nec libertatem, nec bona amittunt. *l. 4. D. de interdict. & releg.* tametsi Iudex partem bonorum eis per sententiam adimere

9. In relegatione post sententiã?

possit. *d. l. 4. in fin.* vt in clerico ablatio beneficij esse infra, non supra pœnam relegationis videatur. & sic non eadem est causa relegatum, quæ deportatum in carcere retinendi. cùm pœna vna mortis censeretur, nõ altera. adeoque inæqualitas delictorum supponenda sit, vt non quod in hõc, obtineat & in illo. deinde non idẽ in appellatione, quod in deportatione illa dicendum. quia ibi Princeps consultus de damnato, mox rescribere potest, quod mox exequendum sit. & sic in damnatis *d. c. vt fama* confessis, notoriisque reis *l. 5. l. 3. verbo constet. D. de custod. reor.* carcer obtinet: cuius pœnam appellantes, quorum causa per appellationem illiquida, & ad statum litis contestatæ reducta diu durare potest, non sic æquum est hanc ipsam carceris pœnam ante supplicium sustinere. *l. 3. in fin. D. de custod. reor.*

Siquidem carcer inuentus est ad custodiam, non ad pœnam. *l. carcer. §. solent. D. de pœn.* tametsi iure canonico etiam pro pœna infligitur; sed damnatis. *c. quamuis. eod. in 6.* carcer antea nihil pœnæ, præter custodiam, debet habere. *l. 1. C. de custod. reor.* vt luce solari capti debeant vegetari, *ibidem.* non carcer subterraneus esse, non vincula, & compedes reis injici. *ibid.* nisi ex rei enormitate: cuius censura, qualitatisque carceris, & compedum ad Iudicis arbitrium pertinet. *Menoch. de arbit. cas. 305.* vt & nonnumquam captiuus prohiberi potest, ne cui loquatur, aut scribat. *Greg. Lupus. l. 6. tit. 29. p. 7. gloss. fin.* sic statuta eccl. prouinciæ Mechlinienſis ad captiuos accessum non faciunt, antequam personaliter examinati fuerint. sed iusta huiusmodi prohibitionis causa esse debet, non in modum pœnæ ante damnationem imponi. 10.

At iam hîc damnatus ad exilium, custodia opus non habet: sed neque damnatus est ad carce- 11. Quid de misso in exilium?

cerem, vt pœnæ loco in illo esse non debeat. controuertitur quidem, an quis de crimine inquisitus, ob quod relegari debeat, carcerari, & detineri debeat? Salgado *de protect. reg. p. 2. c. 4. n. 166. 169. 211. in fin. 212. p. 1. c. 2. §. 3. n. 15. & seqq p. 2. c. 4. n. 158. 159. Farinac. de carcerat. quæst. 33. n. 38. 55.* & meritò: ne fugiendo, tergiuersandoque iudicium fortè eludatur. quamuis alioquin qui sic fugit, ipsemet quasi voluntarium exilium præsumit. tamen cùm in exilium damnatus est, eludi iam amplius per fugam iudicium non potest. & fuga ipsa pro exilio, & quasi executione sententiæ est. cui enim iã loco ad exilium damnatum Iudex à quo contendat detinendum esse in carcere, ne exulet? Nisi fortè vt carceris tædio beneficium resignet clericus, aut liti renuntiet? id quod Iudices inducit in laqueum censurarum. *clem. mult. de pœn.*

Quod si ergo relaxatio ad arbitrium Iudicis pertinet: *Menoch. d. cas. 303. Farinac. d. c. q. 33. n. 71. 72. 73.* iniquum sanè videbitur plus pœnæ per carcerem lite aut appellatione pendente imponi, quàm per sententiam sit impositum, aut imponi petatur: idque ab eo, qui eandem sustinet æquam esse, & in rem iudicatam abiuisse, aut saltem confirmandam esse.

12. Carcerari & detineri quasi paria, & in clericis vetita, nisi sit criminis enormitas aut rationabilis causa sub periculo censuræ.

Itaque vt carcerari, ita nec detineri debent clerici, nisi enormitas criminis, aut rationabilis causa suaserit. & tam secus detinens periculosè peccat, quàm incarcerans. de vtroque d. c. si clericos agit, & comparare videntur verba eosdem *quoque. Vid. Farinac. & quos citauimus d. consult. 2.*

Adeoque cùm Judex, à quo prouocatum est, ex delictis impositis iam vidit reum non nisi in exilium damnari posse, & is sub fide-iussoribus petijt relaxari, emittere eum debuit: multoque magis iam damnatum ad exilium retinendum contendere non debuit: ideoque per sententiam dicendum videtur reum *fuisse, & esse relaxandum.* 13. Relegatus promotus citatus fuisse, & esse relaxandus. Neque Judicem à quo excusat, quod reus non sit prosecutus coram illo petitionem relaxationis, sed appellauerit: debuit enim vel ex officio hoc facere. *l. 1. D. de cust. reor. Instructio criminal. quam citauimus d. consult. 4.* & reo appellante vti consilio proposito in cap. si à Iudice *de appell. in 6.*

Dixi, *fuisse, & esse relaxandum,* 14. Seu excarcerandum reum; vt loquitur rescriptum. si enim de præsenti tantùm excarcerandus dicatur, & de præterito nihil fuisse peccatum; controuersia non exigua est an causa principalis non manserit apud Iudicem à quo. *ex d. c. si à Iudice*; & clausula rescripti *cum annexis, totoque negocio principali* non sit interpretanda secundum ius; *c. causam. de rescript.* adeoque tantùm obtineat prout iuris; cùm scilicet corrigitur sententia interlocutoria Iudicis à quo, in qua re diffidere videntur Ruinus *cons. 114. n. 2. 3.* & Marchesan. *de commiss. 1. p. c. 21. n. 22. p. 2. de commiss. & null. c. 1. n. 40.* quando autem interlocutoria corrigitur d. clausulam *totoque negocio principali* vires suas exerere, non controuertunt partes, vel eo casu in principali causa delegatum fieri Iudicem competentem.

Animaduertendum est autem sanctione Clementis VIII. 1600. *incip. Ad tollend. super controuersijs iurisdictionalibus* dum appellationem ab incarceratione permittit, vti verbo *indebitæ*, non *nullius*, 15. Cur similiter fiat mentio indebitæ carcerationis, & non vocet. nullitatis? adeoque si quid minus ex formula apicum iuris decretum esset, iusta tamen esset causa decreti; cessare nullitatis querelam: *ex Clementis VIII. const. Incip. litum.* sed etsi obseruatis formulis, satis grauis tamen causa non subsit; fit indebita incarceratio. vt cùm non satis magnus est excessus, & qui non merea-

mereatur incarcerationem. & sic bene hîc petitum est, non vt incarceratio declaretur nulliter facta; sed persona excarceranda: saltem sub fide-iussoribus.

16. Vt quamuis initio iusta fuerit causa incarcerandi, iustumque decretum; & postea non probatis criminibus, vel non grauissimis, aut ex temporis diuturnitate desinat esse iusta detentio; rescripto locus fiat, & excarcerationi. & sic Trident. *s. 25. c. 6.* magis vtitur vocabulo detentionis, & custodiæ; quàm carceris. quam & decentem esse iubet pro dignitate clerici. alioquin fit indebita, & locus est excarcerationi, saltem quoad modum, seu decentiam. sed verò hîc simpliciter; cùm nulla custodia amplius sit opus eius, qui in exilium est missus. & cessante fine cessent media. *Euerard. in loc. legal. ad fin.*

Itaque sentio apprehensionem, & incarcerationem, ex arbitrio & decreto Judicis factam; validam fuisse: reum tamen exinde fuisse relaxandum, & esse.

RESPONSVM II.

De translatione captiuorum.

SVper translatione captiuorum criminalium Clemens VIII. *anno* 1600. *const. inc. ad tollend. super controuersijs iurisdictionalibus* decreuit *ar.* 10 his verbis; *Causa appellationis pendente, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad Iudex, ad quem appellatum est, visis actis, & causa cognita aliter decreuerit.* recedi hîc nonnihil videtur à veteri iure, quo captiuus mittebatur ad superiorem, ad quem appellauerat, non exspectato superioris decreto. *tit. C. de exhib. & transmittendis reis. l. 6. § super his. l. minime. C. de appell.* vnde & illud in actis Apostolorum *c.* 25. Festi ad D. Paulum; *Cæsarem appellasti, ad Cæsarē ibis:* & *c.* 27. cum centurione Iulio, & custodiis missus est in Italiam: humanè autem tractans Iulius Paulum permisit ad amicos ire, & curam sui agere.

1. Fieri non debet nisi superiori decernenti.

2. Secus quā olim.

Itaque multo magis audiendus est Reus translationem petens, eamque suscipere offerens non tantùm suo sumptu cum custodijs, Iudici arbitrarijs; sed etiam pede ligato; siue cū vinculis: quod ius nō admittit; nisi tamen captiui clerici violentia hoc exigat, nec aliter. *c. vt fama. in fin. X. de sent. excom.* quanquam fideiussores tantùm exigant d. *§.* super. d *l. minime.* & Ordinarius ad sumtum teneri interim videretur. *Choppin. de sac. pol. l. 2. t. 5. n. 15.*

3. Qualiter transferendus captiuus?

Sed & d. sanctio loqui magis videtur casu quo ab incarceratione tantùm est appellatum, nondum autem definitiuè pronunciatum. at hîc post deuolutam causam incarcerationis, pronuntiatum est in causa principali; & Reus pastoratu priuatus est, & in exiliū missus. Itaque eius custodia vel præsentia deinceps nihil opus est Iudici à quo prouocatum est, qui nihil interrogandum, aut cum eo tractandum amplius habet; iam officio perfunctus: sed demum Judex ad quem est appellatum.

4. Pendente causa principali vel ea decisa?

Decreuit porro d. sanctio, vt reus in priori maneat carcere, donec superior Iudex aliud iusserit; sed vt nec is iubeat aliud, nisi *visis*, inquit, *actis, & causa cognita.* videnda ergo hîc sunt acta, & cognoscenda causa; an captura rite facta sit, præuijs sufficientibus indicijs (quam Trid. *s. 25. c. 6.* vocat informationem, sine qua est captura irrita. *German. Forget de person. eccles. l. 1. c. 42. Mynsi. cent. 5. obs. 69.* quamuis Romæ ex sola relatione satellitis Iudex clericum aliquando incarcerat. *Ant. Scorpus l. 5. iuris non scripti c. 13. n. 37.*) & an processum sit ad illam seruata forma *c. qualiter & quando. X. de ac-*

5. Decretum translationis visis actis, causaque cognita.

cuſ. à Concilio Trid. ſ. 24. c. 5. innouata: & ſi nihil appareat in forma peccatum, an æquitas tamen carcerationi nō aduerſetur; ex cauſa, vt ſi crimen non ſit enorme *d. 6. c. ſ. 25. Trid. c. ſi clericos. de ſent. ex. c. in 6.* & grauiorem pœnam exigens, quàm ſit ipſe carcer; & reus aduerſus indicia, ſeu ſummariam aut præparatoriam informationem teſtes producere pro ſua innocentia velit.

Enimuero etſi acta videri, & cauſam cognoſci velit ſanctio, antequam ſuper tranſlatione quippiam decernatur; vt delictorum impoſitorum grauitas, verisimilitudo, transferendique neceſſitas expendatur: tamen cum hîc interim Iudex à quo proceſſerit ad definitiuam; & pœnam impoſuerit carcere mitiorem; ceſſat neceſſitas videndorum actorum, cùm Iudicis ſententia illius confeſſionem inferat, vt ceſſare poſſit carcer in eo, qui tam grauem pœnam non debeat exſpectare, quàm ſit ipſe carcer. *l. 1. 2. 3. D. de cuſt. reor.* neque enim remedia morbis debent eſſe grauiora, neque media perueniendi ad punitionem, ipſa punitione.

6. Quibus nō ita opus poſt cauſæ principalis definitionem.

Lite autem principali pendente, cum ſuper decreto vel executione incarcerationis tantùm appellatum eſt, non eandem rationem habet tranſlatio; quippe Iudex prior habet adhuc quod reum interroget, audiat, cauſam inſtruat, ac ritè definiat. eoque merito ſanctio ad eius tranſlationem actorum inſpectionem, & decretum exigit ſuperioris.

De ſciſmaticis, ſeu de ſeditioſis, & qui plebem colligunt.

RESPONSVM I.

Ad priuilegia communia defendenda an liceat conciuiũ auxilium implorare.

IVre prohibitum eſt cœtum facere, plebem colligere, clamoribus concitare, ad ſeditionem accendere: ita quidem, ſi dolo malo hæc fiant. nullum enim delictum eſſe intelligitur, vbi abeſt dolus malus. vnde licet religionis cauſa coire *l. 1. D. de collegijs illicit.* ære campano populum conuocare, commonere ad pœnitentiam, & vitam meliorem. & propterea lex *qui cœtu. D. ad legem Iuliam de vi publ. qui cœtu*, inquit, *concurſu, turba, ſeditione incendium fecerit, quique hominem dolo malo incluſerit*: dolum malum exigit, & titulus vim publicam ſeu finem cœtus concurſus, aut turbæ malum; titulus vero Codicis, *de ſeditioſis, & de his qui plebem contra rempublicam audent colligere*, notabiliter addit, *contra rempublicam*: & lex capitalium *ſ. ſolent. D. de pœn.* turbulentas acclamationes exigit: & lex 1. *D. ad legem Iuliam maieſt. tenetur is*, inquit, *cœtus opera, dolo, malo, quo armati homines telis, lapidibuſq; in vrbe ſint, conueniantq; aduerſus rempublicam, hominesue ad ſeditionem conuocentur.* nec vllibi frequentius, quàm ad legem maieſtatis doli mali fit mentio. vnde & Tuſcus *verbo ſeditio. concluſ. 98. ſeditio*, inquit, *eſt quando quis tractat facere proditionem, & nouitatem contra publicum, & bonum ſtatum ciuitatis alicuius, præter Romanam: vel facere guerram, vel quid ſimile, non nuda cogitatione, ſed perueniendo ad aliquem actum, puta faciendo coniurationem.*

tionem, vel rumorem. Bald. consil. 59. licet eleganter. n. 2, & 3. ver. est autem seditio. lib. 1.

2. Vt aliquando nec tacere liceat.

Porro, vt tempus tacendi, ita etiam loquendi est. & propterea in reatum incidit, qui nouit consilia agitari aduersus Principem, aut rempublicam, nec ea defert. *l. quisquis. §. id quod. C. ad leg. iul. maiest.*

Adeoque, ad proportionem, qui scit periculum esse, ne quid de dignitate reipublicæ, iure, ac priuilegijs minuatur, & tacet; lædit rempublicam: qui videt incendium excitari; nec ad restinguendū vicinos prouocat: qui aggerem perrumpi; nec ad ripam muniendam proclamat; innoxius non habetur: qui videt socium iniuria affici, nec prohibet cùm potest; tam dicitur esse in vitio, quàm qui facit. quare aduersus communes hominum tempestatumue iniurias etiam edictis principū permissum est ære campano conuocare populum ad obuiam eundum publico malo.

Porro in casu nostro quid demum & quo fine est factum? rogati sunt de clero seculari, & regulari præcipui, vt apud Capitulum cathedrale intercederent, quo optimo modo impediretur translatio captiui sacerdotis incolæ extra ciuitatem; ne ius ciuitatis seu priuilegium pessundaretur, quo vetitum est incolam quempiam inde captiuum alio transferri. quo ciuium, incolarumue priuilegio etiam clericum gaudere oporteat: *Vide supra de foro compet. resp. 1.* aditi sunt eodem fine opificiorum decuriones, vicorumque magistri, qui partem in hac republica habent; & sine quorum iudicio, assensuque grauiora negotia expediri non possunt: & porrectæ illis scedulæ, vt scirent quid agitaretur; reminiscerentur priuilegiorum suorum, nec per illius extractionem præiudicium, & consequentiam fieri permitterent, ne vsu contrario priuilegia perimerentur. in summa actum est nihil aduersus rempublicam, sed imo ne quod respublica caperet detrimentum.

3. Liceat conciuium impolrare auxilium.

Porro interpellatio eorum, qui authoritate & suffragio valent, iure permissa est non tantùm; sed & si quid eo nomine promissum sit, præstari iussum. *l. vnica C. de suffragio.* vbi non tantùm patrocinia aduocatorum, sed magnorum, & magnatum adiutoria intelliguntur ab Alciato, alijsque modernis. Enimvero nihil in hac vrbe frequentius immemoriali vsu receptum; quàm vt qui difficultatem aliquam patiuntur, si causa ad sequelam pertineat, vt opificiorum decani, vicorum magistri, & alij qui membra sunt concilij ciuici, eo quo dictum est modo, instruantur; & ab eo, seu eius nomine, qui difficultatem patitur, rogentur; vt publicum damnum præcaueant, dum priuatim patienti suffragium accommodant. hoc ipso modo pagi, territoria, minores vrbes, ad Metropoles recurrunt; hæ ad communem Capitalium vrbium opem; & hæ denique ad trium Ordinū Status vniuersos. & verò, si quod omnes tangit, ab omnibus approbari debeat; vtique ab omnibus tractari, de eo informari, & interpellari possunt sine dolo malo, inconcinno sermone, neque aduersus bonos mores.

De magistris.

RESPONSVM I.

Non recte citra formā Concilij Trid. statui de contributione seminarij. & quis de eo cognoscat.

QVamuis non malè dicatur Episcopum in causa eccle-

sia

1. De causis ecclesiæ suæ & seminarij cognoscit Ordinarius.

siæ suæ Iudicem esse posse. *ex glos. in c. siquis erga. 2. q. 7. Nauar. cons. 20. n. 9. de rescript.* sicut decisum est monachum in causa monasterij sui testari : *c. cum nuntius. X. de testib. c. super prud. 14 q. 2.* & consequenter Concilium *Trid. s. 23. c. 18.* Episcopo facultatem tribuat Seminarium erigendi, ordinandi, dotandi: quin etiam ad indictam contributionē per censuras compellendi; adeoque, si difficultas emerserit, in prima instantia cognoscendi; *iuxta idem Tridentinum s. 24. c. 20.* nec Seminarij causa, Episcopi propria videatur; quamuis illius prouisores à Concilio *Trid. d. c. 18.* consilij tantùm causa adsciscantur; tota autem actio ipsi Episcopo demandetur; vt non instar tutorum illi, sed mandatariorum esse videantur:

2. Non tamē postquam semel statuit.

Tamen non hic proprietas rerum Episcopi, ecclesiæ, aut Seminarij consideratur; quæ sunt diuersæ: *c. res proprie. c. nullo. 12. q. 2.* sed causæ, ortæ ex gestis per Episcopum: vtpote cùm semel officio functus est bene vel male quippiā statuendo, & quasi iam consumpta prima instantia, in qua ipse statuit, id quod actum est arguitur quasi perperam actum; iam in partē vocatur, & ipse pro aduersario habetur; ipsiusque gesta de formæ, facultatisque defectu, seu alio accusata in litem veniunt. ius ergo naturæ obtinet à ciuili firmatum *tit. C. Ne quis in sua causa ius dicat.* quod non abrogauit d.c.20.*s.* 24. *Concilij Trid.* nec Ordinarium, qui semel quippiam statuit, iterum iubet iudicare, & seipsum absoluere, vel condemnare.

3. Alios plus quàm se grauauit.

Eoque magis præter agendi formam causa sit Episcopi propria. si & materia ad illius vtilitatem vergat: v.g. si pro contributione seminarij alij prægrauentur, ipse subleuetur, nec ad talem ratam contribuat, qualem ab alio exigit: ne quod dicitur *in d. c. nulli. maiores enormiter locupletentur, & minores tali facto pauperes inueniantur.*

Non idem est, si quis pensionem ab Episcopo constitutam dicat esse excessiuam; & de excessu ipse cognoscat. quia pensiones constituuntur de consensu partium, quæ super quantitate fructuum decipi, & decipere possunt Episcopum: adeoque inter illas de eo cognoscere ipse potest: sed taxa Seminarij constituitur ab Episcopo tanquam in re sibi delegata, atque ex officio: ex quo nihil debet statuere, nisi quod delegationi, æquitatique iam ipse nouerit congruere, antequam officium expleat.

Defectu formæ præscriptæ delegationis Concilij, iudicium nullum.

Porro nullitas euidens est ex eo, quod forma delegationis, finesque mandati non sunt seruati. nempe lex 7. *D. de reb. cor. §. si prætor. mea fert*, inquit, *opinio, eum qui aliud fecit, quàm quod à prætore decretum est, nihil egisse*; & in c. cum dilecta *X. de rescript.* quod contra formam delegationis gestum est, irritum declaratur.

Itaque examinando instrumentum exhibitum, in principio assumit Episcopus hanc qualitatem *per sacrum generale Concilium Trid. ad infra-scripta commissus, & deputatus*, eoque se obligat ad formam, finesque mandati seruandos, ipsique non seruatis nihil egisse constat. *d. §. si prætor. d. c. cum dilecta. c. cui de non sacerd. de præb. in 6.*

Mandat autem Concilium *Trid. d. c. 18.* ex omnibus bonis ecclesiasticis, per Mendicantes aut equites Hierosolymitanos non possessis, fieri proportionatam contributionem pro Seminario: hæc proportio seruata non est: nihil igitur iure actum.

5. Impositio nec iusta nec proportionata. quod nec ante nec post concursum quidquam esset d. R. indicatum de huiusmodi decreto, sed demum cùm literas suæ institutionis recepturus veniisset, illæque negarentur, nisi assignaret scedulam exhibitam promissoriam trecentorum florenorum.

norum annuorum prò seminario, eam percussus ille, cùm responderetur non aliter dandas esse illi literas, subsignauit. sanè improbato modo, & forma gestum id videtur; & vergere nonnihil ad illud, quod dicitur *in c. vn. X. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, in fine, in verb. secundum autem dicimus non licere: ne viam aperiamus his, qui prauitatem suam satagunt palliare.* vbi enim lege ac iure quid indici potest; speciem mali habet, si tempore collationis ex pacto, & chyrographo petatur. adeoque extra formam & fines mandati d. c. 18. *f.* 23. *Trid.* atque aliud est actum, quàm quod Concilium iussit: adeoque nihil iure actum.

6. Quatenus Episcopus secare, seu grauare beneficia possit?

Verum quidem est, quod Episcopus quandoque possit beneficium secare: vt in casu *c. proposuit. X. de fil. presbyt.* c. vacante. *X. de præb. vt & Barbos. in Collect. DD. ad Decret. in d. c. vacant.* sed illa in suis proprijs terminis sunt retinenda. *c. maioribus. c. cum causam. X. de præb.* non tantùm propter Concilij Lateranensis decretum, *relatum in d. c. vn. & c. prohibemus. X. de cens. cui consonat c. quia cognouimus.* 10. *q.* 3. quando suis vsibus, sine concessione apostolica, *c. tua nobis. X. de verb. signif.* Episcopi prouentus applicant; sed & quia aliàs, vt pergit d. c. vn. *& alibi cautum reperiatur in canone; quod ecclesiastica beneficia sine diminutione debent conferri. d. c. maior. d. c. Vacante. d. c. cum causam. c. si quis præbendas. 1. q. 3.*

Adeo vt stante generali lege prohibitoria diminuendi beneficia, qui casum suum exceptum esse contendit, probare teneatur. neque enim hic, de quo quæritur, is est, qui permittitur in d c. proposuit. c. *vaca. cum rationabili causa, de vacante præbenda, duæ fuerant constitutæ, ac tot essent vtriusque prouentus, quod per vtramque vtrique esset possessori prouisum de beneficio competenti.*

At verò aiunt de Episcopi facultate non esse disputandum; cùm iam expressa sit in Concilio *Trid. d. c.* 18. *f.* 23. rectè quidem; seruata forma, & terminis d. c. 18. id est seruata omnium contributione, & æqualitate: sed neque vt ecclesiastica beneficia cum tali diminutione conferantur; pacta, chyrographa tempore collationis de illa fiant: sed ex quibuscumque ecclesiasticis reditibus Episcopi *partem*, inquit Concilium, *aliquam, vel portionem detrahant, & eam portionem sic detractam etiam ante vacationem applicent, & incorporent*: extra hos terminos & formam, æqualitatemque omnium communem Concilium facultatem non dedit: illa ergo non seruata, nihil iure actum est.

7. Quatenus pro seminario?

Sed objicitur, quod Concilium *Trid. d. c.* 18. *f.* 23. *§. postremo* tribuat Episcopis facultatem ibidem statuta moderandi aut augendi. Verùm non simpliciter; vt s. 24 *c.* 13. *§. In parochialibus in verb. aut qua commodiori ei videbitur ratione*: sed conditionaliter, *in verb. si difficultatem oriri contigerit*: nec qualemcumque; sed *ob quam huius seminarij institutio vel conseruatio impediretur, vel perturbaretur*: & iterum, *si opus fuerit moderando, aut augendo*. talem autem tantamque difficultatem hic ortam fuisse; talem necessitatem vrsisse, ne quidem narrat instrumentum.

Hi *vero clerici*, inquit d. c. *quia cognouimus.* 10. *q.* 3. *qui se ab Episcopo grauari cognouerint, querelas suas ad Metropolitanum* (non ad Officialem ipsius Episcopi) *deferre non differant: & Metropolitanus non moretur eiusmodi præsumptiones coercere.* quod decretum Concilij III. Toletani Concilium *Trid. s.* 24. *c.* 20. non abrogat. adeoque euidens manet causam hanc super huiusmodi grauamine institutam ad auditorium Ordinarij spectare, aut remitti non posse, sed à Vice-Nuntio rectè alteri delegatam esse.

8. Aliter grauatis licet recurrere ad superiores.

Eoque

9. Præuia familiari requisitione remittendi grauamis.

Eoque magis quòd d. c. si quis *ergà. 2. q. 7.* non velit Episcopũ rectà vocari ad superiorem : sed priùs eum iubet conueniri familiariter: vt Judex rogatur vt interlocutoriam reuocet. *c. cum cessante. X. de appell.* idem hic factum pluries fuit à R. quod c. *si quis* satis conuincit Episcopum, qui grauauit, non iam vt Judicem adiri ; sed reuerentiæ ergo priùs requiri , vt grauamen tollat: & quidem familiariter conueniri ; vt loquitur d. c. si quis ; & glossa de honestate , iudicialiter autem adiri superiorem: vt statuit d. c. quia *cognouimus.*

10. Nec opus coram eo recusationem proponere.

Ex quibus omnibus, & præsertim d. c. quia *cognouimus* constat huic negocio applicari non posse c. si contra vnum. *de off. deleg. in 6. c. si quis contra. X. de for. compet. c. 2. requiris. §. 3. X. de appel. c. cum speciali. X. eod.* quæ loquuntur quando Episcopo, seu eius Officiali competit iurisdictio, sed persona suspecta est: at hic post rem, vt narrata est, gestam , & semeldecretam, cùm semel sit officio functus bene vel malè ; non amplius in eodem negocio competit iurisdictio ; sed adeundus est superior: eique querela exponenda. *d. c. quia cognouimus.* sed retorta obtinent illa iuris loca, vt coram nostro delegato proponi debeat recusatio, & causa; probatio autem fieri coram arbitris seu condelegatis : de Officiali autem referri ad Episcopum, quando ei iurisdictio competit, persona autem in suspicionem vocatur.

11. Sicut corã delegato.

12. Vbi & cognoscitur siqua defuisse ei qualitas arguatur.

Qua ratione etiam cognoscendum foret an Delegato aliquid deesset de qualitate delegati. & vt demus eam tempore commissionis adesse debere , *iuxta Guttier. cons. 44. n. 7. Ceuallos com. contra com. q. 693. n. 9. & seqq. Velasques Cons. 191. n. 8. & cæteros quos allegant*; perperam aduersarij imaginantur factam designationem iudicis synodalis Romam non esse missam ad S. Pontificem ; quod exigit Concilium *Trid. s. 25. c. 10.* quia magis debebant præsumere Episcopum A. functũ esse suo officio, præsertim post tot annos a dicta designatione. cùm Episcopi singulis triennijs debeant ; statum suæ diœcesis perscribere ; & similia in illum referre: & culpa seu negligentia nunquam sit præsumenda.

Quamuis autem nomen designati Judicis Synodalis ad S. Pontificem nõ esset transmissum, non desineret tamen designatus esse Judex , cùm sola designatio capacem illum faciat. vt ex textu d. c. 10. *s. 25. Concily Trid.* euidenter liquet. transmissio autem nominis non alio fine ibi præscribitur, quàm vt eius notitia habeatur in Curia Romana. cui iam præsis communis prouidit ; vt delegationum literæ inscribantur Iudicibus Synodalibus generatim , & sine speciali nominatione ; sed cum clausula , *& eorum cuilibet.* vt etiam notauit Garcias *de benef. p. 9. c. 2. n. 352.* dictam nominis transmissionem non vsque quaque seruari. nec verò eam præcipit d. c. 10. respectu Legatorum aut Nunciorum ; sed tantùm S. Romani Pontificis. nec id vsus obtinuit. at hic versamur in delegatione à Vice-Nuntio facta.

Perperam dicunt aduersarij Judicem non agnitum tanquam Synodalem ; sed tanquam subdelegatum ab Episcopo A. principaliter delegato : quia ad totam causam subdelegari non potest nisi is, qui habet qualitates in principali requisitas. *c. Statutum. §. in nullo. in verb. personis dumtaxat designatis superius committat quomodolibet vices suas.* vt sicut principalis debet præter Ordinariũ, esse Iudex synodalis ; sic etiã debeat subdelegatus: si ergo vt subdelegatus ritè est agnitus ; consequenter est vt synodalis.

De

De Magistris.

RESPONSVM I.

Priuilegia Studiosorum an extra Vniuersitates obtineant?

1. Communiter non;

VT quis priuilegio scolarum gaudeat, communiter creditur studere debere in loco priuilegiato. *Rebuff. de priuileg. scolar. priuil.* 34. citatur c. tua *X. de cler. non resident.* sed illud exigit tantùm, vt citra fraudem non in villis vel castellis, in quibus nullum est, vel minus competens exercitium studiorum, scolares agant. & c. fin. *X. de magist.* in qualibet metropoli

2. Sed percipiendorum fructuum in absentia.

theologiam docentes, vel in ea studentes priuilegio fructuũ percipiendorum fruuntur. sic & leges, *quæ sunt sub tit. de professor. C. lib.* 10. indefinitè loquuntur de professoribus, & eorum priuilegijs. excipit autem Rebuffus *vbi sup.* vt extra loca priuilegiata scolaris priuilegio gaudeat, si maioris studij causa alibi sit: quasi efficacius finis priuilegiorum obtineatur. verùm authentica Habita *C. ne filius pro pat.* quæ submittit scolares iurisdictioni vel Rectoris, vel Episcopi; etiam loquitur de ijs, qui peregrè agunt: & titulus *C. de studijs libe ralibus Vrbis Romæ*, Proœmium *Digestorum* tam regiarum vrbium, quam Berijti singulariter meminit: in alijs legum professionem vetat. vt & nuper à Rege hîc vetitum, ne extra Vniuersitatem philosophia, nisi quasi inter priuatos parietes, doceatur. sub qua exceptione etiam censere oportet seminaria. *iuxta Trid. s. 23. c. 18. in verb. grammatices, aliarumque bonarum artium disciplinam discent.* & Christinæus *in decis. ad d. tit. de studijs liberal. Vrb. Rom.* ideo quærit, an hodie scisso Imperio Romano priuilegia Vniuersitatum obtineant: quasi non nisi priuilegiatis locis competant: seu habentibus ab Imperatore priuilegium. *§. hoc autem in proœm. D. & l. vnic. C. de profess.* quę in vrbe Constantin. præmium comitiuæ assignat solis Constantinopoli per 20. annos docentibus.

Concilium porro *Trid. s. 5. c. 1. in fin.* vt priuilegio fructuum docentes sacram Scripturam, & discentes fruantur, exigit; vt illi publicè in scholis doceant. non tamen illud intelligendum est de Vniuersitatibus dumtaxat studiorum generalium; per Papam, aut supremos Principes erectis: vt voluit Barbosa *& citati ab eo in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c. 1. n.* 30. 51. 52. 53. 54. 55. quia totus præcedens textus Concilij de omnibus cathedralibus, & Metropolitanis loquitur; & collegiatis insignibus, cum numeroso clero. vbique mandat haberi lectionẽ theologicam, nõ studium generale; nec de priuilegijs, per Papã, aut Principes Vniuersitatibus concessis agit; sed de priuilegijs *à iure* inquit, *communi concessis:* vtique *c. vlt. X. de magist.* quod generaliter loquitur de magistris *theologis*, inquit, *per singulas Metropoles statuendis, vel Cathedrales.* vt c. 1. *ibid.* ex ipso Lateranensi desumptum; & c. quia *nonnulli. ibid.* vt mouere non debeant verba illa Concilij Trid. *dum publicè in scholis docuerint, & qui in ipsis scholis studeant*: quia desumpta sunt ex d. c. vlt. adeoque eundem sensum habent. fit autem mentio scholarum, ad excludendos eos, qui in villis & castris, vbi nullum aut exiguum est exercitium, aut quasi priuatim docent, aut studeant. *d. c. tua.*

3. Cur Tridentinum exigat doceri publicè in scholis, & disci?

Admittendum est etiã illud in his docentibus, aut discentibus; quod, sicut idem Trid. *s. 6. c. 2.* vult in beneficijs vt residentiã requirentibu nulli priuilegia, seu indulta perpetua de nõ residendo suffragentur,

4.

locum non habeat in docentibus & studentibus in vniuersitatibus: sed potius pars altera d. c. 2. quæ admittit dispensationes temporales. quippe tempus est in docentibus quàmdiu docent; & discentibus, quinquennium. *d. c. vlt.*

5. Non competit declinatoria fori ordinarij extra Vniuersitates.

Porro hi docentes, aut discentes extra loca priuilegiata, nõ adipiscuntur priuilegium d. Authenticæ *habita*: vt Iudicis ordinarij forum declinare possint. nisi fortè studiosi delictum tam leue commiserint, vt per prævenientis magistri correctionem satis purgatum censeatur. nec alia politica priuilegia consequuntur.

6. Nec in Vniuersitate quarumdũ causarum respectu.

Sed neque Vniuersitatum priuilegia refragari queunt Concilij Tridentini decretis quoad parochorum competentiam: *s. 7. c. 7.* onera beneficiorum: *ibid. c. 8.* Conseruatores illarum non sunt quidem reuocati; *s. 14. c. 5. Trid.* vt nec regularium; sed Iudicum conseruatorum authoritas non extenditur ad ea, quæ requirunt iudicialem indaginem. *c. 1. de off. deleg. in 6.* quamuis Louanienſis Vniuersitas speciale priuilegium habeat; ne extra muros docentes, aut studentes trahantur; sed aduersarios eò trahant. verùm vt illius Vniuersitatis in ecclesiam & remp. merita, illud, aliaque impetrarunt, quæ retineri boni publici quàm maximè interest; ita tamen illud interpretationem eam exigit, vt concedentis intentio non fuisse censeatur, alicui concordiæ aut conuentioni derogare. *c. ex multiplici. X. de decim.* adeoque nec illi, quæ olim cum Ordinario Leodiensi inita est. *quam retulimus in Iur. pont. nou. anal. de off. deleg. in 6.* Ideoque Ordinariorum decreta Synodalia, seu alia super beneficijs studiosos non minùs, quàm alios absentes ligant & decernere super ijs Ordinarij possunt, quod ius & ratio exigit: vt & fecit Concilium *primum Mechlinienſe prouinc. tit. de vit. & honest. cler. c. 4.* & consequenter, vt onera beneficiorum ritè expleantur, decreta exequi. neque enim Episcopi, & superiores, officium à iure sibi iniunctum exequentes, nomine aduersariorum veniunt, aduersus quos eiusmodi priuilegia sunt concessa. neque mens concedentis est sub eo prætextu dare occasionem minuendę hierarchicæ potestatis, aut soluendæ disciplinæ ecclesiasticæ, cùm Episcopis ipsis studiosos aliàs non subditos subijciat d. Auth. *habita.* & rescripta contra personas minores seu communes, aut de rebus minoribus impetrata, extendi non possint ad maiores, vt Episcopos; & res maiores. *c. sedes. X. de rescript.*

De Magistris.

RESPONSVM.

An sub nominationem academicam & prouisionem Romanam cadat prabenda theologalis?

1. Præbenda theologalem conferri omnino debet.

PRæbendam theologicæ lectioni deputari omnino exigit Concilium Trid. s. 5. c. 1. sed, quis imposterum conferre illam debeat, non exprimit. eoque rectè responsum est, collationem ab eo faciendam esse, à quo antea fieri solebat. *l. commodissime. D. de lib. & posth. Garcias de benef. p. 5. c. 4. n.* 128. 161. 166. 167. *Gonsal. ad Reg. 8. Cancell. gl. 9. §. 1. n.* 81. *& seqq.* & in Concordatis Galliæ est expressum, vt ordinarius collator eam facere teneatur magistro, seu licentiato, vel baccalaureo formato in theologia: sine alio additamento. Ex Concilio porro Trid. electio personæ videtur ad Episcopum pertinere: solum quidem; *vt idem Garcias ibid. n.* 162. quippe Concilium d. c. 1. soli Episcopo defert substitutionem non idoneo lectori faciendam: & *l.* 24. *c.* 8. etiam soli

2. Persona nominata Episcopo edita.

soli Episcopo defert institutionem pœnitentiarij. sed hæc non id conuincunt. separata enim sunt collatio præbendæ theologalis, & institutio pœnitentiarij: neque ex separatis quidquam rectè infertur. *sic & s.* 24. *c.* 18. *Conc. Trid.* vacante parochiali Episcopus vicarium substituit, etsi parochum non constituit. magis vrget d. *c.* 1. *verb. & ne sub specie*, vbi decernit neminem admittendum, *qui prius ab Episcopo*, inquit, *loci de vita, moribus, & scientia examinatus non fuerit.* hæc ergo in partibus facienda sunt, non Romæ.

3. Cum Capitulo.

Et porro Concilium d. c. 1. dicit se piis summorum Pontificum, & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærere, easque amplecti; & adijcere: adeoque quæ quidem amplius expressit, pro adiectis sunt habenda: quæ non expressit; d. constitutionibus relicta. atqui Innocentius III. in Concilio generali *c. quia nonnullis. x. de magist. constituatur*, inquit, *magister idoneus à Prælato cum Capitulo, seu maiori, seu saniori parte Capituli eligendus.* sic & idem Trid. d. c. 1. in tenuibus ecclesijs, vbi haberi non poterit lectio theologica; iubet vt grammatica habeatur; *per magistrum ab Episcopo*, inquit, *cum consilio Capituli eligendum*, quod tamen amplius est, quàm quod statuit d. c. *quia nonnulli.* vbi consensu opus Capituli. Sed si Concilium velit magistrum grammaticæ eligi per Episcopum, multo magis videtur intendisse theologiæ lectorem: si & ideo grammaticæ; vt sic formentur transituri ad theologiam, vt ait; multò magis theologiæ; quia finis magis quàm mediorum ratio valet. propter quod vnumquodque tale, & ipsum magis: & interest magis ecclesiæ, subijci electioni Episcopi theologum, quàm grammaticum magistrum. quia ille fidem, cuius cura propriè ad Episcopos spectat, tractat: non iste.

Et quidem adeo nonnulli fauent isti Episcopali electioni, vt semper ei locũ esse velint, quamuis in mensibus reseruatis. *Zerola in Praxi p.* 1. *v. beneficium. §.* 3. *dicto §. in eamque rem citat Couuar. pract. quæst. c.* 36. *n.* 4. *vers. similiter*, propter specialem curã examinis, & approbationẽ d. c. 1. Episcopo commendatam. sicut & Nauar. propter specialem formam concursus d. c. 18. s. 24. ordinatam etiam in mensibus reseruatis illic decreta censet obtinere. *apud Gonzal. ad reg. 8. canc. gl. 8. n.* 112. vt & nominationes, & exspectatiuas reseruationes negant in præbendis lectoralibus habere locum.

4. An etiam in mensibus ponti-ficijs, & omissis nominatis academicis?

Nituntur fundamento c. *cum in ecclesia & ibi gloss. in verb. d. consuetudinem de præb. in 6. c. vn. de rer. permut. in 6.* hic rescribitur exspectatiuas non habere locum in permutatione: illic per huiusmodi mandatum non intelligi derogatum esse consuetudini: & gloss. quod præbenda affecta magisterio non debeatur exspectanti. non tamen idem sentit *Gonsal. & Garc. ibid. n.* 167. & Couuar. *vbi supra* dubiam esse ait illam opinionem, ac consuetudinem valde attendendam.

Et argumentatur quidem Garcias non malè, quod cùm Concilium de collatione nihil statuat, priori iuri reliquisse censeatur, adeoque regulæ 8. Cancell. reseruatiuæ mensium, quæ etiam derogat consuetudini, atque etiam hodie immemoriali. sed sic nondum vbique recepta. sed & responderi posset, Concilium, vt dictum est, amplexũ esse constitutiones priores Pontificum, & Conciliorum: in d. autem c. quia *nonnullis. §. assignetur* Prælato & Capitulo eiusmodi prouisionem deferri. at vereor ne praxis Romana; ob d. reg. 8. generaliter loquentem, id nolit admittere. quamuis in Hispania per concursum (quem tamen non exigit d. c. 1. sed tantùm Episcopi

copi examen, & approbationem) quocumque mense ab Ordinario prouideri consueuerit. *apud Garciam. vbi supra.* sed ait, quasi per tolerantiã. nisi dicas rectius, quod illic Concilium mox à principio ita fuerit intellectum, & ob ecclesiæ vtilitatem praxi mandatum.

Fortè, sicut decretum est in concursu ad parochiales à Pio V. in bulla de concursibus, vt, illis in mensibus reseruatis vacantibus, fiat concursus in partibus; sed Romam dignioris nomen transscribatur, isque ibi obtineat collationem: ita non minùs æquum videbitur lectorem in partibus eligi, designari, ab Episcopo loci examinari, & approbari, vt vult Concilium; ac eius Romam nomen mitti in mensibus pontificijs, ibidemque prouisionis literas expediri. & minùs videbitur recedere id à mente Concilij, quàm si omnia Romæ fiant, vbi sæpe personæ magis idoneæ ignotæ sunt. dicitur quidem præbendæ theologalis collationẽ vt nec per concursum, ita neque digniori necessariò esse faciendam, *ex decisione Rotæ apud Garciam d. c.* 4. sed vereor mentem Concilij non omnino expleri, vbi negligitur manifestè dignior: etsi non mox actio tribuatur neglecto; vt s. 24. c. 18. Trid. sed quicquid sit, omitti non potest Episcopi examen præuium, & approbatio, quam exigit omnino Concilium. eoque satis quibusdam videtur derogare Regulæ 8. Cancellariæ: saluâ imitatione eorum quæ diximus de collatione Romæ faciendâ post concursum in partibus institutum, in parochialibus beneficijs vacantibis in mensibus Pontificijs. & sanè hoc Concilij decretum vt verbotenus seruetur, rei grauitas satis exigit. primum enim est quod edidit pro fidei & sanæ doctrinæ conseruatione, hæresumque extirpatione: ad quem finem imprimis declarat se esse congregatum *sess.* 3. *decreto de symbolo fidei. sess.* 3. *decreto de canonicis scripturis.* receptum autem hîc est Concilium & à Rege seruari iussum vt sonat, &, siquid secus fiat, ei significari mandatum.

Adde & loci Episcopum iudicare posse quanta doctrina in loco sit necessaria; non Romanos longè absentes. aliam enim requirunt loca hæresi infesta, aut hæreticis vicina; quàm ea vbi non est satan, neque occursus malus. ideo examen eo loco, & probatio fieri debet.

Quod insuper hîc quæsitum est, an mandatum de prouidendo, adeoque & nominatio academica locum habeat, in præbenda lectione theologica affecta in vim d. c. 1. cùm auferat designationem per illud delatam Ordinario? & videtur *iuxta d. c. cum in ecclesia. & gloss. ibid.* mandatum eò, nominationemue non extendi: sed qualitatem præbendæ impressam omnino retinendam esse, *iuxta Conc. Trid. s. 25. c. 5.* Quid si nominatus illam sit peritus.

Sed quid si nominatus sit theologus? per accidens id euenit, nam & posset Iurisperitus esse aut philosophus dumtaxat: secundùm diplomata Facultati Artiũ pro legentibus & regentibus, seu Vniuersitati Louan. concessa: & si nominatus posset acceptare taliter affectam præbendam, quamuis sit theologus, aduersaretur nihilominus intentioni Concilij, quatenus designationem personæ, seu electionem digniorisi tolleret Ordinario. 6. Qui sit idoneus.

Sic etiam *in c. vlt. X. de præb. &c.* vt nonnisi *pro eod. in* 6. rescriptum est, mandatum de prouidendo non extendi ad curata: & *in d. c. vlt.* dicitur nec *ad talia*: talis autem videtur etiam præbenda lectoralis: cuius non est in priuilegijs qualitas expressa. argumentum autem à pari procedit in beneficialibus. *c. si postquam in fin. de elect. in* 6. imò magis requiri videtur expressio qualita- 7. nonnisi ad curata, nisi in priuilegio exprimatur.

qualitatis lectoralis, quam curatæ. quia maior aptitudo, & doctrina requiritur ad lecturam, quàm ad curam. vt quamuis & hæc in priuilegijs exprimatur, argumentatio non procedat ad illam. quia mandati fines diligenter obseruandi hîc sunt. *c. cui de non sacerd. de præb. in 6.* adeo vt mandata huiusmodi *non debeant*, inquit, *ad alios casus, quàm expressos, extendi.*

8. Sic nequè ad theologalem præbendam.: Sic Steueneau *in Comment. ad Ordinat. l. 1. t. 2. ad art. 1. v. sans pouuoir. post gloss. ad sanct. pragmat. in §. item insuper. §. item placuit.* ait huiusmodi præbendas theologales non esse nominationibus comprehensas. & Concordata Franciæ expressè habent, vt vltra præbendam theologo affectam collator ordinarius nominationes admittere debeat, secundùm alternationem mensium ibi præscriptam. in præbenda autem theologo conferenda non est in Concordatis, vt diximus, aliud additamentum: adeoque libertas collatoris in hac non est restricta: dummodo theologi qualitas adsit. per Concilium autem Tridentinum ampliùs restringitur, per ea quæ loci Episcopo d. c. 1. deferuntur.

Sic iterum decisum est *in c. quamuis. 4. de præb. in 6.* mandatum de prouidendo in aliqua ecclesia ciuitatis aut diœcesis, non extendi ad cathedralem. quia mandata super obtinendis beneficijs, vt ambitiosa, debent restringi. *d. c. quamuis.* itaque nec eo extenderetur nominatio, nisi in priuilegio expressè diceretur. quare etsi exprimatur cathedralis generatim; non tamen complectetur præbendam theologalē ob d. qualitatem; vt diximus: quodque, quæ notabilia sunt, nisi notentur specialiter, omissa censeantur. *l. iniuriarum. §. prætor. D. de iniur.*

De adulterijs & stupro.

RESPONSVM I.

De regulari circa crimen carnis inquisito.

SEcundùm ea quæ proponuntur, Caius, tanquam grauiter suspectus, iure cogi potest ad purgationem canonicam: sed in praxi hodie rarò illa vsurpatur. illa quidem de iure in grauiter suspecto, *c. 1. & tot. tit. X. de purgat. canon.* etiam regulari, *c. 3. ibid.* etiam electo in Episcopum *c. tam literis. X. de testib.* obtinet: sed propter periurij pericula praxis abhorret.

Suspicio grauis sufficit ad purgaotinē canonicā, sed hodie non practicatur.

Testimonia etiam singularia, vt hic, eam faciunt probationem communi opinione, cùm ad eundem finem tendunt, vt in ciuili causa, & correctionis, præsertim regularis; extra ordinem rei condemnari possint; non tamen pœna ordinaria delictorum puniri; seu tali aliqua, quæ priuationem, depositionem, incapacitatem dignitatum officiorumque Ordinis directè aut indirectè inferret. *Farinac. in Opposit. contra testes. q. 64. n. 225. 229. Vide quæ diximus suprà de Testib. resp. 1.*

2. Coniungi quando possint, & ad quem effectum probi testes singulares?

In criminibus carnis, quæ obscurè perpetrari solent, præsumptiuæ probationes solent faciliùs admitti (*vt idem Farinacius docet in prax. crim. p. 5. tit. 16. q. 136. c. 1. 2. & 4.*) sed tamen quando criminaliter ad pœnam ordinariam agitur, etiam in adulterijs euidentem probationem requirit lex *qui sentent. C. de pœn.* & d. c. 3. *X. de purgat. canon.* dicit moniales libidinis accusatas, *si manifestè*, inquit, *detegi non valuerint*, non condemnandas, sed ad purgationem cogendas. sic sistitur Christo *Ioan. 8.* mulier in adulterio deprehensa: & apud Danielem *c. 13.* seniores te-

ſtabantur ſe vidiſſe adoleſcentem & Suſannam commiſceri. *VVeſembec. in Paratit. D. Ad leg. Iul. de adult. n.* 18. *Vide c. præterea. 27. & ibi DD. X. de teſtib.*

Et propterea quamuis probationes imperfectæ coniungi poſſint (vt hîc leuitatis ſigna, ſolitudo, oſcula amplexus, tactus) requiri tamen volunt, vt ſingulæ in ſua ſpecie ſint perfectæ. *Minſing. centur. 2. obſ.* 100. non tamen cùm criminaliter agitur etiam tales coniunguntur. *Gail. l. 1. obſ.* 108. *n.* 13. ſed vt tamen coniunctionem admittamus, in ijs quæ ſunt difficilis probationis; non tamen ad effectum criminalem, & certi criminis in ſpecie. *Farinac. d. n.* 225. 156.

3. Qualiter delictum in genere probare dicantur non in ſpecie?

Quare, quod in terminis quæritur, an Caius cenſeatur conuictus de fornicatione cùm Sibilla, aut Alexia: dicendum eſt, quod cùm neutra ad effectum, vt præcisè de hac, vel illa fornicatione poſſit puniri. & hoc eſt, quod dicunt doctores ſingulares teſtes in genere probare, non in ſpecie hoc vel illud delictum. etſi eiuſmodi probationem Simancha chimericam vocet, quaſi genus ſine ſpecie detur, *apud Farin. n.* 232. ſed probabilior eſt aliorum opinio, qui genericam probationem admittunt, & per teſtes ſingulares fieri concedunt, dum tendunt ad eundem finem; v. g. ad probandam rem veneream: non tamen probent hanc, vel illam fornicationem, aut ſtuprum. eaque potiſſima ratio videri poteſt eſſe, quod pœna ordinaria infligi non poſſit delicto in ſpecie non ſatis probato; ſed tantùm in ſuo genere, præſumptiuè: vt pro grauitate præſumptionum Judex arbitrari tantùm poſſit extraordinariam correctionem: quod inquiſitus neque ſatis deprehendatur certi criminis reus; ſed tamen deprehendatur nec eſſe omnino innocens. *vide d. reſp. 1. n. 5. & ſeqq.*

Itaque, quo minus Caius cum Sibilla vel Alexia de fornicatione conuictus cenſeatur, obſtat lex 8. *C. de teſt.* vbi ex Baldo formatur axioma, vt *vox vnius, ſit vox nullius*: & teſtimonium vnius ne audiri quidem velit lex: & *nulla ſit cauſa, quæ vnius teſtimonio, quamuis legitimo, terminetur. c. licet c. Veniens X. de teſtib.* ſed omne verbum ſtet in ore duorum ſaltem. *c. in omni, X. eod.* atqui nulli hîc teſtes ſunt conteſtes vllius eiuſdem actus, ſiue cum Sibilla, ſiue cum Alexia perpetrati.

Quo minùs autem innocens habeatur; facit actuum & teſtium, quamuis de omnibus ſingularium, multitudo, probitas, & ſimplicitas. quam valde ponderat Couar. *var. l. 3. c. 3. n. 4. & 5. Farinac. vbi ſup. n.* 314. *Hippol. de Marſil. ſingul.* 114. ſpectatam virtutem maximi facit Speculat. *in tit. de iud. deleg. §. ſupereſt. vt puta*, inquit, *ſi monachus ſit Ciſtercienſis aut Carthuſianus, vt non cadat in eum ſuſpicio mendacij.* quamuis alioquin Baldus *in d. l. 8. C. de teſtib.* dixerit tantùm probare mille teſtes ſingulares, quantum vnum: ſed alij rectiùs.

Poterit ergo Caio, extraordinario & religioſo modo, pœna aliqua extraordinaria imponi, quæ Superiori videbitur moderata, infra rigorem pœnæ ordinariæ à Iure, vel ſtatutis Ordinis præſcriptæ. eamque moderationem tantò faciet maiorem, quantò magis præterijt caſus cum prima, mitigat enim valdè, & de pondere huiuſmodi delictorum multum detrahit temporis lapſus. adeò vt cùm alia delicta viginti demum annis præſcribantur; de carnalibus tamen inquiri poſſt quinquennium, aut rei condemnari non poſſint. *l. mariti. §. hoc quinquennium. D. de adult. l. adulter. C. eod.*

Et quamuis d. lex *mariti in fin.* dicat eum, qui per vim ſtuprum intulit, ſemper ſine præſcriptione temporis accuſari poſſe, & Caius

c. Ad effectum extraordinariè puniendum, ſi corrigenda.

e. Tempus tollit, ne multo tempore inquiratur, aut puniatur.

f. Niſi delictum ſit grave criminaliter, vt in publica.

ius hic primæ ante aliquot annos etiam vim intuliſſe narretur: tamen Gloſſa *ibidem. in v. huius.* rectè monet id obtinere, cùm de vi actio inſtituta eſt; non cùm de ſtupro. & ratio eſt, quod talis ſtuprator vim publicam commiſerit, *vt ibidem dicitur* : & huiuſmodi crimen, vt tale, *legis Iuliæ de adulteris poteſtatem excedat. l. 5. in fin. D. ad l. Iul. de vi publ.* ſi autem ageretur criminaliter de vi, huiuſmodi teſtes vt hîc, ſingulares ſecundùm ea quæ diximus, nihil proficerent. quamquàm & rara in ſtupris abſoluta vis eſt. rarior probatio. nulla fere illarum, quas conſtat non clamaſſe, ſi in vrbe ſtuprum paſſæ allegentur.

7. Teſtatus monachus ſine licentia ſuperioris, an probet?

Ita vt omnibus expenſis Superior recte arbitraturus ſit pro dictamine ſuæ conſcientiæ pœnam extraordinariam; non poſſit autem ordinariam imponere.

Supereſt ſcrupulus, quod teſtes quidam regulares arguantur ſine prævia Superiorum licentia dixiſſe teſtimonium, eoque illud eſſe irritum. *Farinac. de oppoſit. contra teſtes. q. 61. n. 130. vbi plures citat, & nominatim Socinum conſ. 17. n. 15. l. 1.* quod contraria Abbatis opinio procedat, vel quando pars non opponit, vel teſtis adhibetur tantum in inſtrumentis, quibus eaſibus valeat monachi depoſitio, etiã ſine Superioris licentia; aliàs ſecus. dicendum eſt tamen Abbatis opinionem procedere generaliùs. vt quamuis multa fieri prohibeantur; facta tamen teneant. quod vtique eſt eliciendum maximè ex cauſa prohibitionis; an prohibiti perſonam ſpectet, an rem ipſam. at hîc prohibitio ſpectat ad perſonam monachi, non cauſam teſtimonij. cùm hoc ſolum requirat veritatem: monachi autem perſona in iudicium produci non debeat; ſæcularibus negotijs, vel foro immiſceri; minimè omnium cauſæ ſanguinis: & tamen ſi in cauſa ciuili, quis iure ſuo excideret defectu probationum, niſi monachus teſtetur; eiuſmodi neceſſitas ex iuſtitiæ regula obligat monachum ad dicendum veritati teſtimonium; & Superiorem ad dandã teſtandi licentiam. *c. 2. X. de teſt. cog.* eoque ſenſu excipiendi ſunt canones: & quorundam Ordinum ſtatuta religioſis ſuis teſtimonium interdicentia. *c. nuper. 51. X. de teſtib. cum ſupplemento ibid.* igitur ſuperiorũ eſt diſcriminare, quando religioſus foro abſtinere, quando neceſſitati parere debeat: ipſe autem velle, aut nolle non habet. ſi tamen omiſſo Superiore teſtimonium dixerit; puniri ipſe poteſt ob tranſgreſſionem legis ſuam perſonam ſpectantis: teſtimoniũ autem non corruet. quia legis ratio non eo ſpectat, vt veritati, & iuſtitiæ huiuſmodi teſtimonium ſubtrahatur: ſed vt monachi, qui ſui iuris non ſunt, Superiorum auſpicijs ducantur intra cardines rationis, & ſui inſtituti: quorum iudicium eſt penes Superiorem.

De Vſuris.

RESPONSVM. I.

De vſuris ex forma chirographi & re geſta iudicandis, & in ſortem imputandis.

COntingit non rarò viris etiam probis, & ſupra vulgus doctis, vt mentalem vſuram nullã faciant, realem tamen incautiùs mercando incurrant, adeoque crimine quidem vacent; ſed an ob bonam fidem tantùm retinere ex vſurario contractu licitè poſſint, quantum lucrati eſſent ex licito, examinare diligenter debent cum Leſſio *de Iuſtitia lib. 2. c. 20. d. 12.* ſed in foro externo ex actis & probatis, ipſiuſque contractus inſtrumento,

1. Quoad animam aliter aliquando de his quam in foro externo iudicandum.

mento iudicandum est: ex eoque contractu talis esse censendus est, qualis solet ea forma plerumque iniri. *l. certi condictio. in fin. D. si cert. pet.* nec hic ex edicto 1611. *ar.* 19. aliud actum quam scriptum esse probare quis admittitur.

2. Imputandæ in sortem, si chirographũ, aut res vt gesta est, vsura sit.

Quare si chyrographum, ex quo actum est, vsurariũ esse probetur; in hoc foro vsuræ receptæ in sortem imputandæ erunt, seu repeti poterunt. *c.* 1. 2. 8. *5. g.* 10. *X. de vsur.* etiam iure ciuili, quæ illo sunt illicitæ *l. eos. C. de vsur.* Et licet c. 15. *X. de vsur.* & plerisque locis iubeatur Iudex cogere, & compellere debitorem ad restituendas vsuras; ideoque non dari actionem quidam putant debitori; sed tantùm implorationem officij Iudicis: tamen c. 11. *X. de vsur. in verb. cum aliquis eos conuenerit de vsuris*, secus suadet. & solet tradi regula, vt condictio detur ex lege, & canone, si quid statuat, nec aliter exprimat. sed in reis ea quæstio cessat, qui excipiendo in sortem imputare possunt. adeo vt nec Iudex ad vsuras soluendas aliquẽ condemnare possit. *c. post miserabilem. c. michael. X. de vsur.* nisi fortè iuratas. *c. debitores X. de iureiur.* ita quidem vt quicumque statuta scribunt, seruant, aut ex ijs iudicant, vsuras esse soluendas; solutas repeti, aut restitui prohibent; excommunicentur. *Clem. vnic. de vsur.*

3. Etiam data actione.

4. Nisi iuratæ sint.

5. Iudex secus iudicans aut statuens excommunicatur.

Porro *vsura est vbi amplius requiritur, quam datur. c. vsura. 14. q. 3.* qui plus, quàm dederit, accipit, vsuras petit. *c. si fœnerabilis. ibid.*

6. Vsura quid?

7. Exceptiones, quando liceat accipere vltra quã datum sit.

Et quamuis casus quidam excipiantur: vt cùm clericus beneficium, feudumue ecclesiæ sic recuperandum putat; *c.* 1. *X. de vsur.* vel dominus feudum à vasallo; *c.* 8. *ibid.* vel re vendita non ob solam dilationem plus accipit venditor; *c.* 10. *ibid.* sed ob dubium valorem tempore solutionis futurum; *c.* 6. *c.* 19. *ibid.* præsertim si alias non erat venditurus; aut propter periculum quod suscipit nauigaturus, aut ad nundinas iturus, si verum est, & non fictum; *DD. ibid. & quos citat Azor. Instit. moral. p. 3. l. 5. c.* 6. aut denique ratione eius quod verè interest; seu ne mutuans damnum faciat; *c. dilecti. X. de for. compet. c. peruenit. X. de fideiuss.* aut lucrum amittat; *Molder. de iustit. tract. 5. c. 3. d.* 13. *Lessius de iustit. l.* 2. *c.* 20 *d.* 2. vt plurium communior est opinio: quos citat Azor. *Instit. moral. p. 3. l.* 5. *c.* 5. nam id quod interest definit iurisconsultus *in l.* 13. *D. rem ratam, quantum mihi abest, quantumue lucrari potui.* sed in hac lucri causa aliquæ requiruntur conditiones: de quibus infrà. Omitto venditorem qui rem emptori tradidit. *de quo egimus in con. ult. can. h. 3. cons.* 1.

8. In exceptionibus qui sit debet pro bare.

Tamen huiusmodi casus, & si qui sint alij, exceptiones sunt, iuris regula in contrarium est. qui autem in exceptione se fundat, probare illam tenetur. *l. cum de indebito. §. sin autem. D. de probat. in verb. secundùm generalem regulam, quæ eos, qui opponendas exceptiones affirmant, ostendere exigit.* & quia qui pecuniam suam in vsuras collocant, aliorum contractuum pallijs obumbrare illas solent, statuit d. Clem. *vnic. §. caterum* vt teneantur edere libros suarum rationum vsurarij. qui vtique aduersus scribentes probent, non proipsis.

9. Contractus licitus, vsurarius.

Vsurarium ergo est chyrographum quod vltra sortem promissionem continet quantitatis sex in centum, finito anno cum sorte soluendæ: sed si liber mutuantis habet, *datam esse sortem in negotiationem libi orum mutuatario plus lucri dantem*, videbitur esse vsura sine morsu: quippe Hebræi vsuram morsum vocant; *Nauar. in Manual. c.* 17. *n.* 206. aut saltem implicitum contractum societatis, assecurationis, & redemtionis incerti lucri maioris pro certo minori: sed licet ex sola contractuum natura infignes theologi & iurisperiti eum implicitum esse tradant; tamen damnauit

fortè iuratas. *c. debitores X. de iureiur.* ita quidem vt quicumque statuta scribunt, seruant, aut ex ijs iudicant, vsuras esse soluendas; solutas repeti, aut restitui prohibent; excommunicentur. *Clem. vnic. de vsur.*

Porro *vsura est vbi amplius requiritur, quam datur. c. vsura. 14. q. 3.* qui plus, quàm dederit, accipit, vsuras petit. *c. si fœnerabilis. ibid.*

Et quamuis casus quidam excipiantur: vt cùm clericus beneficium, feudumue ecclesiæ sic recuperandum putat; *c.* 1. *X. de vsur.* vel dominus feudum à vasallo; *c.* 8. *ibid.* vel re vendita non ob solam dilationem plus accipit venditor; *c.* 10. *ibid.* sed ob dubium valorem tempore solutionis futurum; *c.* 6. *c.* 19. *ibid.* præsertim si alias non erat venditurus; aut propter periculum quod suscipit nauigaturus, aut ad nundinas iturus, si verum est, & non fictum; *DD. ibid. & quos citat Azor. Instit. moral. p. 3. l. 5. c.* 6. aut denique ratione eius quod verè interest; seu ne mutuans damnum faciat; *c. dilecti. X. de for. compet. c. peruenit. X. de fideiuss.* aut lucrum amittat; *Molder. de iustit. tract. 5. c. 3. d.* 13. *Lessius de iustit. l.* 2. *c.* 20 *d.* 2. vt plurium communior est opinio: quos citat Azor. *Instit. moral. p. 3. l.* 5. *c.* 5. nam id quod interest definit iurisconsultus *in l.* 13. *D. rem ratam, quantum mihi abest, quantumue lucrari potui.* sed in hac lucri causa aliquæ requiruntur conditiones: de quibus infrà. Omitto venditorem qui rem emptori tradidit. *de quo egimus in con. ult. can. h. 3. cons.* 1.

Tamen huiusmodi casus, & si qui sint alij, exceptiones sunt, iuris regula in contrarium est. qui autem in exceptione se fundat, probare illam tenetur. *l. cum de indebito. §. sin autem. D. de probat. in verb. secundùm generalem regulam, quæ eos, qui opponendas exceptiones affirmant, ostendere exigit.* & quia qui pecuniam suam in vsuras collocant, aliorum contractuum pallijs obumbrare illas solent, statuit d. Clem. *vnic. §. caterum* vt teneantur edere libros suarum rationum vsurarij. qui vtique aduersus scribentes probent, non proipsis.

Vsurarium ergo est chyrographum quod vltra sortem promissionem continet quantitatis sex in centum, finito anno cum sorte soluendæ: sed si liber mutuantis habet, *datam esse sortem in negotiationem libi orum mutuatario plus lucri dantem*, videbitur esse vsura sine morsu: quippe Hebræi vsuram morsum vocant; *Nauar. in Manual. c.* 17. *n.* 206. aut saltem implicitum contractum societatis, assecurationis, & redemtionis incerti lucri maioris pro certo minori: sed licet ex sola contractuum natura infignes theologi & iurisperiti eum implicitum esse tradant; tamen damnauit

10. Constitutione hîc publicata.

nauit Sixtus V. *const. Incip. detestabilis quam Synodus Antuerpiensis* 1610. *seruari hîc iussit*, huiusmodi contractus, & edictum 1540. vetuit pecuniam dari ad lucrum, quamuis apud mercatorem; nisi *cum damno, & lucro.*

Adeo vt quamuis consuetudines alicubi permittant mutuanti præter sortē lucrum pacisci certo die simul soluendum, nisi aliqua exceptio subsit; id vsura sit, damnata à Concilio Nicæno. *c. quoniam* 14. *q. 4. & d. Clem. vnic. §. fin.* adeoque huiusmodi articulus ex libris statutorum sit eradendus sub pœna excommunicationis. *d. Clem. vnic. in prin.* & Synodus Cameracen. *ann.* 1587. ne pupillares quidem nummos ita collocari posse, cum conditione eas restituendi, cùm minores ad ætatem venerint, declarauit: *tit. de vsur. c. 4.* & edictum regiū *ad illam ar.* 21. huiusmodi contractus prohibet, nullos & irritos facit; eosque magistratus, qui exceperunt, iubet eos irritare; & imposterum authoritatem, præsentiamue non præstare. adeo quidem vt quamuis vsurarij publici, ex permissu Principum fœnebrem mensam exercentes, tanquam socij, paciscantur, vt alter mensam deinde exerceat retento omni lucro, nisi quod alteri ex sua sorte in mensa remanente maiores legitimis vsuris soluantur, reprobatum & improbum id fœnus sit, nec ob antecedentem societatem fœnebrem excusatum, quin huiusmodi vsuræ in sortem imputentur. *vt decidit Concilium Mechlinien. apud Christinæum vol. 4. decis.* 214. dum autem reuera subest societas licita, ex collata pecunia permittit edictum 1540. lucrum percipi, si tamen & damnum feratur.

11. Statuta pro vsuris ex libris Vrbium eradenda.

12. Nec interpretatione transformantur vsurarii contractus in reditus

Quod porro ex diuturnis annuis præstationibus, per decennium saltem, dummodo causatis, velit Modernus *tract. de vsur. q.* 20. *n.* 206. nasci; & iudicandum esse deinceps reditum; in dubijs admitti potest, vbi locus est coniecturis: quando de origine constat. non in claris. vbi in re iudicanda rei primordia sunt inspicienda. *l. procuratorem. D. mandati. in verb. vniuscuiusque enim contractus initium spectandum, & causa. l. si id quod. §. si filiusf. D. pro soc. l.* 1. *§. si seruus. D. depositi.* vt sane ex initijs, si ex chyrographo, & enchiridio constant, nihil trahi possit ad reditum perpetuum, sed mutuum sit annale.

13. Vt est prorogatio mutui in certū tempus cum lucro dati.

Et verò prolongatio mutui in annum sub lucro dati tacitè facta, non potest censeri facta in perpetuum, sed ad summum in parem terminum annalem. *l. item quæritur. §. qui impleto. D. locati.* præsertim cùm vetet illud edictum: & dubij actus interpretandi sint facti modo licito. *l. merito D. Pro socio.* consequenter manendum est in natura, & regulis mutui; & vsuræ in sortem sunt imputandæ.

14. An excusetur specie eius quod interest quasi lucro cessante?

Quod autem sub nomine interesse specie tenus obijci potest, vix obtinet: vt de futuro liceat pacisci, determinata certa quantitate. & cùm illud petitur ex facto DD. volunt articulari. *Menoch. de arbit. l.* 2. *c.* 119. eo quod *quatenus cuiusque interest in facto, non in iure consistat*, inquit *l. quatenus. D. de reg. iur.* probarique præ manibus fuisse occasionem lucrosam; ob mutuum omissam. *Gamma decis.* 156. vt in istiusmodi causis S. Cardinalium Congregatio 19. *septemb.* 1608. Episcopo Antuerpiensi respondit his verbis, minimè quidem decerni posse quantum ratione eius quod interest, siue sit lucrum cessans, siue damnum emergens, liceat accipere vel mercatori vel alteri contrahenti: cùm id Iudex in vnaquaque causa, ex singulis circumstantijs, & certè postquam lucrum iam cessauit, vel damnum emersit, diiudicare debeat.

Enimuero id quod interest, cùm de lucro cessante quæritur, describit iurisconsultus, vt diximus,

15. Verè ob mutuationem lucrũ abesse oportet.

mus, *quantum lucrari potui*: si ergo creditor non potuit tantum lucrari, ex mutuo non potest tantum accipere: atque hanc conditionem exigit Nauarrus. *vbi supra. n.* 211. *& seqq.* vbi examinat 12. conditiones, quas requisiit Conradus: & breuius contrahit Azor. *Inst. moral. p. 3. l. 5. c. 5. Lessius de iust. l. 2. c. 20. d. 2. Malder. de iust. tract. 5. c. 3. d. 13.* denique requiritur, quod mutuatio sit causa amissionis lucri, *secundum omnes*, inquit Nauar. *n.* 212. illudque vere haberi potuerit. Porro interesse lucri cessantis multò odiosius est damno emergente, propiusque adsimilatur vsuræ: ideoque ad illud plures conditiones requiruntur; & in iure hoc multis casibus negatur, quibus illud conceditur. *l. proculus. 26. D. de dam. Infect. l. 2. §. si nauis D. ad leg. Rhod.*

16. An excuset quasi non sit mordax cùm mutuatarius lucrum facit?

Nec suffragatur, si vsura videatur esse sine morsu; imò non tantum non mordeat, sed per quam mercator plus lucri faciat longè, quam mutuanti retribuat: quam defendit Modernus: quia mutuum manens mutuum natura sua sterile est; ideoque contra naturam mutui mutuans ex eo exigit partum. quo nomine Græci vsuram vocant; adeoque contra institiam id, quod ex eo contractu oriri non potest. *Azor. vbi supra c. 2. q. 4. & passim omnes.* quare nec huiusmodi vsuras tanquam compensatoriæ commodi sunt admittendæ, *vt in l. curabit. C. de act. empt.* venditor vsuras rectè petit tanquam compensatorias fructuum: quoniam ex re frugifera, quæ fuit venditoris, vel ob moram in bonæ fidei iudicio ei absunt: mutuanti autem nihil abest ex pecunia infrugifera.

17. An quia mercatori datur?

Neque verò considerari potest pecunia mutua, vt iam subiecta industriæ, & negotiationi mercatoris, cui datur; nam mutuum dumtaxat tantum adferre, & proficere potest mutuanti, quanti ei valere potest; non quanti accipienti: *Nauarrus vbi supra n. 211. in fin. vbi citat D. Thomam. 2. 2. q. 77. ar. 1. & Schot. in 4. dist. 15. q. 2.* alioquin non tantùm in mutuo mercatori dato videretur abesse morsus; sed in omni eo, qui non prodigit, sed fructuosè expendit, mordet ergo alienæ industriæ fructum, sibi indebitum; etsi non adeo tum pungat, vt si pauperem mutuatarium lancinet. Ideoque S. Ambrosius *in c. plerique. 14. q. 3.* etiam vsuram vocat in ijs, qui refugientes præcepta legis, cùm dederunt negotiatoribus aliquid exigunt. *de mercibus*, inquit, *eorum tanquam vsurarum emolumenta percipiunt*; & infra, *quodcumque sortis accedit, vsura est; quod velis, ei nomen imponas, vsura est.*

Et porro si pecunia in societatem data censeretur, cùm expressæ tantùm sint partes lucri, tamen damni conuentæ eædem censerentur. *l. si non fuerint, D. pro soc. §. illud institut. eod.* hic autem merces plus damni, quàm lucri tulerunt. 18. Si data in societatem pars eo damni quæ lucri proportione pacta.

Enimuero sufficere videri possit, quod pecunia mercatori solum detur, vt lucrum ex ea percipiatur: *ob c. per vestras. X. de donat. inter. vir. & vxor. in verb. autem als.* *cui mercatori committi, vt de parte honesti lucri vir onera possit matrimonij sustentare.* vbi nec nomen societatis, nec assecuratio sortis, nec venditio incerti lucri exprimitur: & mandat tamen Pontifex pecuniam dotalem sic apud mercatorem collocari, & lucrum percipi. illiusque decretalis argumento Nauarrus *d. c. 17. n. 256.* admodum vtitur pro stabiliendo triplici contractu; quasi ipse illam nouiter in eum sensum adducat, contenditque triplicem illum in ista dotis collocatione apud mercatorem tacitè esse implicitum: sed scripsit ille ante d. constitutionem *Sixti V. incipit detestabilis, equidem*, inquit, *optarem n. 257. vt saltem S. Pontifex declararet praditam consuetudinem esse iustam.* Agit de illa 19. An pecunia mercatori data illi conuenta implicite data sit contenta

quæ

quæ conformis est huiusmodi triplici contractui) quod si ergo ille scripsisset post Sixti V. constitutionem damnatoriam huiusmodi contractuum; *In verbis damnamus & reprobamus.* &c. *Statuimusque huiusmodi contractus vsurarios & illicitos posthac censeri debere, atque imposterum non licere* : &c. eius iudicium secutus fuisset. non secus quàm Pij V. quoad constitutionẽ de cambijs, in illisque certum & determinatum interesse in principio, seu aliàs, non pacisendo. *quam ibidem refert, atque explicat post n.* 283. *l. M.*

Videamus ergo quo sit vsus argumento Nauarrus. *Papa iubet vt marito vergente ad inopiam, dos deponatur apud aliquem mercatorem, quo ex parte lucri honesti onera matrimonij sustentet, & ita intentio eius fuit, vt dos salua seruaretur, siquidem, ob hoc iubebat illam à marito auferri, & ita videtur noluisse, vt ad lucrum & damnum mercatori traderetur, quod erat eam periculo obijcere: voluit item certum aliquod lucrum inde prouenire ad matrimonij onera sustinenda. At hæc duo fieri non possunt sine assecuratione, & lucri incerti pro certo redemtione; ergo Papa tacitè voluit illa fieri.*

Sed non rectè argumentatur Nauarrus; quippe Pontifex in *d. c. per vestras* agit de marito non tantùm ad inopiam vergente; sed iam, vt vocat, paupere, apud quem secura dos esse non poterat: securiùs autẽ poterat committi mercatori: neque porro ex genere indefinitè prolato inferri potest summa securitas; nisi & fideiussores & pignora adiungantur, & hæc, si velis, nulli infortunio subiecta; non incendio ædium, non inundationi agrorum, non incursui hostium &c. alioquin non aderit omnimoda securitas.

Iterum dicit Pontifex *vt de parte honesti lucri vir possit onera matrimonij sustentare* : pars autem cùm aliter non explicatur, de portione & quota totius intelligitur. *l. nomen §. portionis. D. de verbor. signif.* sex autem aut quatuor in centum non sunt quota totius: nec iterum ex genere indefinitè posito rectè certa species, vt fit à Nauarro infertur: non ergo certum, & determinatum lucrum; vt vult Nauarrus: satis est, ex circumstantiarum antithesi ad intentionem Pontificis, marito pauperi non tradi dotem; sed mercatori bonæ æstimationis, & fortunæ satis iterum partem aliquam honesti lucri marito cedere, quam exitus & rationum subductio certam reddet; non opus est in specie sex in centum initio stipulari. De sorte aliter assecuranda, aut redemtione incerti lucri nulla apud Pontificem mentio, ex eo verisimilius, quod in eadem tunc sententia fuerit, in qua postmodum Sixtus V. nõ quod inferri voluerit, quod Nauarrus. quibus conformiter Tuscus, *v. vsura concl.* 337. *n.* 30. vsuram esse censet in pecunia simpliciter data mercatoribus, *quia licet*, inquit, *præsumi possit data in commercium & causam negotiationis; arg. l. fin. in fin. C. ad Macedonianum, & possit honestum lucrum percipi isto casu; tamen intelligitur honestum esse, quando capitale non est certo restituendum saluum : Rom. cons.* 520. *n.* 5. *& seq. vbi apostilla sub n.* 7. *v. formaliter dat concordantias* : & extendit etiamsi societas conseretur inita; præsertim si præstationes plurium annorum essent vniformes. *per Roman. ibid.* dum contra operæ, & pericula, impendia, damna, & lucra, & consequenter vera illorum æstimatio, non sunt vniformia.

Nec verò donatio mutuatarij hîc præsumenda est, qua actus fiat licitus; cùm in necessitate nemo dicatur liberalis, & voluntas huiusmodi non sit libera, qua quis cedat iuri suo, & donare præsumatur. *Malder. de iust. tr.* 4. *c.* 3. *d.* 3. *in fin. Lessius de iustit. l.* 2. *c.* 20. *d.* 6. ideoque c. consuluit. *X. de vsur.* vsuram illic subesse decernit, etiam

20. Vsurarios contractus non excusat præsumtio donationis. quia non est ea iuris.

etiam vbi illius pactum non subest. minus taciturnitas consensum arguit, cùm de tacentis præiudicio agitur. *inuitum*, inquit *l. 8. D. de procurat. accipere debemus non eum tantùm qui contradicit, verùm eum quoque, qui consensisse non probatur.* nec *pro consentiente habetur, qui tacet, sciens ius suum durare. l. sicut §. non videtur. D. quib. mod. pignor. Azor. Institut. moral. p. 1. l. 1 c. 4. & 5. sub fin. DD. in c. qui tacet. de reg. iur. in 6.*

21. Igitur timidè in hac materia iudici agendũ est, ne impingat in vllos canones suprà citatos. ne vsuras vllatenus adiudicet, nisi euidẽter constiterit esse licitas, per aliquam ex suprà citatis exceptionibus. Aduersus septimum præceptum peccare eũ mortaliter inquit Nauar. in *Manual. c. 17. n. 275.* qui iudex vsuras adiudicat, aut ad eas restituendas non cogit. non ergo vmbram iuris, & speciem admittere ex ijs, quæ possint fucum facere; sed veritatem sequi debet. alioquin vix quicquam est in huiusmodi contractibus, quod palliari non possit. nec porro pauca in hac lite allata sunt; sed instrumenta, & acta non consonant: quæ sequi iudicem in foro externo, canones, atque edicta oportet.

De priuilegijs.

RESPONSVM. I.

De exemtione. quibus verbis inducatur.

1. Antiquis nulla, aut rara exemtio.

EXemptionis ab Episcopi superioritate vsus, aut nomen in veteribus Ordinibus ac monasterijs vix agnitum fuit, vel saltem valde rarum. *c. abbates. 18. q. 2. c. quidam. ibid.* adeo vt Paschalis II. Episcopalia noluerit ministrari eiusmodi monachis, qui nulli Episcopo subesse se profiterentur. *c. Abbatibus. 18. q. 2.* necessarium tamen est visum D. Gregorio inprimis, alijsque S. Pontificibus, monachorum quieti prospicere.

2. Nisi ad quietem, & à lege diœcesana. quæ quasi?

c. quam sit. ibid. vt nec liceat Episcopis monasteria ecclesiasticis conditionibus, seu angarijs, vel quibuslibet obsequijs sæcularibus, aut canonicis iuribus subijcere. *d. c. quam sit. in fin.* nec vllius in illa potestatis, aut regiminis prætextu grauamina facere. *c. dudum. ibid.* vt visitandi quidem, non semel, sed sæpius etiam in anno, exhortandique gratia ad monasterium quoties placuerit ab Antistite ciuitatis accedatur: sed sic charitatis officium illic Episcopus impleat; vt grauamen aliquod monasterium non incurrat. *ita idem Gregorius. in c. visitandi c. non semel. 18. q. 2.* quare & missas publicas in cœnobijs idem fieri vetuit, vel cathedram ibi collocare Episcopum, vel quamlibet potestatem exercere imperandi, vel aliquam ordinationem faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus. *c. luminoso. 18. q. 2.* nihil, quod non præcipiunt canones, ibi vindicare. *c. hoc tantum. ibid.* nec ibidem constituere baptisterium. *c. pridem. ibid.* nec insolitam pensionem imponere. *c. Eleuterius. ibid.* quamuis seruitium antiquum exigi non vetetur. *c. seruitium. ibid.* vbi glossa explicat, vt in his valeat consuetudo: & Gratianus d. quæstionem concludens, *canonica ergo iura*, inquit, *quibus monasteria subiecta non sunt, Synodales exactiones intelliguntur. sunt etiam quadam seruitutis officia, vel angariæ operum, crebræ receptiones, annuæ exactiones, multationes peccantium, à quibus omnibus monasteria libera sunt.* Atque ex his omnibus conficitur, quamuis monasteria sub potestate & iurisdictione sint Episcoporum, legemque iurisdictionis agnoscant, lege tamen diœcesana non obstringi. *c. 1. X. de stat. moncah.* vt apertè distinguit c. dilectus. *X. de off. ordinar.* vbi lata sententia in vnâ, præiudicium non parit, aut rem iudicatam in alterâ. & Cucchus *Inst. mor. l. 2. c. 6. n. 40. & seqq.* plurima enumerat,

merat, quæ legis dioceſanæ ſunt, & ad quæ monachi iure non teneantur: vt nec recipiant quæ ſolitariam monachorum quietem poſſint interturbare. vt miſſæ publicæ, & ſimilia. tametſi in exemtis locis in Pontificalibus celebrare, & ordines conferre liceat. *clem. archiep. verſ. ſimili. de priuil.* vt in d. canonibus non exemtio, ſed quies monachorum ſpectetur.

3. Ab ijs quæ legis dioceſanæ, non fit illatio ad iuriſdictionem.

Quare diligenter ſunt inſpicienda antiqua priuilegiorum diplomata. *c. porro X. de priuil.* (nam certa verborum forma non eſt præſcripta. *c. ſi Papa. de priuil. in 6.*) an præter ea quę legis dioceſanæ ſunt contineant etiam ea, quę pertinent ad legem iuriſdictionis. nam ab alterutris non fit illatio. *d. c. dilectus.* & ſi aliqua exprimantur circa quæ concedatur libertas, v. g. quod excommunicari, ſuſpendi aut interdici non poſſint, & in ſignum huiuſmodi libertatis ſubiungatur præſtatio cenſus, extra illa capitula non inferetur exemptio. *d. c. ſi Papa §. idē dicimus. de priuil in 6.*

4. Niſi generaliter iuriſdictio exprimatur.

Vnde & deciſum eſt in protectionem ſuſceptos non cenſeri exemptos. *c. ex parte. 18. X. de priuil.* nec receptos in filios. *c. 1. in princ. de verb. ſignif.* neque per narrationem libertatis. *d. c. ſi Papa de priuil. in 6.* neque per prohibitionem inferendæ moleſtiæ. cùm ea tantùm ad legē dioceſanam pertineat. *c. 1. X. de ſtat. monach. c. quam ſit. 18. q. 2.* nec per cenſus præſtationem. *c. recepimus. ibid.* niſi in priuilegijs dicatur præſtari ad indicium perceptæ libertatis. *d. c. recepimus. §. inſpicienda. d. c. ſi Papa. de priuil. in 6.*

5. Quibus verbis non detur exemtio?

6. Quibus detur?

Vbi latè referuntur verba, modique concedendæ exemptionis. v. g. ſi diſpoſitiuè dicatur eccleſiam fore exemptam, ſi iuris beati Petri exiſtere; ſi ad ius & proprietatem Romanæ eccleſiæ; vel ad Romanam eccleſiam ſpecialiter, aut ſine medio, vel etiam ſimpliciter pertinere; ſi diſpoſitiuè Papa exprimat quod eccleſia ſit libera; ſeu quod potiatur Romanæ eccleſiæ libertate; vel quod in hoc prærogatiua gaudeat ſpeciali; aut ſi dicat indefinitè quod eccleſiæ Romanę annuum cenſum ſoluat, ad perceptæ iuſticiū libertatis, ſiue quod ipſam eccleſiam eximat ab Ordinarij poteſtate; inſuper, ne audeat illic Epiſcopus cathedram collocare, aut imperandi, ſeu ordinationem quamuis leuiſſimam faciendi exercere aliquam poteſtatem: denique ſi aliqui recipiantur in proprios, & ſpeciales ſubiectos, non item ſi in proprios & ſpeciales filios. *d. c. ſi Papa. c. cum tempore. X. de arbitris. c. 2. §. nos igitur. X. de reſtitut. in integrum. c. cum olim. 12. c. ne aliqui. de priuil. in 6. in verb. à quorūcumque. vide Chockier de iuriſdict. Ord. in exemp. p. 1. q. 9.* vbi & plura proſequitur; & ſpeciatim *n. 6.* cenſeri eccleſiam à iuriſdictione Ordinarij exceptam, ſi alicui conceſſa fuerit pleno iure. *c. cum & plantare. §. ne eccleſijs. X. de priuil.* ſed & *n. 9.* reſtringi libertatem per illa verba; *volumus autem quod in caritate priori cum ſuo Epiſcopo remaneat. arg. c. quanto. X. de cenſ. c. charitas. de pœnit. d. 2.* vt non extendatur ad iura Epiſcopo ſpecialiter competentia. & *quæſt. 13.* an exemptio conceſſa ſimpliciter, eximat vniuerſaliter? & *quæſt. 12.* vt hodie exemptio non ſuffragetur obtenta poſt Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſ. 10. ob adiectam clauſulam irritantem, ſi fuerit conceſſa Ordinario non audito.

7. An his; ne ibi cathedrā collocet, ne ordinationes faciat?

Enimuero *ne in monaſterijs cathedram collocet Epiſcopus, aut ordinationem ibi faciat*; ſtatuerat Gregorius. *d. c. luminoſo. 18. q. 2.* & quamquam gloſſa *ibid. in verb. ordination.* id exaudiat in exemptis; non tamen videtur ea mens fuiſſe Gregorij: qui idem *in c. cognouimus. ibidem* Epiſcopis in monaſterijs tribuit iuriſdictionem. cuius eſt etiam illud; *ſi ſua vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur*

nisi vt per nos per quos ecclesiasticus custodiri debet, ordo, confundatur? c. peruenit. 11. q. 1. sed quietem ibi spectauit Gregorius; ne cathedram in monasterijs collocaret Episcopus; vt *ibi exerceat iudicia*, inquit glossa, quibus quies monastica turbetur. quam exaggerat idem *in d. c. quam sit. 18. q. 2.* ob quam etiam Hieronymus *in c. si cupis. 16. q. 1.* monasteria magis rure, quam in vrbibus indicat collocanda. & idem Gregorius *d. c. luminoso missas* publicas ibi fieri prohibet; *ne in seruorum Dei*, inquit, *recessibus, & in eorum receptaculis vlla popularis conuentus præbeatur occasio, vel mulierum fiat introitus.* sed & glossa admittit *in d. c. luminoso* ordinationem Episcopi, saltem negligente Abbate. *ex c. cum simus. 9. q. 3.* vt ordo iurisdictionis exercendæ, non autem necessariò inferatur exemptio. sicut totius orbis praxis habet, vt monasteria Benedictina non sint exemta, nisi specialia producant priuilegia: quod contra tamen esse deberet, cùm d. c. *luminoso* sit generale, & à D. Gregorio emissum imprimis eius ordinem spectare debeat. quamquam Bonifacius VIII. *d. c. si Papa. vers. vel quod non audeat. de priuil. in 6.* nunc ex huiusmodi verbis exemptionem induci declaret: & videtur respexisse ad d. c. *luminoso*, cùm eadem verba referat. sensum autem seu energiam mutasse secundùm mutationem temporum: quibus iam inualuerat, non vsurpata antiquis, exemptio.

8. Antiqua diplomata vix pertinent ad exemtionē, & ambigua contra illam interpretanda.

Igitur cùm antiquissimum argueretur diploma ex quo exemptio prætenderetur, rectè responsum est, inspiciendum illud esse diligenter. *d. c. porro. c. recepimus. X. de priuil.* neque ex verbis ambiguis inferendam exemptionem; *c. 1. in princ. de verb. signif. in 6.* aduersus Ordinarium; cuius iurisdictio est fauorabilis. *d. c. peruenit. 11. q. 1.* exemptio odiosa. *Conc. Trid. s. 24. c. 11. Chockier de iurisdict. Ordinar. in exemp. p. 1. q. 4.* præsertim in Ordine Benedictino. cuius Regula c. 62. & 64. Ordinarium agnoscit; & ex ea deductum iuramentum: quod olim etiam Cistercienses præstabant. *c. ne Dei. X. de simon.* & ex quo Ordine erat Gregorius; qui vnicuique Episcopo suam seruari voluit iurisdictionē. *d. c. peruenit.* vt à Concilio Chalcedonensi excommunicantur monachi, qui Episcopo subesse nolunt. *c. quidam. 18. q. 2.* vt aduersus huiusmodi exemptionem iā obrepentem ex eodem Ordine per Robertum reformato Bernardus ad Eugenium *de consider. lib. 3. c. 8. & seqq.* valde inuehitur. nisi fortè fundatio sit contraria. ob quam immunitatem monasterij Cluniacensis Petrus Venerabilis tuetur. *epist. 28 l. 3. ad Cistercienses.* eoque, quo antiquius est diploma, propiusque accedit ad tempora Gregorij; magis in dubio respondendum est pro Ordinario: & verba ambigua pro quiete, quam diximus, monastica sunt interpretanda; & libertate à lege diœcesana; non iurisdictionis aut, si qua iurisdictiona ia eximantur, restringenda ad expressa. *d. c. 1. de verb. signif. in 6. d. c. si Papa, s. idem diximus.* nisi clausula quædam generalis subiungatur, super libertate ab omni iurisdictione. nam & hæc generaliter accipi potest, quamuis specialiter acceptæ iurisdictionis lex distinguatur à lege diœcesana. *d. c. dilectus. X. de off. ord. vide Cucchum Inst. maior. lib. 2. c. 6. n. 28. & seqq.*

9. Ex actu gesti ambiguo.

Actus etiam ab Ordinarijs, vel exemptis gesti, eodem modo sunt accipiendi, quo iuris interpretationem accipiant. quare quod Episcopus, qui publicauerat in monasterio sacramentum Confirmationis se collaturum, & cùm eò peruenisset monitus à monachis, ad parochialem vicinam recesserit, ambiguum est; & accipiendum secundùm causam d. c. *luminoso*: vt popularis illic conuentus,

tus, & fæminarum vitaretur introitus. vt in administratione istius sacramenti solet esse frequentior conuentus popularis. quemadmodum de censu diximus; vt ambigua præstatio non capiat interpretationem pro exemptione: nisi adiecta sit causa, eam præstari ad indicium perceptæ libertatis. *d. c. recipimm. d. c. si Papa. c. constitutus. x. de religios. dom.* adeoque simile est iudicium de alijs verbis actibusque ambiguis. ita vt nec ad fundandã aliquam exemptionis quasi possessionem proficiant. vt videtur significare arrestum quod citat Choppin. *monast. l. 1. t. 2. n. 22. in fin.*

10. Nisi præscriptio sit contraria.

Si tamen iam pridem verba ad exemptionis sensum accepta sint, & talia sint, vt causam saltem præscribendi præstare possint; & accesserit possessio quadragenaria, eo casu ad exemptionem inducendam proficiunt; atque sufficiunt *c. auditis. c. cum olim. x. de præscript. c. cum olim. 14. x. de priuil.* ita tamen vt probatione præscriptionis pendente secundùm Ordinarium iudicetur. *c. sunt personæ §. quod si tales priuilegio & præscriptione. de priuil. in 6. Vide etiam c. 2. in fin. & ibi glos. & DD. de rest. in integ.* quanquam nuper Senatus supremus Mechlinensis pro Abbate Amandino contra Ordinariũ iudicauit: sed possessio nimis erat diuturna.

11. Verbo immunitatis non concessa exẽtio.

Secundùm ea, quæ diximus, examinando diploma quod refert Chopin. *monast. lib. 1. t. 2. n. 19.* à S. Germano datum monasterio sui nominis, quasi eo emancipatũ sit ab omni superiore, præterquam Romano Pontifice; dicendum est non videri ita rem se habere: sed immunitatem tantùm concedi à lege diœcesana. eoque vtitur verbo immunitatis: quod vacationẽ à muneribus, seu oneribus significat. *l. vlt. D. de cens. tot. tit. D. de vac. mun. & de iure immunitat.* lex autem iurisdictionis eo nomine non reijcitur. *l. cui muneris. D. de muner.* quia, vt subiungitur, magis ad honorem, quàm ad munera pertinet. eoque D. Germanus *sub fin.* quidquid monasterio fuerit *donatum*, inquit, *vt ad integrum habeat, volo, rogo, coniuro*: & præfatus erat Regem Childebertum fuisse illorum *immunitatem, securitatem, ac sequestrationem ab omni ciuili negocio.*

12. Nec prohibitione ingressus.

Nec obest inserta diplomati clausula, *sancimus vt nullus Metropolitanus aut alius suffraganeus eius, causa alicuius ordinationis illud ingredi præsumat, nisi solummodo ab Abbate, eiusdem loci vocatus venerit, ad sanctitatis ministerium celebrandum, aut ad ecclesias consecrandas, aut ad benedictiones clericorum, vel monachorum instituendas*: quia hæc eadem ferè verba recitantur in d. c. luminoso. *§. nec audeat. & d. c. dudum. §. hortamur. in verb. quatenus nullam deinceps in eis ob aliud, nisi hortandi tantummodo causa accedendi habeant licentiam, aut si fortè ad peragenda sacra missarum fuerint inuitati mysteria.* quæ vtraque cc. sunt D. Gregorij: quem mox diximus Ordinem suum per illa non feciisse exemptum. adde & finem in d. c. luminoso expressum exemtionem non spectare, nisi quoad legem diœcesanam. quibus conformiter Paschalis II. *literis, quas recitat idem Chopin. monast. lib. 2. tit. 1. n. 4.* confirmans diploma D. Germani *libertatem* vocat ab eo collatam; vtique à iuribus lege diœcesana Ordinario cõpetentibus: & subijciuntur quędam specialia à D. Germano non expressa: & in fin. ne quis ipsos interdicere, excommunicare, vel ad Synodũ vocare possit: qualia omnimodam exemptionem non inferunt. *d. c. 1. de verb. signif. in 6.* & ideo refert Chopin. *d. n. 19. ad marg.* idem monasterium ab Alexandro IV. alias literas obtinuisse. verisimile est illum progressum esse ad plenam exemptionem. quæ iam tum inualuerat. quod pluribus alijs locis accidit: quorum antiqua priuilegia nondum illam

plenè tribuebant; vel intellectus priuilegiorum præscriptione prorogatus est. *iuxta d. §. quod si tales. c. cum olim. 14. X. de priuil.*

Sic monasterio A. à Martino I. concessum est priuilegium, quo vetatur Episcopus cathedram ibi collocare, aliaque plura agere, quæ a supra expressa sunt: Paschalis II. dicit Martinum priuilegium libertatis contulisse: & *nos*, inquit, *sub tutela apostolicæ Sedis omnino liberum in gremio S. Romanæ ecclesiæ excipimus.* vltima verba obscura sunt, an huiusmodi gremium faciat speciales filios, an subiectos; sed illa verba; *omnino liberum*, clariùs pro exemtione faciunt. *d. c. si papa.* dum verbum omnino significat absolutè, simpliciter, indistinctè. *Tuscus. V. Dictio omnino. concl. 322.* vt libertas significari videatur quoad vtramque legem: diœcesanam non tantùm; sed & iurisdictionis. *vt in d. c. cum olim. X. de priuil.*

In Constituto, vt vocant D. Gregorij, *quod refert Baron. in Annalib. eccl. ad an. 601. ex actis Concilij*, & vbi vetantur inter cætera Episcopi cathedram collocare &c. *ad fin. Vniuersi, Patres* inquit, *respondere; libertati monachorum congaudemus; & quæ nunc de his statuit beatitudo vestra, firmamus.* ecce verbum libertatis: sed non vtique plenæ; sed quoad hæc tantùm quæ pertinent ad legem diœcesanam. nam iurisdictioni detractum noluit Greg. *d. c. peruenit. c. 1. X. de stat. monach.* quod eiusdem Greg. 1. esse ibi asseritur *in Corpore iussu Greg. XIII. edito.* vbi hæc verba; *ne præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiæ monasterio inferatur.* disciplina ad iurisdictionem; alia ad legem diœcesanam, quietemque pertinent: de quibus *in c. pro vtilitate. 16. q. 1. in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingantur* monasteria aliàs subdita. *c. cum Vener. X. de relig. dom. & quæ suprà citauimus.* quare & praxis, vt diximus, Benedictinos in vim d. Constituti non agnouit exemtos: & perperam D. Bernardus inuectus fuisset *d. c. 8. & seqq.* in exemtiones, si eas D. Gregorius iam olim principio Ordinis tribuisset; quem & ipse sub reformatione profitebatur. tametsi aliqui ex eo Constituto arguant omnes monachos fuisse exemtos, sed vsu receptum illud non fuisse. quod nullam habet verisimilitudinem, cùm Concilium vniuersos Patres dicat & congauisos fuisse, & illud firmasse: & D. Bernardi inuectiua, vt rem nouam, oppugnat exemtionem; illiusque ratio, & dicendi modus tam est vehemens, quod cum reuerentia D. Gregorij non satis constitisset.

RESPONSVM. II.

Quæstuationes Mendicantium quæ prohiberi possint ab Ordinarijs.

ADuersus prauos quæstores diuersa Concilia prouidere voluerunt. *c. cum ex eo. X. de pœnit. & remiss. c. abusionibus. eod. in clem.* sed malum remedia superauit. Concilium *Trid. s. 21. c. 9. s. 25. decreto de indulgent.* securim misit ad radicem, illos penitus abolendo. sed decretum huiusmodi non spectat ad Ordines mendicantes. qui, ne iuxta institutum suum mendicent, prohiberi non possunt. *Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. d. c. 9. post Eman. Sanches, Rodrig.* ideoque nec prohibuit Concilium Trid. mendicitatem, sed concessit quidem Mendicantibus, quibusdam exceptis, *s. 25. de regular. c. 3.* vt bona immobilia possidere eis liceat. vbi paulò ante c. 1. præcepit, vt omnes ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant. quare nec tenentur petere licentiam mendicandi ab Ordi-

Trid. s. 25. c. 9. non loquitur de Ordinibus mendicantibus.

Ordinarijs locorum: quippe iure conceſſam: quæque tacitè admiſſa ſit per erectionem monaſterj; vt reſpondiſſe S. Congregationem *ex Aldan.* refert Barboſa *in Collect. DD. ad Conc. Trid. d. c. 9. n. 6. vide quæ diximus in Conſult. can. de priuil. conſ. 5.* quod ſi porro extra locum monaſterij eleëmoſinas quærant, nec ab Ordinario impediri poſſunt, ſed tantùm exhibere debent literas licentię ſuorum Superiorum. *Barboſ. ibid. n. 5. poſt plures, & nominatim Piaſcet. in Prax. part. 2. c. 3. n. 47.* vbi is citat declarationem Interpretũ: aitque licentiam exigendã ad eleëmoſinas petendas pro monaſterio extra dicœceſim ſito. bullam Pij V. per Greg. XIII. reuocatam eſſe ad terminos iuris communis ait Zerola. *in Prax. v. quæſtores.* eoque, extra quam admiſſi ſint, opus habere licentia, ſeu apoſtolica, ſeu dicœceſani: *iuxta d. clem. abuſionib.* cuius formam refert Barboſa *vbi ſup. n. 2.* & conditiones Zerolà *vbi ſup.* & conuenit cum d. c. *cum ex eo d. clem. abuſionib.* ideoque ſi Mendicantes vitia exerceant quæſtorum, Ordinarij poſſunt obſiſtere. & quidem ſi ſcandala diſſeminentur in populum per prædicatores; à Conc. *Trid. ſeſ. 5. c. 2.* committitur, vt prædicationem interdicant. ſed & Conſt. Greg. XV. *incip. inſcrutabili. Non. feb.* 1622. vlterius puniendi tribuit authoritatem. ſed & d. clem. *abuſionib. §. fin.* Ordinarijs facit facultatem quæſtores delinquentes, nõ obſtantibus priuilegijs puniendi. ſed cùm d. clem. agat de quæſtoribus propriè dictis, non mendicantibus ex inſtituto pro ſua ſuſtentatione; non videtur pœnalis diſpoſitio extra proprium caſum extendenda. ideoque extra caſum prohibitæ prædicationis, potius eſſe locus decreto Concilij *Trid. ſ. 15. de regular. c. 14.* vt regularis, qui extra monaſterium ſcandalosè deliquerit, niſi à ſuo ſuperiore ſeuerè punitus fuerit, intra tempus ab Epiſcopo præfigendũ, ab ipſo puniri poſſit. *d. conſt. inſcrut.* niſi eiuſmodi mendicatio fuerit, vt quæſtorum nomen tribuere ei poſſit; nam tunc locus erit d. §. fin.

2. Extra dicœceſim tamẽ exhibent ſuperiorũ licentiam.

3. Seu vbi nõ ſolent mẽdicare, nec olim permiſsi ſunt.

4. Niſi vitia quæſtorum exerceant.

5. Qui puniuntur non obſtantibus priuilegijs.

Cùm itaque duo conuentus Mendicantium in oppido T. ritè eſſent admiſſi, iuxta Clementis VIII. conſtitutionem *inc. quoniam 23. Iulij* 1603. *de qua egimus in Iur. pont. nou. anal. de regular. n. 35.* & iam ante aliorum Ordinum Mendicantes alibi monaſterium habentes, ibi ſtationarias conciones, & quæſtuationes annuas habere ſoliti eſſent, ijque oppido iſti nimis fierent graues, prouiſo iam de duobus Mendicantiũ conuentibus ibidem habitantibus, & in populo ſpiritualia ſeminantibus, quos æquum eſt metere temporalia; ad requiſitionem populi Ordinarius vetuit, ne aliqui exteri conciones, & quæſtuationes impoſterum ibibem haberent: conſtitutio quidẽ Clementis admiſſiones nouorum conuentuum fieri iubet, ſine præiudicio anteriorum; ſed *illo in loco*, inquit, *prius exiſtentium.* ideoque quod iſtius oppidi ciues, cum omnibus non ſufficiant, temporalia ſua communicent operarijs in ſua vinea laborantibus, iuſtum æquumque eſt: ne autem exteri domeſticorum præmia auferant; aut populum iniuſtè grauent; rectè Ordinarius quæſtuationes externis interdicit: ſtationariaſque conciones, ob id olim admiſſas ſine obligatione perpetuandi. vt diximus *ſup. de paroch. reſp. 4.* &, ſi cum ſcandalo pergant, ritè apud illorum ſuperiorem inſtare poteſt, vt ſeuerè corrigantur: idque niſi præſtitum fuerit, ipſe Ordinarius punire poteſt, extortaſq; eleëmoſinas conuentibus illic laborantibus attribuere. *arg. d. c. 9. verſ. quibus etiam eleëmoſinas. c. videntes. 12. q. 1. c. præcepimus. ibid. c. nullis omnino. 17. q. 7. c. Epiſcopus. 12. q. 2.* & ſi in prędicatione exceſſerint, ſeu mẽdicatio in quæſtuationẽ, de qua in d. clem.

6. Vt quæſtuationes ſtationariæ impediri poſsint.

abuſ. inciderit, ipſe etiam via regia punire, vt diximus. Secundùm hæc quæ diximus, Ordo S. Trinitatis Redemtionis captiuorum habet priuilegium à Clemente VII. quo declarantur eſſe exempti à decreto Concilij Viennenſis : tanquam viri religioſi : eoque nec cenſendi ſunt aboliti per decretum Concilij *Trid. ſ.* 21. *c.* 9. quod dicit ſe inſiſtere prioribus decretis Conciliorum. atque ita Ordo cum ſuo inſtituto, & priuilegijs, confirmatus eſt à diuerſis Pontificibus hoc Concilium ſecutis. & tamen hi religioſi non pro ſuo tantum victu, & amictu; ſed & pro captiuis quæſtuationem faciunt, ac ſtipem quærunt.

RESPONSVM. III.

De ſubiectione ordinaria parochorum regularium.

APoſtolicum munus ſeu Epiſcopale potiſſimùm elucet in prædicatione, ac functione paſtorali : adeoque ſubſidiariorum parochorum aſſumptione, & miſſione; & proinde miſſorum reuocatione. *eius qui populum regit*, inquit c. 1. *X. de capell. monach. ex ſolius Epiſcopi arbitrio tam ordinatio, quam depoſitio, & totius vitæ pendeat conuerſatio. conſonat c. in Lateranenſi. X. de præb.* vbi Innocentius III. ſtatuit, quatenus regulares in eccleſijs, quæ ad ipſos pleno iure non pertinent, iuxta eiuſdem Concilij (Lateranenſis) ſtatuta, Epiſcopis inſtituendos presbyteros repræſentent, vt illis de plebis cura reſpondeant; ipſis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem : inſtitutos verò remouere non audeant, Epiſcopis inconſultis. conſonat iterum c. vn. *de capell. monach. in 6. c. cum plantare. §. in eccleſijs. X, de priuil. c.* 3. *X. de off. vic.*

1. Epiſcopale munus prædicatio, miſſio, inſtitutio, deſtitutio parochorum.

2. Etiam regularium, qui qualiter Prælatis reg. reſpondeant, de temporalibus?

Perperam credunt aliqui huiuſmodi verbis, quæ & in priuilegijs eorum referuntur, facultatem talem concedi prælatis regularibus, vt ad eos ſolos ſpectet cura temporalium parochialium eccleſiarum, ſeu beneficiorum, quæ illis incorporata ſunt. Siquidem ea verba, *de temporalibus reſpondere*, non eò pertinent, vt ſoluant regulas eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſed iuris communis ea ſunt, & vniuerſalia in regularibus, & ſæcularibus præſentatis. *d. c. in Lateranenſi. X. de præb. c. ſane. & ſeqq. 16. q. 2. c. cum & plantare. §. in eccleſ. X. de priuil.* vbi, niſi pleno iure conceſſæ ſint illis eccleſiæ, inſtitutio & deſtitutio, & cura plebis Epiſcopis tribuitur : & de exceſſu reprehenduntur ſecus attentantes: de temporalibus etiam ratio prælatis competens reddenda dicitur.

3. Non vtrà claudare auctoritatem Ordinarij.

Quæ autem illa ſit, non ibi refertur; ſed plenius in gloſſ. *in d. c. ſane. in verb. temporalibus.* vbi quærit in quo debeat eis reſponderi de temporalibus? & ait, vtique vt cenſum poſſint exigere : ſed antiquitus impoſitum non augere. vt *in c. prohibemus. X. de cenſ. idemque eſt in clem. vn. de ſupplend. negl. prælat. §. eadem.* vbi iubentur Epiſcopi ne permittant etiam exemptos eccleſias, adminiſtrationes, beneficia applicare menſis ſuis : *penſioneſque*, inquit, *nouas ne eis imponant, aut veteres augeant, ſiue quod ipſi de nouo impoſitæ ſiue auctæ ſoluantur. vide quæ diximus in Iur. pont. nou. anal. de regular. n.* 46. *in fin. & in Conſult. can. de inſtit. conſ.* 1. ita vt hæc verba nihil ad hoc faciant, vt omnis cura & poteſtas in temporalibus ad prælatos regulares pertineat. cùm præcitata iuris loca, quæ idem habent, etiam obtineant cùm præſentati à regularibus ſæculares inſtituuntur : & illi tamen votum paupertatis non habeant, & rationem reddere aliam non teneantur; quàm vt portionem ſuam, cenſumue prælati habeant.

4. Sed conſuetudo in ſtrumis prælatis regul.

5. Non idem iterum in parochialibus beneficijs.

Quæ

6. Episcopus determinat portionem congruam parochi.

Quare & iudicio Episcopi competens instituto portio assignanda est: *c. extirpanda. X. de præb.* etiam à regularibus: *c. de monachis.* X. *eod.* & tanta; vt inde *iura*, inquit, *Episcopalia possit persoluere; & congruam sustentationem habere.* ita vt non tantùm quæ sunt iurisdictionis; sed etiam quæ legis diœcesanæ, in huiusmodi temporalibus reseruentur Ordinarijs; quamuis reliqua vtilitas monasterijs cedat: & pastoratus monasterijs incorporati, non minùs quam sæculares, iurisdictioni ordinariæ maneant subiecti: quamuis monasteria ipsa sint exempta. quare & sic incorporati pastoratus ab omni memoria soluunt iura cathedratica, charitatiua subsidia, aliaque quæ seculares.

7. Quæ sine eo minui non potest.

Ideoque & Episcopis cura incumbit, ne prouentus olim pro congrua portione parochorum relicti depereant, aut minuantur. sicut *in c. 3. x. de off. vic.* semel constituta portio minui vetatur: vt & c. auaritiæ *x. de præbend.* loquitur de regularibus.

8. Nec pars bonorum auferri.

Quare nec partem decimarum aliorumue fructuum auferre, post constitutam semel portionẽ congruam, Prælati possunt. *d. clem. vn.* quæ etiã distingui iubet vniones prælaturæ factas, ab ijs, quæ factæ sunt monasterio, seu conuentui: vt & ex hoc fine inspiciendæ sint: nec vlterior possessio à Prælatis est apprehendenda sine scitu Ordinarij: quamuis vnio facta sit à Sede Apostolica. *c. pastoralis. X. de priuil.* nisi, vt hodie solet, isti decreto in literis derogetur.

9. Ne cura animarum periclitetur.

Quæ summam etiam habent rationem. ne Prælati denudent pastoratus, & eos nimis attenuatos nulli idonei postea velint acceptare; & sic iacturam, aut periculum patiatur cura animarum. *vide quæ diximus in Consult. can. de Institit. cons.* 1. cùm ergo cura animarum omnimodo Episcopis demandetur; non potest non censeri ad eorum cognitionem pertinere, quidquid ad illam necessarium est; *c. præterea. X. de off. deleg. l. 2. D. De iurisd. omn. iud.* adeoque catalogus & specificatio bonorum per eos exigi potest à regularibus, sicut à sæcularibus: vt in archiuis Episcopalibus conseruetur; ad iuris possessionisque parochialis probationem: si quando necessitas eam producendi contigerit. vt iam olim edi catalogus à parochis etiã regularibus solet. & indistincte decretum est à Synodo prouinciali Mechlin. 1608. *tit. 17. c. 2. à Paulo V. probata & seruari iussa.*

10. Inspicere bona, & catalogum exigere Episcopus potest.

Animaduertendum etiam est in priuilegio Clementis V. Præmonstratensibus concesso statui, vt in pastoratibus quatuor vel tres ponantur; aut, vt canones habent, saltem duo. quippe regulares soli in illis constitui prohibentur. *c. 3. & 4. X. de cappell. monach.* & tamen videmus multis in locis vnæos & solitarios esse. verisimile tamen est tempore veterum vnionum, cùm canones strictiùs obseruarentur, pingues satis fuisse pastoratus, vt ex illis duo religiosi alerentur: & prouentus dilapsos esse ad monasteria, relicta portione vnici sacerdotis.

11. Ne solitarij in parochijs regulares esse permittantur.

Et quamuis in aliquibus locis duo ponantur; tamen id fit quasi per modum gratuitæ liberalitatis: & ideo pro alendis huiusmodi subsidiarijs adiunguntur etiã prouentus capellaniarum, quamuis secularium, & ab alijs fundatarum.

Quæ verisimilitudo augetur ex eo, quod in aliquibus diplomatibus huiusmodi incorporationum v. g. vbi incorporantur simul & personatus & pastoratus eiusdem ecclesiæ, adiecta reperiatur conditio, vt pro singulis ponantur singuli vicarij: quod tamen nec vbique factum fuit; nec impræsentiarum fit, saltem non ponuntur vt tales; neque sub eo nomine ab Episcopo approbantur: vt exigit

Concilium *Trid. ſ. 6. c. 2. ſ. 7. c. 7. ſ. 23. c. 1.*

12. Inſpicienda cura, & vita curatorum per Ordinarios, & corrigenda.

Conſiderandum eſt inſuper, vt Bulla Clementis V. parochos regulares iubet prælatis reſpondere de temporalibus: ita & de Ordinis obſeruantia, ſeu regularibus inſtitutis, quæ ſunt cum cura plebis compatibilia: non ait de omni eccleſiaſtica diſciplina, extra curam animarum: pertinet ergo etiam ad Ordinarium inſpectio vitæ parochi regularis; quoad communia crimina: exceſſuum contra Ordinis obſeruantias, ſeu culparum regularium prælato regulari emendatione relicta. *dignum eſt*, inquit c. recolentis. *X. de ſtatu regul. vt qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. vide quæ diximus in Iur. pont. nou. anal. de priuil. n. 3. & 4. de apoſtat. n. 10.*

Non enim rectè curam gerere, oues paſcere, fidem prædicare dicetur; ſi verbo vitæ æternæ prædicet fidem operibus mortuum: ſi quod verbis ædificat, operibus deſtruat: ſi paſtum venenatis vitiorum ſuorum exemplis inficiat: ſi curam lupi arcendi non tantùm negligat; ſed ipſe lupus fiat, exempla prauitatis præbeat.

Hæc quo minùs Epiſcopis curare, remediumque adferre, ne populi ſalus capiat detrimentum, liceat; videri non poteſt eſſe intentio priuilegia concedentium, prohibere. cùm non tantùm legamus *in c. quoniam. X. de priuil.* datum monachis priuilegium, ne ſynodari, aut excommunicari poſſint, tantum intelligi de ijs, qui in monaſterio reſident, aut in eccleſijs pleno iure ad monaſterium ſpectantibus: & exemtos, qui ponuntur in loco non exemto, quamdiu ibi ſunt, ſubdi Ordinario: *c. 1. §. fin. de priuileg. in 6.* ſed etiam Concilium *Trid. ſ. 21. c. 6.* indiſtinctè in parochos turpiter viuentes tribuat Ordinario poteſtatem, non obſtante appellatione, aut exemptione, amouendi: & generalius *ſ. 6. c. 3.* in regulares foris degentes: d. *§.* fin. in exemptos degentes in prioratu non exempto.

13. Iuxta Cõcil. Trid.

Nec reſtringenda eſt ea authoritas ad caſum *c. 11. ſ. 25. de regul.* quod loquitur de parochis eccleſiæ parochialis, quæ ſimul conuentualis eſt. ſicut in d. c. quoniam. 21. *X. de priuil.* priuilegium quod diximus reſtringitur ad monaſterium aut eccleſias vtroque iure ſibi ſubiectas, ſeu pleno iure. vt loquitur c. 3. *§. in eccleſ. eod. vi. de quæ diximus vbi ſupra de Inſtit. conſ.* 1. Neque refragatur etiam cap. 8. *ſ. 21. Conc. Trid.* ſed illud loquitur de beneficijs commendatis, & ipſis etiam regularibus conuentibus per Epiſcopos, vt delegatos, reformandis. de quibus hîc non agitur. vt modus d. c. 8. præſcriptus non quadret caſibus d. c. 3. *ſ. 6. & c. 6. ſ. 21. Trid.*

14. Cui cedat ſiquis detur vetera priuilegia reuocauit.

Accedit quod in priuilegio Julij II. narretur ſolere Præmonſtratenſes in Inſtitutione paſtorali promittere ſeruare mandata Ordinariorum; quod non reprehendit: ſed quod inde argumentarentur ſe ab obedientia Prælatorum fieri exemptos. retineri ergo vult ſubiectionem regularem; non excludi aliam. & ſi quid amplius alijs diplomatibus fuerit conceſſum, nec in antiquis quidem hîc curijs eccleſiaſticis videtur receptum: & quatenus vllo modo minuit iuriſdictionem Ordinario per Concilium Trid. tributam; cenſetur reuocatum per Pij IV. conſtitutionem eiuſdem Concilij confirmatoriam, priuilegiorumque contrariorum derogatoriam. vt, quamuis monachus à prælato regulari non eximatur; tamen nec Epiſcopi iudicium declinet: non tantùm in ijs, quæ ſpectant curam animarum; ſed neque in ijs quæ reſpiciunt communem vitam, extra obſeruantias regulares. *d. c. 1. X. de capell. monach. d. c. 3. ſ. 6. d. c. 6. ſ. 21. Trid. d. c. 1. §. fin. de priuil. in 6.*

Ex

Ex his etiam sequitur, vt quamuis mulctæ pecuniariæ monasterijs imponi non debeant, secundùm ea quæ ex Gratiano recitauimus *supra h.t resp.* 1. *n.* 2. parochi tamen regulares, secundùm rationem d. c. recolentes, pecunia multari possint, quæ pijs causis applicetur. cùm eam rationem magis quàm censurarum probet Concilium Trid. s. 25. c. 3. cùm illi beneficiorum administrationē habeant. & sic non monasterio quicquam auferri, sed vt summum illos cogi parciùs paulò viuere, culinæ subtrahere, quod in expiationem piæ causæ detur, censendum sit.

15. Nec tamen auferitur debita prælatis reg. authoritas: & speciatim reuocandi parochos regulares ex vnitis sibi ecclesijs.

Hæc de stabilienda authoritate Ordinariorum. porro, vt generatim dicitur, quod vna iurisdictio non debet aliam impedire, sed iuuare; ita & hîc vsu venit, vt Episcopus institutis regularibus non obsistat: quæ proprietarium religiosum respuunt nō tantùm; *c. cum ad monasteriū in fin. X. de stat. monach.* sed *nec alicui*, inquit idem c. *committatur aliqua obedientia* perpetuò possidenda tanquam *in sua sibi vita elocetur, sed cùm oportuerit amoueri, sine contradictione qualibet reuocetur.* administratio ergo regularis beneficij à superiori regulari potest reuocari. sic etiā clem. *vn. de supplend. negl. prælat. administratores*, inquit, *huiusmodi liberè possint ad claustrum, cùm oportuerit, reuocari.* vbi illud verbum *oportuerit*, non necessitatē, sed boni superioris arbitrium, ac honestatē potius, quàm causam omnino legitimam significare rectè ait Sanches *tom. 2. oper. moral. lib. 7. c. 29. n.* 110. quippe verbum illud, *liberè*, facit; vt causa non desideretur: alioquin non esset libertas. in hanc sententiam citat Sanches omnino multos. Et speciatim pro Ordine Præmonstratensi VVamesius *de regular. cons.* 456. *n.* 23. 465. *per tot.* astruit regularibus superioribus reuocandi potestatem, etiam in curatis regularibus. cùm in huiusmodi vnitis religiosi instar vicariorum sint. vt & in bulla Gregorij XIII. *inc. quam grata.* 24. *Maij* 1578. in hoc Ordine parochialia beneficia monasterijs sic vnita, parochiales vicariæ vocantur. & *in Synodo diœcesana Mechlin.* 1609. *tit.* 22. *c.* 4. *& Gandauensi* 1613. *tit.* 22. *c.* 9. singulatim declaratur, religiosum promotum ad beneficium curatum, monasterio suo non vnitum seu subiectum, inuitum & sine diœcesani consensu domum reuocari, & pastoratu priuari non posse; *nisi prælatus contrario legitimo priuilegio fulciatur.* à contrario ergo sensu, remoueri potest ab vnito; aut si quod priuilegium sit contrarium. vnitum enim semper manet regulare; ac proinde manuale. ac sic deputatio, præsentatio, & institutio secundùm subiectā materiam fieri videntur Riccio *in prax. resol.* 334. *n.* 1. *&* 2. *vid. quæ diximus de Inst. d. consult.* 1.

16. Priuilegia per quæ liceat prælatis parochis reuocare.

Quod porro attinet ad priuilegia, citatur constitutio Benedicti XII. *in const. can. regulæ. tit. de obtinent. à Sede Apost. quæ eadem inseritur constitutionibus monachorum nigrorum c.* 32. insuper quoad Præmonstratenses Honorij III. Nicolai IV. Joannis XXIII. Sixti IV. Iulij II. per quas Prælatis liceat regulares suos à parochialibus vnitis reuocare, & Episcopi debeant in amotorum locum surrogatos, si idonei reperiantur, instituere. quæ eadem renouata sunt per Gregorium XIII. *bulla incip. Romanus. an.* 1572. *& bulla incip. quam grata.* 1578. & hîc insuper allegatur decretū Guidonis Episcopi Cameracensis, super huiusmodi reuocandi facultate ab annis trecentis editum. denique & formula reformationis Ordinibus Imperij per Carolū V. proposita, & in Synodo Cameracensi 1550. exhibita, ac satis approbata, vtpote simul impressa. in qua inter cætera proponitur, vt monachi ad curam animarum missi nihilominus maneant sub Prælatorum suorum

suorum obedientia, qui eos corrigere, & reuocare possint.

Vt & alia forma reformationis Statibus ecclesiasticis per eundem Carolum V. Imperatorem Augustæ proposita an. 1548. *cap. de monach. de religiosis ad curam animarum missis.* de Statuum illorum numero, erat etiam Episcopus Leodiensis: qui eodem an. celebrata Leodij Synodo, id cum prælatis suscepit.

17. Non reuocata, quin & ipsi liceat per Trid. dummodo & Ordinario sua constet authoritas.

Hæc priuilegia, quatenus iurisdictionem Ordinario à Concilio Trid. tributam non minuunt, reuocata non sunt: imò in casu c. 11. s. 25. *de regul. Conc. Trid.* conformiter stabilita: quatenus autem eum casum excedunt, & spectare possunt ad c. 6. s. 21. c. 3. s. 6. esto, sint per illud restricta, ne excludi possit Ordinarius; vt diximus: non tamen reuocata sunt, quatenus cumulatiuè debita etiam prælatis regularibus competat authoritas.

18. In concursu prævalet decretum Ordinarij.

Sed in concursu, in ijs, quæ sub vtriusque cognitionē cadunt, meritò erit præuentioni locus: in alijs quisque suo fungetur munere. non cadunt sub cognitionem Ordinarij, propter exemptionem Ordinis, culpæ commissæ aduersus obseruantias regulares: non cadunt sub cognitionem prælatorum regularium illa crimina, quæ degradationem similesque pœnas exigunt, quæ excedunt œconomicam regularium potestatem: qui auferre non possunt Ordinum honorem, quem dare non possunt. quæ eadem ratio facit, vt in rigore terminorum destituere non possint, quos nequeunt instituere: titulum spiritualem, & curam animarum auferre; quem nequeunt conferre: exceptis ecclesijs vtroque iure sibi subiectis, vt suprà initio proposuimus. tametsi per viam reuocationis, & obligationem obedientiæ votiuæ; dum huic dicitur, *vade*; & *vadit*; *huic, veni*; & *venit*; subtrahitur persona exercitio demandatæ administrationis parochialis: quasi nomine monasterij habitæ, & per euentum conditionalis reuocationis resolutæ.

19. In quibus locus non sit præuentioni.

Huiusmodi reuocatio, si à prælato regulari fiat seruato iuris & constitutionum regularium ordine, in parochialibus vnitis; non videtur congruere Ordinario, vt iurisdictionis regularis cursum impediat. cùm & parochus sæcularis illo inuito possit ad monasterium transire. *c. duæ sunt.* 19. q. 2. & dummodo condignè puniatur delinquens *arg. à maiori c.* 14. s. 25. *de regular. Conc. Trid.* vbi etiam in monasterio degens, si extra illud delinquat, certior reddi debet Episcopus de condigna punitione; vel, etiam *ex constitutione Gregorij XV. in c. inscrutabili* post monitionem, & tempus Concilij lapsum, ipse punit. sed si inordinatè procedatur, non tantùm cum parochi regularis, sed cum totius Ordinis clericalis dedecore; meritò impediet populi sui scandalum Ordinarius.

20. Reuocatio per Ordinarium non impedit, quin regularis per se, vel alium parochiam administret.

21. Inordinatè procedens facilè potest impedire.

Sed qua via? ipsi regulares sustinent adeundos superiores Ordinis; secundùm illius constitutiones vsque ad S. Pontificem inclusiuè, non alios: ne quidem Nuntium; minùs Ordinarium. at rectiùs dicemus, quamuis ipsi regulares suas constitutiones seruare teneantur, nec extra Ordinem fatigare; alios tamen illis non obstringi. adeoque non tantùm Ordinarium, eiusque ministros recursum posse habere ad Nuntium, qui etiam in litigijs exemptorum iurisdictionem exerceat; sed etiam ipsum populum parochialem, consanguineos, aliosque quorum interest, parochum clerumque non indebitè infamari.

22. Recurrendo ad superiores.

Quinimo ipse met Ordinarius mandare potest parocho, sub censuris, ne ecclesiam parochialem, curamque populi ei ab ipso delatam demandatam deferat, *iuxta c. admonet.*

23. Prohibendo ne parochus parochiam deferat.

monet. X. de renunc. & in hoc concursu tenetur parochus regularis maiori potestati obedire. *c. qui resistit.* 11. *q.* 3. reuerenter tamen apud Prælatum regularem se excusando.

Neque porro ipse Episcopus pro exercitio functionis suæ Episcopalis, & in quo Spiritus eum *posuit regere ecclesiam Dei*, *Act.* 20. debet ire litigatum apud superiores regulares : sed præualet hierarchica ipsius in ecclesia potestas œcumenicæ regularium authoritati. vt publici magistratus præceptum, iussui parentis, aut domini. *d. c. qui resistit.*

24. Cedit œconomica reg. potestas Episcopali.

25. Vt iuri publico priuata authoritas.

Quemadmodum *in l.* 4. *D de colleg. illicit.* ita permittuntur seruari statuta collegiorum licitorum, *dummodo ne quid ex lege publica corrumpant.* non ergo eiusmodi constitutiones proderunt ad eneruandas leges publicas, & regimen publicum ecclesiæ : nisi quatenus disertè ipsis priuilegijs expressum sit. quo tunc casu obtinebit c. porro *X. de priuil. in verbis, inspice, & secundum quod inueneris, ita obserues.* adeoque ab Ordinario & priuilegium inspiciendum, & causa cognoscenda est ; an secundū illud ritè & rectè procedi inueniat ; & priuilegio locū esse. sicut & prælatus, à quo monachus vult ad aliud monasterium transire, cognoscit de spiritu transeuntis ; & an locus sit facultati transeundi. *c. licet. X. de regular.* neque aliter tenetur Episcopus à iure publici sui regiminis discedere. & vt in d.c.licet si tran. sire volens non acquieuit Prælato, ad iudicium Superioris illius prouocare debet ; ita & hîc ad Superiorem Ordinarij res deferenda est.

26. Episcopus de causa cognoscit an locus sit priuilegio quod iuri publico deroget.

27. In remotione hac an leges publicæ strictè sint obseruandæ, an regulares, quæ in administrationibus regularibus?

Meminisse tamen oportet, in processibus criminalibus seruandum esse c. *qualiter & quando. X. de accus.* à Concilio Trid. innouatum, eamque quam exigit cautelam, *ne per leue compendium*, inquit, *ad graue dispendium veniatur. hunc tamen*, inquit, *ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum : quæ, cùm causa requirit, facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoueri.* de regularibus ibi administrationibus agit, de quibus d. c. cum *ad monasterium d. clem. vn. de supplend. negl. prælat. c. 2. f. 25. de regular. Conc. Trid.* sub quibus an parochialis administratio comprehendenda sit? meritò dubitetur. & quidē, quantisper reuocatio manet in terminis regularibus ; rectè comprehensam dicemus ; sed cùm tractatur, vt functio publica, tum de publica parochi cleriqúe infamia, populiqúe scādalo auerruncando, merito publica cognitio exigitur ; publicus ordinariusque Iudex, non regularis ; publicus iuris ordo, non œconomicus atque monasticus. adeoque cùm hæc incurrunt, censenda est causa cognitionem Episcopalem exigere : monasticā non esse contenta : in hac locum esse priuilegijs : in illa, legibus publicis : ad has spectare functionem, institutionem, destitutionem pastoralem ; ad illa, personam voto adstrictam : adeoque, vtrique tribuendo quod suum est, iustitiam impleri.

Nihilominus, quia ibi salus, vbi multa consilia ; non inconsultò fecerint Ordinarij & regulares Prælati, quando de parocho regulari amouendo, destituendoue ex delicto agendum est ; si deliberationes suas communicauerint : imò communi consilio processerint. ad exemplum eorum, quæ statuit Concilium Trid. s. 25. c. 6. in Episcopo & Capitulis Cathedralibus, & maioribus.

RESPONSVM. IV.

De arresto sub religioso facto.

PErperam in ius vocati sunt superiores religiosi, qui administrationi

1. Perperam superiores stantur quorum licentia executionem vltimæ voluntatis ille curauit.

2. Iussus hic aut præpositio nō est vt in re propria.

3. Actus sumendus modo quo licitus est.

4. Religiosus sine licentia suscipere executionē non potest.

5. Quæ ob quam causam concedenda?

6. Iussus extra termi nos non obligat.

7. Iussus hic est testatoris, non superiorum respectu creditorū.

stratione bonorum defuncti fratris sui se immiscuit, quasi ex eorum præpositione, iussu, mandatoue. *ex tit. D. de exercit. de instit. act. Quod iussu* (cui ratihabitio comparatur. *l.* 1. *§.* 2. *D. quod iussu*) non enim id actum est, vt religiosus ille iuberetur eiusmodi negotia tractare, tanquam superiorum suorum. neque enim ad illos pertinebant, vt in d. titulis: sed aliena erant. & culpa non caret, qui rei alienæ se immiscet. & actus intelligendus est eo modo esse gestus, quo est licitus. *l merito. D. pro socio.*

Igitur defunctus religiosi frater in vltimo elogio curam rerum suarum, seu quandam superintendentiam, sub certo modo, religioso commendauerat: suscipere hanc nō poterat, *nisi*, inquit clem. *vn. de testam. à superiore suo petita, & obtenta licentia.* ad hanc ergo pertinet, quod egerunt superiores. quam antequam concedant, inquirere debent, an aliter res expediri possit, an pietas exigat religiosi operam. literæ sic habent, *negocia quædam maximi momenti, summæ charitatis, atque extremæ ferè necessitatis relicta fratris germani &c. facultatem conced mus &c. modo & medijs, quæ bonum deceant religiosum, nostrumque institutum* &c. adeo vt etsi iussum hic diceremus; extra hoc præscriptum iubentes non obligaret. conditio enim iussus, seu præpositionis seruanda est. *l. sed si pupillus §. conditio. §. de quo palam. l. 5. §. non tamen l.* 16. *l.* 7. *§. fin. l. fin. §. fin. D. de inst. act.* certam enim hæc legem dat contrahentibus. *l.* 1. *§. igitur. D. de exercit. act.*

Est insuper hoc iussum primordialiter testatoris; licentia autem superiorum filius accessoria est, & naturam sequitur sui principalis. ideoque quamuis superior religioso iuberet; eiusmodi iussus in religioso operaretur quidem obligationem obedientiæ; ad creditores autem nihil pertinet, quibuscum nihil ille egerit. & sic lex 1. *D. quod iussu*, ita explicat; *quod voles cum Sticho seruo meo negotium gere, periculo meo*: nihil hic simile inter superiores & creditores propositum narratur.

Arguitur religiosus quod arrestum mobilibus defuncti, authoritate Iudicis militaris iniectum, violauerit; eoque teneatur sicut qui arrestū violat: quod carceris fractioni comparant. *Pecq. de iur. fisc. c.* 28. *De eo qui arrestum violat.* & mobilia, quorum etiam conseruationem susceperat, in monasterium intulerit

Ait ipse religiosus, arresti præceptum sibi religioso exempto à Iudice incompetente esse factum, adeoque nullum, nec obligatorium: & eius quod nullum est, nullam esse violationem: non entis nullas esse qualitates. verum d. clem. *vn. de testam.* in testamentaria executione exemptionem tollit, fraudem, & negligentiam correctioni loci Ordinarij subijcit. sed vtique ecclesiastici. sed hic arrestum est rebus ipsis defuncti militaris inijci iussum. *vt constat ex acta Iudicis militaris* 27. *oct.* 1641. ea est prælecta religioso, ab eoque in qualitate executoris seruari promissa. *ex relatione graphiarij.* 30. *oct.* 1641. addunt apparitores in fundo, seu ipsa domo mortuaria arrestum à se mobilibus esse iniectum.

Itaque arrestum hoc reale est, iniectum rei isti Iudici subiectæ. proinde rectè illud seruare promisit religiosus. dum nemini illud violare licet. *arg. tit. nequis eum qui in ius vocabitur, vi eximat.* & *de eo per quem factum erit quo minus qui iudicio sistat. & quæ plura habet Pequius de iur. fisc. c.* 33. *De his qui arrestatos eximunt, aut in præiudicium creditorum occultant.* vbi ex *l. fin. C. de oper. libert. in verb. eum qui alienum libertum occultat, loco ipsius ad operarum præstationem teneri*: & *l. fin. C. de seru. fugit. in verb. non solum eum restituere, sed etiam duodecim libras argenti*

1. *D. quod iussu*
2. Arrestum violans, exemptos fraudem committit.
3. Exemptio extincta tollit, ad Ordinarij malum fatio pertinet.
4. Arrestum rebus mobilibus quæ liberum testandi arbitrium sibi retinent.
5. Et mobilium versantes & occultantes obligat.

argenti pœnæ nomine &c. *l. 3. C. de assessor.* asserit ex sola occultatione in debitorum locum succedere, & ad indemnitatem, & pœnas teneri. vt eos, per quos factum erit, quo minus arrestum effectum habeat. *ex l. quoties. C. de exact. tribut. lib. 10. l. si per alium. §. fin. D. ne quis eum, qui l. 1. §. 1. D. de eo per quem factum erit. l. & eleganter. §. idem labeo. D. de dol. mal.*

12. Ad indemnitatem.

Quin & ex dolo malo quem similiter teneri latè docet idem *Pecquius n. 2.* si quid actum erit, quo creditor fallatur, vt si quis equos commodauerit vt debitor fugiat, & arrestum anteuertat; & similia, quanto minus excusabitur hic religiosus, qui arrestum acceptauit, seruareque promisit, si superuenienti alteri executori non tantùm arrestum non iudicauit; sed ad mobilia in conuentum transferenda iuuit? debuit superuenienti executori non tantùm ipsi indicare, sed & ipsis creditoribus, aut Iudici se curam deponere, executori cedere, alioquin negligentiæ nomine tenetur. ficut depositarius, mandatarius, procurator denuntiare se imposterum custodiam, aut diligentiam præstare nolle. *l. si mandauero. 22. §. fin. D. mandati.*

13. Siquis dolus sit quo creditor fallatur.

14. Vt si non renunciet parti seu iudici se curam deponere, eoque res arrestatæ auferuntur.

Enimuero si quid per dolum, fraudem, negligentiam religiosi executoris est gestum perperam; *quos*, inquit d. clem. *vn. de testam. deliquisse repererint Ordinarij, in aliorum exemplum pœna debita, quocumque non obstante priuilegio, puniant.* pœna, inquit: non enim ob delictum monachi tenetur monasterium, nisi quantum forte in rem versum sit. *ex titulo. D. de in rem verso.* neque ex ciuili contractu. quia monachus executor defuncti procurator seu mandatarius est: is eum rei suæ præposuit: superiores Ordinis permittunt, iubentue, si ex pietate eis videtur, mandatum defuncti exequi. eum in sua executione ille repræsentat; non Ordinis superiores: non hos ergo, sed defunctum obligat: aut sese ex culpa, seu delicto. nec enim præiudicare monasterio potest: vt nec seruus domino. *latè Euerardus in loc. legal. à seruo ad monach. n. 30. & seqq.* quo modo etiam licentia superioris requiritur per canones, vt monachus testimonium dicat: si tamen testando damnum dederit, peierauerit; puniri potest monachus: pœna suum authorem tenet: non autem monasterium. Superiores ergo hîc absoluendi sunt: religiosus puniendus, quatenus malè est versatus; & ad indemnitatem procurandam tenetur, si quo modo potest.

15. Punitur religiosus executor.

16. Monasterium non tenetur, nisi ex verso in rem illius.

RESPONSVM. V.

De Minoritarum priuilegijs quoad sepulturas.

MVlta sunt priuilegia Ordinibus mendicantibus concessa quoad sepulturas. inter partes conuenit seruanda esse super his pacta, conuentiones, & concordata, si quæ olim interuenerint. quod & Leo X *in Concilio vlt. Lateranensi* decreuit. & iam ante Bonifacius VIII. *in c. vlt. de pact. in 6.* porro non inueniuntur quidem concordata aliqua sub eo nomine hîc olim conuenta, vt etiam in scripturis partium dicitur; sed tamen in rescripto Sixti IV. dato 7. id. maij 1572. quo permisit Minoritis in oppido H. conuentum institui, disertè adijcitur, vt fiat *sine præiudicio cuiuscumque; & iure parochialis ecclesiæ, & cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo.* rescriptum illud dirigitur ad Officialem Cameracensem tunc Ordinariũ: eique executio delegatur: illius si literæ executoriæ exhiberentur, verisimiliter recenseretur, quid cum parocho actum, transactumque esset, super eodem iure parochiali conseruando, idque pro

1. Super his pacta, conuenta, concordata seruanda.

2. Quæ si in terminis verborum non extant vnde eliciantur?

concordato hîc habendum esset.

Sed eas literas dum non lubet exhibere, aut non extant; facta post secuta, quę fuerit vel partium conuentio, vel parochi consensus, vel mens delegati exequentis, probare possunt. *L. sed Iulianus. §. proinde. ibi, intelligendumque ab initio sic accepisse. D. ad Maced. l. si seruus pluribus. §. vlt. D. de leg. 1. Menoch. de præsumpt. l. 6. p. 35. n. 23. & seqq. vbi plura citat.*

3. Immemoriali consuetudine imprimis, actis antè & post secutis.

Igitur ex computibus antiquissimis, qui reperiuntur, constat per annos circiter 80. apud eosdem Minoritas potuisse eligi sepulturam: sed nihilominus vel ante vel post officium solere fieri in ecclesia parochiali; illiique, & ministris iura consueta persolui. quibus conformia esse præsumuntur anteriora tempora: quorum computus non extant. *Menoch. de præs. l. 1. q. 24. n. 44.* adeoque à principio ita fuisse vsu seruatum. *d. §. proinde.* vt immemorialis huiusmodi consuetudo non tantùm habeat vim priuilegij; sed etiam pacti: imò pacto fortior sit. *Menoch. præs. l. 3. præs. 131. n. 43. 44. post Bald. Cranett. Oldrad. Signorol. &c.* ex hac ergo consuetudine inferendum est, eam fuisse partium conuentionem, mentem parochi consentientis, sensum delegati exequentis; adeoque hic locum esse decreto Leonis X. & Bonifacij VIII. *in d. c. vlt.* & quamuis idem Sixtus IV. postea scilicet an. 1486. alijque Pontifices diuersa concesserint priuilegia, etiam derogatoria clementinæ *dudum de sepult.* quæ saluam omnino esse vult portionem parochialem, nulla tamen censentur derogare pactis, conuentis, & concordatis; nisi expressè de illis faciant mentionem. *c. ex multiplici. X. de decim.*

4. Pactis non derogatur: licet consuetudini.

Quamuis etiam olim idem Bonifacius expresse abrogauerat pacta, & consuetudines; *in constitutione sua supra cathedram in extrauag. commun. de sepultur.* tamen Benedictus XI. Bonifacianam abrogauerat: & rursus Clemens V. *in d. c. dudum* Benedictinam: tamen iterum & aduersus hanc clementinam Leo X. *in vltimo Concilio Lateranensi* statuit, pacta & conuenta esse seruanda. quod admittunt Minoritæ, vt diximus.

Igitur exhibitum quidem priuilegium Sixti IV. an. 1486. derogat consuetudinibus quibuscumque contrarijs; sed non pactis. vt neque immemoriales consuetudines, qualis hic asseritur, abrogatæ censentur communi verbo *consuetudinis*, nisi & immemorialis expressa sit. *Garcias de benef. p. 3. c. 2. n. 190. vbi plures citat. vt hîc non est.*

Confirmat idem Sixtus omnium præcedentium Pontificum priuilegia, ipsius bullæ, quæ inde *mare magnum* dicitur, inserta, per quæ etiam quartæ parochiali, à d. clem. dudum stabilitæ, videtur derogari: & Nicolaus V. per concessionem Carmelitis factam. *apud Rodrig. tom. 1. q. 39. art. 2.* diserte derogat d. clementinæ. (cum his est alijs mendicantibus communicatio priuilegiorum) quibus etiam successit confirmatio Pij V. Greg. XIII. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. super qua etiam hic accessit placitum Archiducum 21. feb. 1613. ad instantiam Confessarij sui, Commissarij generalis Minoritarum.

Verùm Pij V. confirmatio per Gregorium XIII. reducta est ad terminos Concilij Trid. & subsecuti Pontifices deinceps hanc clausulam, *quatenus priuilegia decretis Concilij Trid. non aduersentur*, confirmationi suæ adiecerunt.

Illud ergo l. 25. c. 11. decernit, *quibuscumque in locis, iam ante annos quadraginta, Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocumque priuilegio, aliis monasteriis, hospitalibus aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac integro*

integro iure, & eadem portione, qua antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesiæ persoluatur: non obstantibus concessionibus gratijs priuilegijs, etiam mari magno nuncupatis, aut alijs quibuscumque. quem locum quidem Pius V. *bulla incip. etsi Mendicantium an.* 1567. interpretatus est loqui tantum de monasterijs ante annos quadraginta ante tempus d. canonis fundatis, non verò de pòst fundatis: quod in illis nondum existentibus non poterat esse consuetudo, de qua in d. c. 13. verùm d. c. 13. quamuis antiquum hoc sit monasterium, non spectat ad casum nostrum. neque enim vnquam exacta hîc aut soluta est à Minoritis parocho quarta funeralis, vt fatentur; sed simpliciter ipse parochus officia in parochia præstitit; &, parochialis ecclesia, & ministri iura sua consueta receperunt plusquam à 40. annis. vt ipsi fatentur; &, vt pastor probat ex vetustis libris, circiter ab annis 80.

Et licet dixerimus ad casum nostrum non spectare d. c. 13. *s. 25. Conc. Trid.* & manifestet tamen Concilium suam intentionem pro quarta funerali parochis seruanda: vt dum abrogat concessiones infra 40. tunc annos contrà factas, multò minùs laudet imposterum faciendas: tamen dici non potest quoad præsentem casum illa priuilegia contrariari Concilio Tridentino; cùm in alio casu loquantur.

8. Priuilegia in casu immemorialis vsu contrario eneruata.

Quamuis igitur ex priuilegio Ioannis XXII. Prædicatoribus concesso, & Minoritis communicato, nec ab ipsis religiosis, nec ab hæredibus, nec à testamentorum executoribus quidquã possit exigi, neque illi ex d. bulla Sixti IV. an. 1486. cogi, vt corpora defunctorum ad parochiales ecclesias deferantur: & cum illis, vel sine illis, ibidem celebrentur diuina, ante vel post sepulturam: atque, extra causam quartæ funeralis, nihil à Concilio Trid. mutatum sit; tamen dicendum est nulla istiusmodi priuilegia vsu hîc esse recepta; sed contrario eneruata. ita vt Minoritæ quidem non soluant quartam; hæredes tamen curare officia in ecclesia parochiali fieri, & iura solui ab omni memoria consueuerint. vt nullus est locus in tota Brabantia, quæ est patria consuetudinaria, vbi Minoritæ puris priuilegijs, vt sonant, vtantur: imò id ipsum satis fatentur.

9. Illum obstare illis, qui vsum admiserunt priuilegio contrariũ, etsi non Ordini.

Nec sufficit contrà arguere, non perdi priuilegium per non vsum eius, qui expresè illi non possit renuntiare; idque priuatus non possit; nec Prælatus, nec Capitulum: quia imò iure permissum est, in materia sepulturarum fieri pacta & conuentiones. *d. c. fin. de pact. in 6.* eaque & Leo X. iussit seruari. consequenter pro vtilitate temporum & locorum licet renuntiare huiusmodi priuilegijs, non tantùm expressis pactis; sed etiam tacitis: vt non vsu. quemadmodum *in c. accedentibus. X. de priuil. & in c. si de terra. X. eod.* non vsu amittitur priuilegium, quoad non vtentes, quamuis toti Ordini sit concessum. vt ibidem agitur de priuilegio Ordini Cistercienſi, & Templariorum concesso; & vtrobique tamen additur causa; *quod liberum sit vnicuique suo iuri renuntiare.*

10. Priuilegia derogantia consuetudini non loquuntur in immemorialí.

Iterum non sufficit arguere aduersus consuetudinem oppidi H. priuilegium d. Sixti IV. derogatorium esse consuetudinis: quippe sub eo nomine simplici non comprehenditur consuetudo immemorialis, vt dictum est.

11. Et agunt de præteritis.

Deinde esto, abrogauerit Sixtus consuetudines contrarias: de præteritis tantùm egit: subsecutæ autem consuetudines & vsus contrarij Sixtinum, aliaque priuilegia abrogarunt. *d. c. si de terra. d. c. accedent.*

12. Nec per noua priuilegia resuscitantur.

Neque ea resuscitant noua Pontificum diplomata confirmatoria, aut placita Principum: sed intelliguntur illa *quatenus sunt in vsu.*

neque enim intentio Papæ aut Principis est tollere ius alicui quæsitum. *c. dudum. X. de priuil. c. 2. de decim. in 6.* vt etiam in regulis Cancellariæ Romanæ expressum est *reg. 17.* quæ consuetudines eò magis hîc sunt fauorabiles, quod illa clausula in priuilegijs apponi solita, *salua iustitia illarum ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur*, intelligi debeat *secundũ rationabilem consuetudinem regionis.* vt inquit c. certificasti. *X. de sepult.* quia *vnaquæque prouincia in suo sensu abundat.* porro sensus incolarum H. qui omnes singulariter vocati olim consenserunt in admissionem Minoritarum, vt suprà diximus, & copia cum libello Syndici exhibita refert, videtur ille fuisse, quem secutus hactenus vsus ostendit: vt quartam quidem non soluant Minoritæ; hæredes tamen soluant iura parochialia consueta.

13. Clausula, *salua iustitia ecclesiarum* &c. intelligenda secundùm rationabilẽ consuetudinem regionis.

Rationabilis etiam hîc ea consuetudo visa est, vt vtrique, à quo populus spiritualia acciperet, sua carnalia tribueret. vtique quoniã nullũ tunc erat in illo oppido virorũ monasteriũ à quo in spiritualibus incolæ iuuarentur; adeoque nõ obligati Minoritæ ad quartam, ali magis congruè possent: &, si fabrica atque ministri parochiales sua iura reciperent, nihilominus nimium etiã præiudiciũ non paterentur, neque ad nimiã paupertatẽ deuenirent. eo enim casu etiã cessare debent iusta priuilegia *c. suggestum. X. de decim.* & in casu necessitatis tã fabricæ suæ parochiali, quàm illius ministris populus succurrere deberet.

14. Quæ vt hîc sit.

Quare cùm Minoritis, nihil eis datum, seu oblatum auferatur, cura eis esse etiam non debet de populo, qui olim ita in eorũ admissione censendus est consensisse, nec ipsi querelam habere possunt, quibus ius nullum competere potest, sed vsus tantùm facti, pro nimia Ordinis paupertate, & incapacitate cuiuslibet dominij, aut iuris.

15. Quibus cùm nihil auferatur, hic cura esse non debet de populo qui sic admisit grauari.

de qua in c. exijt, qui seminat. de verb. signif. in 6. & clem. exiui eod. Vt Minoritarum paupertas ipsis non obsit. nam *proprietatem*, inquit *d. c. exiui. §. proinde, & dominium Pontifices & Romana ecclesia in se receperunt. dimisso ipsis fratribus vsu facti simplicium rerum omnium* oblatarum, concessarum, donatarum. ita vt fratres ipsi *pro nulla*, inquit d. c. *exijt d. §. proinde. vers. veruntamen, re temporali possint in iudicio experiri.* & consequenter perperam hic petitum est, *vt manuteneantur fratres ipsi, seu eorum conuentus* (nam nec in communi bona possidere possunt: *d. c. exijt. d. clem. exiui. Concilium Trid. s. 25. de regular. c. 3.*) *in possessione sepulturarum, & iurium inde recipiendorum*, adeo vt nec liceat ipsis in Curijs assistere procuratoribus, & aduocatis. *d. § proinde.* & similiter neque transire de domo in domũ ad commendandam causam quasi suam Curiarum senatoribus: sed dumtaxat *tanquam peregrini*, inquit d. §. proinde, *& aduenæ in hoc seculo in paupertate & humilitate Deo famulantes vadant pro eleemosina confidenter.*

Quibus omnibus rectè expensis cùm appareat hanc, de qua agimus, consuetudinẽ esse rationabilem; quæ & paupertati ecclesiæ parochialis, & simul Minoritarum prouidet: vtique dicendũ est etiã a Principe tactam esse seruandam, ac manutenendã. vt omnibus incolis Brabantiæ addicitur *in Leto Introitu art. 57.* qui sensum prædicti etiam Placiti debet interpretari. cùm etiam iure Princeps non possit auferre, quod alicui præscriptione, præsertim immemoriali, est quæsitum *Couar. in p. 3. vol. 1. c. possessor de reg. iur. 1. 1. §. 1. n. 5.* tametsi parocho parochialia commoda iure etiam ipso competant. *tot. tit. de sepult.* per priuilegia alijs communicentur: & res omnis facilè dicatur redire ad naturam suam: vt priuilegijs facile derogatur. *d. c. si de terra. d. x. accedent.* & ius fauorabile sit; priuilegia, odiosa.

17. Ius consuetudine competens vt hîc a Principe auferri non possit.

odiosa. & in causa hac possessoria interdictum dari non debeat aduersus annalem possessorem. *l.* 1. *in princ. v. intra annum. D. vti poss. ordinat. Conc. Brab. art.* 438. quanto minùs aduersus triennalem, decennalem, immemorialem?

Neque porro recipi potest, quod obiectum est, quod Minoritæ ignorantes fuerint huiusmodi consuetudinis: tum quia etiam vera ignorantia aduersus vsum immemorialem nullum pondus posset adferre: tum quia dum in omnium conspectu officia funeralia facta sunt in ecclesia parochiali, toties & à tanto tempore, huiusmodi allegatio tam exiguæ est fidei, vt nec audiri possit. *c. cum in tua. X. qui matrimonium accusare.* nec desuper recipi probatio. *c. quia verisimile.* X. *de probat*

18. Etiam Syndici agere non possunt, vt ipsis fratribus aut Conventibus proprietas aut possessio adiudicetur.

Enimuerò quia, vt diximus, Minoritæ tantùm habent vsum facti, nihil iuris; Innocentius IV. & Martinus IV. & alij statuerunt, vt essent Syndici, aut œconomi qui nomine Romanæ ecclesiæ actiones prosequi possent: sed ea forma & modus hic ex integro nõ est seruatus. Syndicus quidem non Minoritæ sunt in lite; sed tamen idem Syndicus nullatenus hic fecit mentionem ecclesiæ Romanæ; nec de illius proprietate, dominio, iure seu possessione egit, sed concluſit; vt ipse *conuentus Minoritarum manu-teneatur in possessione sepulturarum, & receptionis iurium sepulchralium, etiam ad exclusionem parochi.* quæ eadem iura dicit peti, aut recipi non per modum eleëmosinæ; sed iuris, ac iusti pretij physici laboris in sepultura præstiti. dicit quidem Regula, quod fratres de mercede laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant: sed hæc ipsa verba Nicolaus III. *in d. c. exijt. §. nec quidquam. in fin.* interpretanda declarat de vsu facti dumtaxat; quoad ipsos fratres: vsus autem facti dumtaxat non sufficit, vt alicui concedatur interdictum: sed requiritur vt quis nomine suo, non alieno possideat: non tantùm in possessione sit: *l.* 3. *§. creditores. §. cum inquilinus. D. vti possidetis.* quia possidere non censetur, nec præscribere potest, qui suo nomine non possidet. *l.* 1. *§. per procur. D. de acquir. poss. l.* 2. *C. de præscript.* 30. *an.*

19. Vt potius nomine eleëmosinæ de beant accipere quæ offeruntur etiam in tuitu laboris per eos præstiti.

Sed & canones vix sic loqui permittunt etiam ipsis parochis; dum pecuniam exigi vetant. *c. suam. & tot. tit. X. de simon.* ita tamen vt cogantur per officium Ordinarij illi, quibus ea obsequia præstita sunt, *obseruare laudabilem*, inquit, *consuetudinem, erga sanctam ecclesiam, pia deuotione fidelium introductam.* quæ periphrasis est eleëmosinæ. à quo verbo non debent Minoritæ abhorrere: quibus *in d. §. proinde* dicitur, vt vadant pro eleëmosinis confidenter. tametsi non nesciamus operæ statui pretium posse; sed & tamen nec ipsis deberi; nullamque in personis ipsorum consistere posse obligationem. *d. c. exijt. d. c. exiui.* quæ tamen mater est actionum omnium, & sine qua illæ nasci non possunt.

RESPONSVM VI.

De naturalibus & diœcesanis.

1. Priuilegiũ ecclesiarũ Belgicarum cathedralium nouarum quoad præbendas nobilibus diœcesanis affectas an oriundos admittat, an ortos dumtaxat?

IN erectionibus nouorum Belgij Episcopatuum nouem præbendæ in singulis cathedralibus ecclesijs afficiuntur personis graduatis; tres Theologis; tres Iurisperitis; tres nobilibus *eius diœcesis*, siue in iure, siue in theologia lauream adeptis. quæsitum est an hæc verba, *eius diœcesis*, ortos requirant, an oriundos admittant; vel fortuitò alibi natos, cùm parentes illorum in diœcesi domicilium haberent, quod filij sorti-

antur originem patris ? vt qui ex Campanis parentibus natus est, Campanus est. *l. assumptio. D. ad municip.* tametsi alias *prouinciales*, inquit lex 190. *D. de verb. signif. eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent: non eos, qui in prouincia oriundi sunt.* vtique dum alibi constitutum habent domicilium.

2. Liberi originem patris sequuntur.

Quare *ibid.* Alciatus *& in l. qui in continentibus. 147 D. eod.* ortos distinguit ab oriundis: ibidemque quærit quid si lex eum, qui Romæ natus non sit, à dignitatibus excludat; an is cuius mater extra domicilium peregrè peperit recipiendus sit? & verbis legis ait excludi: interpretatione tamen recipiendum. *arg. legis huiusmodi. 84. §. legatum. D. de legat. 1.* si lex oriundum exigat, etiam ortum comprehendi. sed Cuiacius *ad* 190. negat à iuris authoribus ortorum oriundorumue distinctionem seruari. prouinciales ait diuersimodè dici. vtique iuxta diuersitatem causæ, quam spectant leges. sed in d. l. 190. non sufficere originem; sed requiri, & sufficere domicilium: & *ad d. l. 2. D. de verb. signif.* quærit quid requiratur, vt quis ciuis sit?

3. Peregrè natus fortuitò, domi natus censetur.

4. Quis prouincialis?

Additque idem Alciatus *ad d. l.* 190. prouincialem quem esse, & de prouincia idem videri; nisi quod illa verba, *de prouincia*, magis ad originem referri videantur: *DD. in c. 1. X. de sponsi. in verb. de Francia quidem nobilem mulierem de Saxonia*, adeoque hæc verba, *eius diœcesis* (quæ dicitur quatenus Episcopus ius administrandi sacra habet, sicut territorium quatenus Iudex ius terrendi, *Spigel. in Lexic. v. diœcesis.*) eandem energiam sortientur. & *de diœcesi* originem, seu ortum habentes, intelligentur: vt domicilium hîc non sufficiat. quamuis respectu Ordinum quis diœcesanus habeatur, qui in diœcesi domicilium, beneficium, vel originem habeat. *c.*

5. De prouincia?

6. De diœcesi?

7. Domicilium hic non sufficit.

cum nullus. de temp. ordinat. in 6.

1. Ratio.

Sed eius ratio est, quòd Ordinum collatio solam subiectionem spectet, ius externos ordinari tantùm vetet: at hæc Bulla aliò respiciat. vt nobiles sint eius diœcesis: vtique, qui consanguineos, & affines nobiles ibi habeant, ad ecclesiæ splendorem, tuitionem, vbi opus erit; iurium, immunitatumque defensionem per eosdem agnatos, & affines politicis magistratibus vndique impositos; & in republica potentes. vt hic erat nobilitas bullæ datæ tempore: & quo respexisse illam verisimile est.

9. Nec sufficit quod quis Regi naturalis sit.

Eoque & amplius hîc continetur, quam quod multis in regnis consuetudine, priuilegioque exigitur; vt naturalis regni quis sit. *de quali naturalitate latè Garcias de benef. p. 7. c. 9.* vbi huiusmodi naturales ortos, & oriundos exteris iure præferendos docet. & n. 19. in communibus negotijs eum dici illius diœcesis, quem admittit d. c. cum nullus.

10. Sed clericus alicuius diœcesis dicatur.

Verùm *n. 21.* in supplicationibus beneficialibus *post plures quos citat*, ait intelligi quem esse de tali diœcesi, qui ex illa originem habeat: & oriundum etiam pro orto accipi. ideoque ei qui se narrauit clericum Abulensem, sufficere demonstrare originem paternam; & oriundum se esse: non autem beneficium, aut domicilium habere. quod verba sint naturaliter, & propriè, non ciuiliter tantùm intelligenda. *l. fin. C. de his qui veniam ætatis.* & ideo in literis poni solere oriundum ex tali diœcesi, eumque hodie stylum seruari.

11. Verba hic propriè intelligenda vt ortus hic exigatur.

Enimuero d. bulla erectionis, priuilegium, seu statutum huiusmodi continens, maximè in propria significatione verba retineri suadet, vt nec sub orto oriundus comprehendatur: nec illius diœcesis dicatur, in qua pater dumtaxat natus fuit, quem is translato domi-

domicilio alibi genuerit.

12. Nisi reip. causa parentes abfuerint.

Nisi fortè Principis seu reipublicæ causa absens fuerit. qui cum familia iuris fictione abesse non censeatur: eodem loco habendi sunt liberi, sic alibi nati; ac si in patria orti essent. *arg. l. 1. & 2. C. de vxor. milit. & eorum qui reip. causa absunt.* vbi vxores & familia patriss. priuilegia nanciscuntur. quod hic sæpius declaratum est in ijs, quorum parentes in his tumultibus Regem secuti erant, aut ab eo reip. causa vocati, missi, officijs impositi.

13. Aut fortuito, quis extra domicilium natus fit.

Eodem ferè loco sunt habendi, qui fortuitò peregrè nati sunt. *arg. d. §. legatum. Alciat. & ab eo citati. & Leonin. cons. 54. sub. fin.* quippe, vt ait Alciatus *ad d. l.* 147. in eo quis loco esse intelligitur, in quo domicilium constituit; neque recessisse videtur, qui animum reuertendi habuit. *l. plerique. D. de rit. nupt.* seu planius Leonin. d. cons. 54. quod paterna origo & domicilium magis spectatur, quàm fortuita natiuitas. *l. filios. C. de municip. & de origin.* vt casualis natiuitas quoad honores, & priuilegia non obsit; quo minùs quis in paterno domicilio natus censeatur. ex ijs quæ habet idem Leoninus *latiùs ibid.* & sic videmus quosdam præbendas nobilibus *eius diœcesis* affectas possidere, qui extra diœcesim nati sunt, dum ab hæreticis ditio occuparetur, & parentes regias partes secuti essent.

14. An nobiles hi ex vtroque parente nobili nati esse debeant?

Aliud quæsitum est, an hos nobiles ex vtroque parente nobili natos esse oporteat? cæteris paribus hos præferendos rectè dixerimus; tanquam ea qualitate magis imbutos, & in quos finis Bullæ potentiùs influit: attamen solius patris nobilitas filios nobiles facit. *l. cum legitimè. D. de stat. hominum. l. filium. l. liberos D. de Senat. l. exemplo. l. eos C. decur. l.* 10. *l.* 11. *C. de dignit.* eaque hic sufficit: cùm bulla non aliud exigat. *arg. l. 1. §. si seruum. ibi non dixit prætor. l. vnic. §. vbi autem in fin. ibi, nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas coniunctim ea disponere. C. de caduc. toll. c. ad audientiam. vers. nam si. X. de decim.* satis est enim verba propriè intelligi. *l. 1. §. si is qui nauem. D. de exerc. act.* & regula est quod lex generaliter loquens generaliter fit intelligenda; & quæ non distinguit, non distinguenda.

15. An non subdiaconi admittantur ad electionem graduatorum?

Denique est quæsitum; cùm bulla deferat electionem Episcopo, & superstitibus graduatis, cùm quis graduatorum moritur; si inter superstites aliquis sit nondum in sacro subdiaconatus Ordine, an ad electionem admitti debeat? Concilium quidem Trid. *s. 23. c. 4.* innouans Clementinam *vt ij de etat. & qualitat. præsic.* statuit, vt, qui non essent saltem subdiaconi, non haberent vocem in Capitulo: & quæsitum est à gloss. *in d. clem. vt ij. in verb. Capitulo* an illud obtineat in actibus non capitularibus? seu qui non exercentur collegialiter: & resoluit negatiuè. illam sequitur Zabarella *ibid. n.* 14. *& alij*, vt generaliter ad actus expediendos vt à singulis, non se extendat hæc priuatio. & rectè. noui enim iuris est, & pœnalis. qualis dispositio non debet extendi ad non expressa. quare etiam ita accipienda sunt Statuta Capituli: quę interpretanda sunt in dubio conformiter iuri, quod aufert consequenter vocem actiuam nondum subdiacono in electionibus canonicis seu capitularibus. sed hæc graduatorum electio non est capitularis: sed neque graduati faciunt separatum collegium: non ergo in illa obtinet priuatio vocis, quoad nondum subdiaconum. sed & Capituli Statuta mutare quidpiam, aut restringere non possunt dispositionem bullæ Apostolicæ, quia inferior nullatenus legi superioris derogare potest. bulla autem hic ad electionę generatim atque indistinctè vocat cum Episcopo omnes graduatos

superstites; nec quemquam excludit.

RESPONSVM. VII.

De priuilegijs regularum monasticarum mitigationibus.

CVpit Concilium Trid. s. 25. *de regular. c.* 1. veterem regularem disciplinam instaurari, & confirmari, & regulares ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituere: & *ibidem c.* 22. quæ decreta sunt in omnibus omnino monasterijs obtinere, non obstantibus quibuscumque priuilegijs. quamuis *ibidem c.* 20. Ordinum priuilegia in alijs, quam quæ ibi statuuntur, firma voluerit esse, & illæsa.

1. Priuilegia mitigatoria primæuæ austeritatis vt nõ sint abrogata.

Procul dubio per hæc restauranda est vetus, & primæua disciplina; quæ superiorum negligentia, & subditorum languore lapsa est. *c. recolentes. X. de statu regul.* cæterum si quid per apostolica priuilegia mitigatum est, non mox sublatum id omne censetur. *Nauarr. Comment.* 3. *de regular. n.* 33. *Rodrigues tom.* 2. *q. reg. quæst.* 74. *art.* 4. & 5. *vide quæ diximus in consult. can. de regular. cons.* 15. 20. sic D. Benedictus Reg. c. 39. esum carnium suis interdixit: c. cum ad monasteriũ. *X. de stat monach.* & quædam priuilegia apostolica, aut vsus alicubi immemorialis, illud mitigarunt: *de quo egimus in Consult. can. de consuet. cons.* 1. non est ergo verisimile abolita hæc esse omnia per Concilium. cum videamus Cistercienses, aliosque integros Ordines vti priuilegiaria mitigatione; quod verisimiliter non toleraret ecclesia; si talia priuilegia essent abrogata. adeoque neque possunt Superiores professis mitigatam regulam, inuitis imponere primæuam austeritatem; contra receptum taliter Concilij intellectum. vt & rectè scripserit Sa *v. religio* Romæ probatus, Concilij intentionem non fuisse legitimè relaxata, aut mutata per d. c. 1. prohibere. quod & iuuant verba d. c. 1. *vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur, & constantius, vbi conseruata est, perseueret*: vbi enim per priuilegia non subrepti-tia est mitigata; non potest dici collapsa. ibi ergo d. c. 1. non præcipit instaurari: eo ergo non porrigitur derogatio priuilegiorum quæ est subiecta in d. c. 22. quæ afficit tantùm in superioribus decretis contenta, vt inquit.

2. Reformatio vt sit vtiliter & suauiter.

Quare etiam, quod generatim traditur, hìc debet obseruari; vt fortiter & suauiter reformatio lapsæ disciplinæ fiat. ne nimium emungendo eliciatur sanguis, *Prou.* 30. *Nauarr. Comm.* 3. *de regul. n.* 30. 34. *Rodrig. t.* 2. *q.* 74. *art.* 4. & tum porro persuadeatur paulatim, si fieri potest, bene currentibus, non absolutè vel intempestiuè præcipiatur, aliquid remittere de mitigatione. inuitis enim vsus immemoriales non damnati, & per Concilium non reuocata priuilegia, vt diximus, auferri non possunt. *c. cum in cunctis. c. ex parte. X. de his quæ fiunt à maiori parte Cap. c.* 1. 2. *& tot. tit. X. de his quæ fiunt à prælat. sine cons. Cap.* vt & superioris & paucorum renuntiatio alijs nocere non posit. *Mirand. p.* 2. *q.* 43. *art.* 2. *concl.* 6. *Rodrig. t.* 3. *q.* 51. *art.* 5. *Portel. v. priuileg. um n.* 52. nec, si quid ille in sua electione vlterius promisit, reliquorum conditionem deteriorem facere potuerit.

De

De excesibus prælatorum.

RESPONSVM I.

De exercitio pontificalium.

1. Non licet extra diœcesim, nisi ex consensu diœcesani,

EPiscopus in aliena diœcesi cuiusuis priuilegij prętextu pontificalia exercere non potest, nisi de Ordinarij loci expressa licentia; & in personas ei subiectas. *Conc. Trid. s. 6. c. 5.* non ergo sufficit authoritas Patriarchæ, vel Metropolitani, nec facultas Papæ generalis promouendi à quocumque. *c. 11. s. 7. Trid.* quo casu nec simplicem Ordinarij licentiam, sed vicariam subrogationem quidam exigi volunt, per illa verba,

2. Ne quidem in loco exemto.

aut pro eo pontificalia exercente. quare nec in loco exemto pontificalia exercere licet. ne quidem ex consensu prælati exemti; nisi & adsit Episcopi, intra cuius fines est locus exemtus. nisi sit nullius diœcesis. quando neque vicinior Episcopus id potest. quamuis ibidem sæcularia ab eo visitari possint. *ex c. 9. s. 24. Concilij Trid.* eoque nec

3. Sed si sit nullius diœcesis, licet.

4. Ne quidem viciniori sic nisi de licentia prælati loci.

Episcopus in loco, qui nullius sit diœcesis, semel in Concilio prouinciali à prælato illius loci electus, vtique ad effectum de quo in d. c. 9. extra quem nec viciniori; nec sic electo est inuito prælato facultas concessa. quare & suffraganeus qui pro defuncto Episcopo pontificalia exercuit, cuius

5. Nec suffraganeo defuncto Ordinario, nisi de licentia Capituli.

per mortem ea facultas exspirauit, tam sine consensu Capituli pontificalia exercere nō potest. nec, cùm ex eius consensu, intra primū annum Ordines conferre. *Trid. s. 7. c. 10. c. 10. s. 23.* sed neque eam licentiam Episcopi vicarius dare potest, in vim commissionis generalis; cùm hæc tam specialibus notis per canones communes, & Tridentinos insigniantur. *Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. s. 6. c. 5.*

Dixi, prætextu priuilegij; quo nec Archi-Episcopus pontificalia potest exercere; sed ex iure communi pontificalia permittuntur Archiepiscopo visitanti. *clem. fin. de priuil. c. romanus. de cens. in 6.*

6. Licet Archiepiscopo visitanti.

Quod autem aiunt nec Nuntios in ecclesia Archiepiscopi sine eius licentia debere pontificalia exercere, *citati à Barbos. vbi sup. n. 18.* magis existimo honestatis causâ dici. nam ferè sunt cum facultate legati, qui est in sua prouincia etiam Ordinarius. *c. 2. de off. deleg. in 6.* d. autem c. 5. loquitur de Episcopo in alterius diœcesi existente. Legatus autem per totam suam prouinciam non censetur esse in aliena diœcesi; imò superat diœcesanum. & propterea vbi concurrunt, debet diœcesanus in illius præsentia induere manteletum, & obscurare rochetum.

7. Et Nuncio in sua prouincia.

Pontificalia exercere inquit Concilium: quare satis problematica est quæstio an nec missam celebrare Episcopus in pontificalibus possit; vtique cum mitra & baculo; & latè citat Diana *p 3. tract. 6. miscel. r. 36.* vtrimque authores, & quia clementina 2. *de priuil.* celebrationem Pontificalem etiā tantùm intra diœcesim permittit, magis probabile est & missæ celebrationem *d. c. 6.* prohiberi. tametsi verba Concilij de ordinibus singulariùs videantur loqui. cùm adiungunt & ordinatos fore suspensos. non videtur tamen vbique quoad pœnam suspensionis ex sola celebratione esse certo vsu receptum. Sed & abbates pedo & mitra insigniti tantùm in ecclesijs suis, seu pleno iure sibi subiectis, post sollemnem missam, aliaque diuina à se celebrata, populo sollemniter benedicere possunt. *c. abbates. de priuil. in 6.* alio cebrante ipsi id præstare non possunt, nec alibi; sed neque tunc sibi constituere capellam, seu vti pontificalibus. *Siluius in Resol. p. 1. V. Abbas. IV.*

8. An pontificaliter celebrare extra diœcesim liceat?

RES-

RESPONSVM II.

Vniti beneficij onera, vt antè, explenda.

QVæritur de sensu clausulæ expressæ in literis vnionis monasterij A. anno 1560. factæ Episcopatui B. *volumus autem quod propter vnionem, annexionem, & incorporationē huiusmodi diuinus cultus, ac olitus monachorum & ministrorum numerus in d. monasterio nullatenus minuatur, sed eius & conuentus prædictorum congruè supportentur onera consueta.*

1. Res transeunt cum suo onere.

Res manent transeuntque cum suis oneribus *c. pastoralis. X. de decim.* neque fructus dicuntur, nisi deductis expensis. *l. fructus. & ibi DD. D. sol. mat. l. 1. C. de fructib.*

2. Onera vt antè ita post vnionem explenda.

Porro generalis hæc clausula est in omnibus vnionibus; vt onera antè incumbentia non minùs post illas expleantur. *c. exposuisti. X. de præb. c. si propter. de rescript. in 6. c. præsenti. de off. ordinar. in 6.* vt enim non intelliguntur bona nisi deducto onere: *l. mulier. D. de iur. dot.* ita & ordo charitatis incipit à seipso: *c. si non licet. 23. q. 5. c. cum in officijs. X. de testam. nimis*, inquit lex *præses C. de seruitut. & aq. durum est ex tuis prædijs aquæ agmen, sitientibus agris tuis, ad aliorum vsum vicinorum propagari.* ideoque ab vnito beneficio non permittitur auferri, quod ad curam fabricæ, & congruam religiosorum, & sufficientem sustentationem, & onera illius requiratur. *c. de monachis. c. auaritia. c. exstirpanda. X. de præb.* ita rem temperat Innoc. III. *in c. apostolicæ. X. de donat.* vt cui tribuitur, competens subsidium conferat; & cui tollitur, damna grauia non infligat. quo etiam minùs alterentur fundatorum voluntates. quod *non nisi* inquit Concilium *Trid. s. 22. c. 6. ex iusta & necessaria causa fieri debet.* adeoque ea discretione, vt coöperiendo vnum altare, non discoperiatur alterum, vt dici consueuit. sed illius necessitati prouideri debet de eo quod alteri supereſt. *d. c. præsenti.* & sic in vnionibus vnito ante omnia portio congrua reseruatur: *postea*, inquit Rebuffus *tract. cong. port. n 103. Papa reliquus fructus donat, & vult, vt ibi prosequitur.*

3. Vnio vt alijs prodesse, ita alijs nocere non debet.

Adeo quidem, vt & Concilium *Trid. s. 23. c. 18.* quamuis ad sanctissimam instituendorum seminariorum causam permiserit vniri, atque incorporari beneficia simplicia; adiecerit tamen clausulam; *sine cultus diuini præiudicio*, & in alio necessario casu *s. 24. c. 15. ita tamen*, inquit, *vt tot superint, quæ diutno cultui celebrando, ac dignitati ecclesiæ commodè valeant respondere.* at hîc solitum monachorum, multò magis taxatum, numerum minui vetat. siquidem taxatus numerus sine speciali Sedis apostolicæ authoritate minui expresè prohibetur. *c. cum accessissem. c. M. ferrariensis. X. de const.*

4. Sed intrinsecus cum diminui nullatenus per eius munificentiam debet.

Et singulariter quoad prouisionem Episcopatuum *s. 24. c. 13.* aliqua fructuum accessione tenues vult augeri; non monasteria vniri. quæ sessio habita quidem fuit an. 1563. & sic post bullam d. vnionis; attamen eius ratio, vtique, quo minùs cultus diuinus minuatur, in ecclesiæ intentione explicanda, magnum momentum adferre debet.

5. Ad hanc pertinet solitus eorum numerus.

Ad cultum autē diuinum inprimis pertinet numerus religiosorū, præsertim sacerdotum. dum fundatores amplas facultates contulerunt, vt à multis iugiter pro illis sacrificia, & preces diu noctuque offerrentur. quæ indeterminata obligatio, cum arbitrio boni viri remissa intelligeretur, censenda est determinata esse, seruatâ certa facultatum, & numeri religiosorum proportione, cùm anno 1301 inuenitur religiosorum numerus, præter laicos, taxatus ad 39.

à Capi-

Capitulo generali Cistercienſi, ac deinde an. 1305. ex præcepto Benedicti XII. vt & in contrario Concilium *Trid ſ. 25. c. 4.* huiuſmodi determinationem in Synodis, & Capitulis generalibus fieri voluit. & valde anxiè procedit *d. c. 4.* in imminutione ſacrificiorum, ac miſſarum: vt conſequenter eodem reſpicere oporteat, dum aliquid agitur, ex quo ſequi poſſit imminutio numeri ſacerdotum: adeoque & ſacrificiorum, & officij diuini. ſed & clauſulæ verba, *volumus vt cultus diuinus, & ſolitus monachorum numerus nullatenus minuatur*; quia clara ſunt, nec per alia relaxantur; omnino ſunt ſequenda: nec poteſt ab eis recedi. *l. non aliter. 69. D. de leg 3.* præſertim auctis non parum poſt d. an. 1301. & 1305. eiuſdem monaſterij facultatibus. *d. c. cum acceſſiſſent. d. c. M. ferrar.*

6. Eoque non minuendus.

7. In eoque clara clauſula non diſtrahenda.

Porro illa verba; *ſed monaſterij & conuentus prædictorum congruè ſupportentur onera conſueta*; arbitrium boni viri admittunt: ſed extra numeri religioſorum taxationem pridem factam. vbi enim lex certa eſt, ceſſat arbitrium. *l. non poſſunt. D. de legib. Menoch. de arbitrar. in proœm.*

8. Congrua onerum ſupportatio, extra taxatũ numerum, arbitraria.

Adiecta ſunt autem illa, non, vt quidam perperam interpretantur, in gratiam Epiſcopatus, cui fit vnio; ſed in gratiam monaſterij, quod vnitur. vt patet ex omnibus iuris locis ſupra citatis. quippe & ſacri canones, vt in ſæcularibus, neminem volunt promoueri ad Ordines ſacros, ſine ſufficienti ad ſuſtentationem titulo; ita nec religioſos in aliquo monaſterio ſuſcipi; niſi qui congruè ex prouentibus ali poſſint: adeo ſeuerè, vt in monaſterijs monialium, ſi penuriam paterentur, profeſſionum adiecerint nullitatẽ. *c. periculoſo §. ſanè. de ſtat. regul. in 6.* & nouiſſimè Conc. *Trid. de regular. c. 3.* etiam in exemptis ab Ordinario numerum taxari voluerit, qui commodè ali poſſit. vt hîc taxatus eſt.

9. Adiecta in gratiam vnitorum.

Congruum autem dicitur, quod congruit, conuenit, competit, ſufficit: & iſtis vocabulis vtuntur capitula, quæ ſuprà citauimus: & plenius refert *Rebuffus in tract. de cong. port. quæſt. 1. n. 6.*

10. Quid congruum?

Congruè ergo ſuſtentandi ſunt religioſi, ſecundùm numerum taxatum, Ordinis & monaſterij qualitatem, & ſtatum ſuum. *l. ſed etſi. §. 1. D. de vſufruct. l. 1. §. in honorarijs. D. de var. cogn. l. quæro. D. de iur. dot. c. non cogantur. diſt. 41.* vt dignitati eccleſiæ congruè reſpondeant. *d. c. 15. ſ. 24. Trid.* vtique ergo præter illorum alimentorum onera, & ea quæ rebus incumbunt; reſtauranda eſt & ſarta tecta ſeruanda fabrica, & ædificia monaſtica. quantum porro his congruat, ſpectat rurſus arbitrium boni viri. & Concilium quidem *Trid. ſ. 25. c. 8.* vt de hoſpitalitate, *quantum*, inquit, *per prouentus licebit.* ita antiqui canones prouentuũ quartam partem fabricæ; aliam quartam pauperibus aſſignabant. *c. de reditibus. cum ſeqq. 12 q. 2.* quæ etſi hodie non æquè obtineat; habet nihilominus etiam hodiernus ſtylus Curiæ Romanæ, vt in literis, quibus in commendam dignitates, aut monaſteria dantur, inſeratur clauſula; vt commendatarij erogent in vſus pauperum quartam fructuum portionem. *Azor. Inſt. mor. p. 2. l. 12. c. 11.*

11. Pro ſtatu monaſterij & religioſorum.

12. Ex arbitrio boni viri.

13. Proportione prouentuum.

14. Quarta pauperum, Fabricæ, &c.

D. Paulus hoſpitalitatem vetat obliuiſci. *ad Hebreos. c. 13. ad Tit. c. 1.* & ſacri canones, quos Gratianus conglomerat *diſt. 42. c. offerebat. 32. q. 7. c. quoniam. 16. q. 1. & c. volumus. diſt. 89. c. quia. 12. q. 1.* ſed & regula S. Benedicti, ſub qua eſt Ordo Ciſtercienſis, & hoc monaſterium. c. 53. adeoque & Concilium *Trid. ſ. 25. c. 8.* admodum deſiderat exerceri *hoſpitalitatis*, inquit, *officium, à ſanctis patribus frequenter commendatum.* & Clemens VIII. *conſt. an. 1594. incip. religioſæ.* vbi

15. Onere in primis hoſpitalitas ex ſacris literis, & iure.

16. Regula S. Benedicti.

17. Concilio Tridentino.

18. Conſt. Clẽ. VIII.

vbi largitiones munerum in regularibus seuerè prohibuit, eleëmosinas tamen in pauperes, & hospitalitatem in peregrinos, exerceri omnino voluit: etiam *seruato*, inquit, *charitatis ordine.*

19. Si prouentus pro oneribus vniti, & cui vnitur non sufficiunt, potior est causa vniti.

Verum quidem est, & Episcopo suam partem tribuendam; patrem illum pauperum, & hospitalem; adeoque & congruè dotatum esse oportere: sed illius pars olim vndique colligebatur, non ex vnico loco. & quartam suam habebat per totam diœcesim. & verò quando per prouentus beneficij onera vniti, & illius cui vnitum est, non possunt simul congruè sustineri; potiorem esse causam vniti, quàm eius cui vnitum est. decisum per Senatus-consultum Allobrogum refert Anton. Faber *in suo Codice l. 1. tit. 2. def. 52. Rebuff. vbi supra n. 103. 104. vbi & plures citat.* & apertè statuit Pius V. *in bulla data Cal. nouemb. 1567.* & d. lex præses. adeoque & in re angusta, cùm dos & Episcopatui, & monasterio non potest esse satis congrua; oportet alterum alterius onera portare; compati defectui, & fundatorum intentionem sequi, extra quam exigat necessitas. *d. c. 6. s. 22.* & in angustijs vndique se offerentibus recte dixit Iauolenus *l. 200. D. de reg. iur. quoties nihil sine captione inuestigari potest, eligendum esse quod minimum habeat iniquitatis*: & captionem interpretatur glossa iniquitatem: vt quando in rebus agendis nihil se offert, quod non habeat aliquid ex iniquo; tum id esse eligendum, quod à iuris tramite minus alijs recedat.

Congruam esse dotem & Episcopatui oportet. Ioannes XXII. erectis quatuor nouis Episcopatibus *in c. saluator. de præbend. in extrauag. comm. singula quinque millia librarum turon. vnicuique*, inquit, *illarum, suisque Pontificibus dignitate, & onere, & circumstantijs alijs attentè pensatis, debere sufficere credimus.* Cardinales pro negocio erectionis nouorum Episcopatuum Belgij deputati tria millia ducatorum singulis sufficere censuerunt. Paulus IV. singulis ea per separationes bonorum assignanda in Bulla vniuersali decreuerat: Pius IV. monasteriũ vniens causatur quod per vnionem minùs lederetur cultus diuinus, quàm per bonorum separationem: cùm ergo per hanc tantùm lædi posset ad tria millia, quamuis à solo hoc monasterio desumi illa potuissent; non potest per illam amplius exigi: quia alioquin sic amplius læderetur: contra quam ait Pontifex. salua tamen monetæ mutatæ ad veterem valorem supputatione: iuxta quem iam tunc bona separari decretũ à Paulo IV. fuerat. atque hic finis atque intentio moderari debet verba vnionis vniuersalia, vt dicitur indeterminatum sermonem causa determinare. *l. 5. & ibi Barth. D. de administ. tut. l. cum pater. § dulcis. D. de legat. 2.* & in ambiguis antecedentia & consequentia, facta dictaque ad interpretationem facere. *l. hæredes. 21. § sed & si. D. Qui testam. fac. L. Iulian. §. proinde. D. ad Maced. ibi. intelligendum ab initio sic accepisse.*

RESPONSVM. III.

De Vnione reuocanda.

1. Cum fieri soleat vnionis reuocatio ob quam causa fieri.

QVæsiuimus aliàs de dissolutione vnionum pro dotandis Episcopatibus Belgij factarum, an, cùm res permittit, satius sit eam fieri? *in Consult. can. de excess. Prælat. cons. 8.* satius esse, censuimus; ob rationes antiquorum canonum super pluralitate beneficiorum curatorum, ac residentia, atque aliàs latorum: vt & diuersam professionem considerat c. 10. s. 14. *Concil. Trid.* dum naturâ lubentius *volatilia ad sibi similia conueniunt. eccli. 27.* in collatione: diuer-

diuersa in spiritualibus, & temporalibus detrimenta in commendis: *s.* 25. *c.* 21. *de Regul.* & in vnione: *s.* 24 *c.* 13. *&* 15. & ob talia *in c.* 1. *X. ne sed. vac.* monasterij Episcopatui vniti dissolutio petitur, & releuatio dicitur: differtur tamen, donec ecclesiæ vacanti prouisum erit de successore; non donec eiusmodi detrimẽta euenerint. ob quę deinceps euitanda Trid. *d. c.* 21. decernit, vt quæ monasteria imposterum vacabunt, non nisi regularibus conferantur.

2. Quamuis non eueniant singulares abusus.

Neque porro admittit dissertationem Concilium Tridentinum quod ab abusu non sit argumentandum; sed tollendum abusum, permittendum vsum: siquidem *cupit*, inquit, *S. Synodus monasteria ad congruam monasticæ disciplinæ vitam omnino reuocare.* vbi est admodum aduertendum ad emphasim verbi *omnino*, quod iuxta Interpretum traditiones nullam modificationem, aut limitationem recipit. *vt ex Zasio ait Spigel. in Lex. verb. omnino. Tuscus in verb. dictio omnino. conc.* 322. *DD. in c. licet canon. de elect. in* 6. *in verb. viribus. omnino carere. & in c. cum contingat. X. de rescript. in verb. nihil omnino.*

3. Sequendi canones conciliares potius, quã expeditiones Curiæ in deliberatione, quid fatius sit.

Igitur in deliberationibus rerum agendarum non potest consultior, securiorue ratio iniri, quã quæ conformis sit conciliaribus decretis ecclesiæ: quæ, præsertim in rebus fidei, & morum, dicitur errare non posse. *c. si ille. §. nemo. dist.* 50. dicunturque eiusmodi ecclesiæ decreta, canones, seu regulæ; secundùm quas dirigendæ sint ecclesiasticæ actiones. *c. canon. c. regula. d.* 3. *c. nulli. d.* 12. *in verb. à cuius* (matris ecclesiæ) *regulis nullatenus vos conuenit deuiare.* non verò eadem ratio est expeditionum Curiæ Romanæ; seu Datariæ: quæ multis subreptionibus, artibus, & importunitatibus est subiecta: per quas sæpius gratiæ impetrantur derogatoriæ sacrarum regularum. atqui ecclesiæ decreta in Concilijs Constantiensi, Lateranensi vltimo, & Tridentino admodum vniones auersantur: &, nisi iustæ & legitimæ causæ fuerint, pro subreptitijs habent. *Constantiense s.* 43. *Trid. s.* 7. *c.* 6. & hodie Cancellariæ regula 12. seu 13. tales censet, quæcumque non sint conformes Concilio Trid.

Enimuero idem Concilium *s.* 24. c. 13. vetat pro dotandis Episcopatibus vniri monasteria, in quibus regularis disciplina seruatur; sed iubet illis subsidium ferri per accessionem aliquorũ fructuum, separationemque bonorum à dignitatibus, seu beneficijs, aut etiam per simplicium vnionem. eodemque modo pro dotandis seminarijs procedit. *s.* 23. *c.* 18. per subtractionem alicuius partis prouentuum à quibusuis beneficijs, seu aliquot simplicium dumtaxat vnionem.

4. Ex facto Curiam decipi posse.

Neque mirum est decipi quandoque in negocijs tractandis Pontifices: cùm facti sint, & in facto consistant. vt ait Bonif. VIII. *in c.* 1. *de const. in* 6. circumstantias illorum non sciant; vt iura quidẽ in scrinio pectoris gerunt. *d. c.* 1. quare scrupulum sibi non mouent Pontifices dum regulas Cancellariæ edicunt; atque inter illas reuocatorias 12. seu 13. vnionum; 14. 15. 62. 63. diuersarum facultatum. Conciliorum autem œcumenicorum canones, etsi quandoque, non tamen tam facile mutantur; quàm quæ fiunt in Curia. patienter ergo sustinent Pontifices de rescriptis suis reuerenter quæri. *l. si quando. X. de rescript.* quamquam nec hic quæritur an vnio olim bene facta sit; sed an separatio nunc potior sit, cùm, rebus & tẽporibus mutatis, fieri ea commodè possit.

5. Concilij Trid. decretum c. 13. *s.* 24. nõ retrotrahitur in cathedralibus, quibus uni.

Verum quidem est quod c. 13. *s.* 24. *Conc. Trid.* loquatur de vnionibus futuris, neque iam antè de monasterijs Episcopatui factas ritè irritet: etsi alias reuideri velit: verum est etiam, quod legem non

ponat Pontifici: non item verum, quod alloquatur tantùm Episcopos, seu Concilium prouinciale. cùm in ipso principio quidem mandet Concilio prouinciali examen, *quas propter angustias*, inquit, *tenuitatemque inuicem vnire, vel nouis prouentibus augere expediat. confectaque de præmissis instrumenta ad summum Rom. Pontificem mittat*, (hæc ad Concilium) *quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout exp dire iudicauerit*) *aut tenues inuicem vniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat.* (hæc ad S. Pontificem) Inuicem inquit (prout in tenuibus pastoratibus *s. 21. c. 5.*) nõ autem monasteria. quod prohibet mox Concilio prouinciali: nec hîc permittit; sed vel Episcopatuum tenuium vnionem tantùm; vel accessionem ex fructibus. etsi ergo legem non ponit Pontifici; instruit tamen, & dirigit; & fuam sententiam indicat. quæ eadem fuit Pauli IV. post septem Cardinalium examen, & relationem, totiusque Consistorij: cùm Paulus IV. generali bulla omnes nouos Belgij Episcopatus erexit, & sic dotandos decreuit.

ta sunt monasteria, cum tamen solui vnio potest, merito attenditur.

6. Dirigit etsi non ligat S. Pontificem.

Sed & illud verum est, non loqui Concilium Trid. d. c. 13. in Episcopatu nouo, & originaliter dotando; sed de tenui augendo: sed tamen eadem est vtriusque ratio decisiua. vt per leges resolutum est, quæ statuta sunt de donatione antenuptiali, locum habere in propternuptiali. *§. est aliud genus. Inst. De donat.*

7. Ratio decreti tam obtinet in nouo Episcopatu dotando, quã vetere augendo.

Quod autem obijcitur *ex Barbosa, & ab eo citatis ad c. 6. s. 7. Conc. Trid. in Collect. & ad d. c. 13. s. 24.* excipi vniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione &c. priori quidem loco disertè loquitur Barbosa de Regul. 12. vel 13. Cancellariæ, quæ expressè & has reuocat, si non sint fortitæ effectum; alioquin quacumque causa factas, vel authoritate. *non tamen*, inquit, *Concily Trid.* vt meritò excipiantur, quæ pro necessaria dote fiant. nam & has admittit d. c. 10. *s.* 21. communiter quidem; sed tamen eiusmodi generalitas restringitur per d. c. 13. ne pro dote Episcopatus vniantur monasteria. vt & alibi beneficia diuersarum diœcesium *c 9. s.* 14. & libera cum subiectis patronatui, *s. 25. c.* 9. similiter vniri prohibet; aliaque alibi: quæ tamen ea generalitas non mutat. cùm *generi per speciem derogetur, non contra.* Secundo autem loco Barbosa loquitur etiam, non de nostro casu, sed diserte de vnione ecclesiarum dumtaxat parochialium; quas d. c. 10. permittit ob paupertatem vniri. vt & pauperes inuicem cathedrales, d. *c.* 13. non tamen his monasteria.

8. Obtinet decretum etiam in necessaria dote cathed.

Rursus verum non est per prædictum c. 13. Ordinarijs licere vt dotent tenues pastoratus quacumque ratione, quæ commodior eis videatur; vt proinde licere debeat Pontifici Episcopatum per monasterij vnionem dotare: non enim permittitur id Ordinarijs simpliciter; sed demũ extra dotandi rationes ibidẽ expressè prohibitas. id enim ipse contextus satis significat. *cauabit*, inquit, *Episcopus si per beneficiorum vnionem, non tamen regularium* (nota) *id fieri non possit, vt primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola & collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris aut parochiæ necessitate decenter sufficiat.* commodiori, inquit: hoc verbum comparatiuum vtique exigit positiuum; qualis Concilio non videtur prouisio per vnionem beneficiorum regularium: & iterum rationem à postrema diuersam significat; eoque, vt vnio d. beneficiorum pro pastoratu dotando Ordinarijs non permittitur; ita cessat argumentum ad summum Pontificem ductum. quamuis & in eo sit imparitas, quod Pontifici competit plenitudo potestatis, legibus soluta; quæ non

non Episcopo : neque quærimus quid possit S. Pontifex, sed quid satius sit.

10. Dismembrationes tamen in his permissæ.

Iterum obijcitur d. regulam 12. seu 13. Cancellariæ, vt vniones, ita & dismembrationes reuocare, seu prohibere: cùm hanc tamen illi intendant, qui hîc illam solui desiderant. ita quidem est: sed illas Regula excipit, quæ fiunt authoritate Concilij Trid. disparitas ergo in eo est; quod Tridentinum d. c. 13. pro dotandis Episcopatibus admittit accessiones fructuum, seu dismembrationes; vetat monasteriorum vniones.

11. Nec dignitas Episcopalis monasteriorũ vnioni prosicit.

Deniqúe obijcitur, quòd Episcopi super omnes gradus constituantur: *Conc. Trid. s. 24. c. 1. de reform.* & ad ordinem hierarchicum præcipuè pertineant: *sess. 23. c. 4.* eisque debeatur prima sedes, & præcipua rerum agendarum authoritas: *sess. 24. c. 6.* quos proinde summus Pontifex solet fratres vocare: vt illud simpliciter melius, Deoque gratius in hac materia iudicandum sit, quod Episcopatui est melius; non esse autem Episcopatui melius, eam separationem fieri.

Sed hoc argumentum oppugnat sententiam Concilij Trid. d. c. 13. vetantis monasteria vniri Episcopatibus: *nemo*, inquit Hormisda *in c. si ille, dist. 50. mihi alia quælibet contra auctoritatem Sedis apostolicæ, vel 318. Episcoporum, vel reliquorum canonum constituta obijciat, quia quicquid contra illorum definitionem (in quibus Spiritum sanctum credimus locutum) dictum fuerit, recipere non solùm temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* quomodo & Hieronymus *in Parabol. Noli inniti prudentiæ tuæ: prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit. c. 5. X. de constit.* quare & negandum est id melius esse, quod fortè secundùm quid, & quædam temporalia melius esse possit: sed id melius est, quod salubriori ecclesiæ directioni magis expedit. iuxta leg. XII. tab. *salus populi suprema lex esto.* at pro illa satius est singulas ecclesias singulis esse commissas. & iuri diuino conformius: ob residentiæ obligationem. *Conc. Trid s. 23. c. 1. in princip. aliaque Vid. d. consult. 8.*

12. An Concilij decretũ non obtineat, quasi hîc non vigeat regularis obseruantia?

Si obijciatur d. c. 13. loqui de monasterijs in quibus viget regularis obseruantia; at hîc aliquos fuisse excessus circa tẽpora vnionis: erit dicendum loqui Concilium de monasterijs, sicut *in c. 21. s. 25. de regul. quæ suos*, inquit, *conuentus habent*, & s. 21. c. 8. vbi Episcopo omnis circa conmittitur, vbi *non viget regularis obseruantia*, seu conuentus non habent: vbi autem viget; vt Episcopi monitionibus paternis agant, vt debitam viuendi rationem obseruent, & nisi id intra sex menses fecerint, ipsi corrigant. vt, si fiat correctio, siquis excessus contingat, non ideo dicatur cessare regularis obseruantia. Sic S. Bonauent. *de sex alis Seraph. c. 3. post medium in hoc*, inquit, *differunt laudabil s religiones, & iam dilapsæ; non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur; sed quod nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur. &c.* quæ est cura Superiorum; & hîc hactenus obtinuit. &, quo possit obtinere obseruantia regularis, nihil est efficacius ipsius prælati residentiâ.

Vrget præsentia Turni.

eoque cum hoc monasterium conuentum habeat. & quidem numerosum, ac disciplinę amantem, domesticum, & assiduum inspectorem ei dari expedit.

13. Non expectandus euentus incommodorum, vt consulta dicatur vnionis dissolutio.

Quod denique ad c. *1. X. ne sed vac.* dicitur non eundem esse casum nostrum, qui sit d. c. 1. neque posse dici incommoda illic expressa, hîc obtinere; sed si quando hîc illa contingerent, indultum iri, vt queri liceret: iam superiùs etiam diximus finem præcauendorum incommodorũ sufficere, non exspectandum euentum.

tum. *ex d. c. 21. ſ. 25. de regular. Conc. Trid.*

14. Non poteſt non eſſe incommodum carere prælato reſidente.

Sed & illud nemo rectè diffiteatur, non poſſe monaſterium, præſertim in ſpiritualibus, non capere detrimentum ex continua prælati ſui abſentia: ſi rectè adeò ſeuerè tam multi Conciliorum canones, & Pontificum decreta, Prælatorum reſidentiam exegerunt. vt quamuis non omnia in d. c. 1. narrata incommoda hîc locum ſibi nunc vendicent; non poſſit tamen non aliqua ex parte dici releuatio monaſterij, diſſolutio vnionis.

15. Sic & Sixtus V. in diplomate, quo Nuncio ſuo mandauit diſſolutionem abbatiæ Tongerloenſis ab Epiſcopatu Buſcoducenſi, poſt narrata incommoda ex vnione ſuborta, *Epiſcopo*, inquit, *Buſcoducenſi apud ſuam eccleſiam reſidente, & à monaſterio abſente & alijs grauioribus negocijs occupato, & infra, quare d. monaſterio per diſſolutionem vnionis, & ipſi menſæ Epiſcopali per applicationem congruæ partis illius redituum prouidere volentes, ac d. conuentus precibus inclinati, atque adducti exemplo aliorum monaſteriorum alibi ſimilibus menſis in illis partibus vnitorum, quibus deſimili remedio conſultum eſt, mandamus* &c. ecce remedium Pontifex vocat, & conſultum dicit monaſterijs per diſſolutionem vnionum; & Epiſcopatibus per congruam dotem velle prouideri.

16. Sed neque, quamuis turbatiſſimo illo tempore an. 1585. Sixtum acerrimi iudicij Pontificem remorari potuit argumentum illud, quod ſatius & Deo gratius videatur, quod magis expedit Epiſcopatui: vt plenius & ſecurius eſſe dotatum per incorporationem totius monaſterij, quam applicationem partis bonorum: ſed temporalem illam conſiderationem poſtpoſuit ſpirituali bono, vt mederetur incommodis vnionis.

Neque porro hæc dicuntur vt oppugnetur vnio ſuo tempore, vt res tum ferebant, ritè, & rectè facta; ſed vt conſtet mutatis temporum circumſtantijs, rem ſuo tempore bene actam, in melius permiſſu temporum reformari; ad normam ſacrorum canonum, cùm res pro integra haberi, ſeu reſtitui poteſt, ſecurius conſultius, Deoque gratius eſſe.

Quamuis enim Pius IV. in Bulla vnionis, de qua agimus, ſe omnia cum maturitate, & Cardinalium Conſiſtoriali conſilio cenſuiſſe dicat, ſatiùs fuiſſe à Pauli IV. Bulla, quæ per ſeparationes bonorum Epiſcopatibus prouideri cupiebat, recedere, quod cultus diuinus ſic minùs læderetur; tamen cùm difficilia eſſent illa tempora, nec in bonorum ſeparationem publicè priuatimue daretur conſenſus, deuentum fuit ad vnionem; non autem generatim determinatum eſt, & in theſi, ſatius eſſe per vniones prouideri Epiſcopatibus; contra Concilij Trid. d. ſ. 24. c. 13. Pauli IV. & S. conſiſtorii iudicium, pro dotandis generatim nouis Epiſcopatibus per ſeparationes bonorum: ſed ex hypotheſi ſpeciali iſtorum temporum. Cùm autem iam conſentientibus partibus facile nunc prior Pauli IV. via obtineri poteſt, & Concilij Tridentini: & ſic in alijs diſſolutionibus Vnionum. Vaucellenſis, Tongerloenſis, Douſanę Pontifices etiam ſumma referunt maturitate eſſe proceſſum; rectè ad hanc idem inferetur; *l. non poſſunt. D. de legib. Menoch. de arbit. caſ.* 64. & à Pij IV. mutatione recedetur, tam conſultò, quam piè, laudabiliterque redibitque res ad priorem ſtatum iam inde à Philippi Boni & Caroli V. tempore conceptum, & Paulo IV. decretum in d. Bulla generali erectionis nouorum Belgij Epiſcopatuum. Rerum enim mutationes vniones, ſeparationeſue, pro temporum qualitate, exigunt. *c praecipimus. c. & temporis qualitas. 16. q. 1.*

De

De purgatione canonica.

RESPONSVM I.

Clericus an torturæ subijci possit; quâ causâ, & modo?

1. Capitalis pœna aduersus iudicem leui de causa torquentē.

PEriculosum sanè probandi genus est tortura: eoque grauior illius abusus. *tormenta illa gubernat dolor*, inquit Cicero pro Sylla, *regit quæsitor, flectit libido, corrumpit spes, informat metus, vt in tot rebus & angustijs nihil veritati loci relinquatur.* Igitur ne facilè Iudices ad quæstiones & tormenta prosilirent, capitalem pœnam in eos statuerunt Imperatores, qui aliquem per iniuriam aut torqueri prohibitum tormentis subiecissent *l. decuriones. 6. C. de quæstion.* quam pœnam plerumque DD. mitigant, vt arbitraria sit; si absit malitia.

2. Clericus torqueri an possit?

Primò igitur quæsitum est an clericus torqueri possit? in qua re quam dissidentes & distinguentes sint opiniones, videri potest apud Farinacium *de indicijs, & tortura q. 41.* plurium est, vt non possit. argumento militis, de quo id iure decisum est. *in l. desertorem. §. 1. D. de re militar. l. milites. C. de quæst.* argumentum autem huiusmodi validum esse multis docet Euerard. *in loc. legal. à milite armata militiæ ad militem cælestis militiæ, & in terminis n. 10.* clericum non posse torqueri, ex priuilegio militis; quod ei communicatur. nec sanè argumentum hoc facilè reijci potest, sicubi contrarium in iure non sit decisum. Non esse autem per canones id disertè permissum rectè dixit Abbas antiquus, (vt plures referunt *in c. 1. X. dep.* nisi in infamato) patebitque si examinauerimus ea iuris loca, quæ in contrarium citantur. videlicet. d. *c. 1. X. de posſ. c. si constiterit. X. de accuſ. c. illi qui. 5. q. 5. l. presbyteri. & Auth. seq. C. de Epiſ. & cler.*

3. Executiun tur canones qui videntur permittere.

Igitur d. c. *illi qui* ne iota quidem habet de clerico. & dicit tantum quod veritatem religiosus (alij legunt rigorosus) tortor diuersis cruciatibus è tenebris exigere debet.

Dices agi ibi de accusatione Episcoporum; hos, vti & communes clericos, à laicis accusari non posse. *c. vt pluribus. X. de accuſ.* agi, ergo de clericis in eos torquendis: Resp. 1. plures pati exceptiones id quod pro maiori assumitur. 2. de torquendis ob testimonium, non ob suum crimen: 3. in alium torqueri numquam posse hominem liberum, nisi vacillet. *l. 15. D. de quæſt.* & *in d. l. presbyteri* expressè disponitur sacerdotes non torquendos in alium. vt illud ademptum esse priuilegium obscuris verbis dicendum non sit. ita vt sanè hic locus nihil conuincat.

Sed neque *in d. c. 1. X. depoſit.* clerici mentio est. sed vir Belial dicitur ibi furtum fecisse; loculos habens conueniendus, non ecclesia, & dicit Pontifex se mandasse illum sub quæstionibus ad rationem poni, etiam, si oportuerit, vinculis alligatum: aiunt glossa, Panorm. Sabar. alij furem fuisse hunc canonicum, nomine Belial: non id dicit Pontifex: ratio decisionim facit, vt dicendum sit fuisse ecclesiæ ministrum, seruum, mancipium, apud quod depositum; personam eius obligare, non ecclesiam dicatur. vt refert Sabarell. in ciuitate Senensi hospitale fuisse, in quo aliquis ad hospitum deposita conseruanda fuerit constitutus. & primis sæculis penes ecclesias, præsertim collegiatas hospitalia erant: præsidentibus ibibem clericis. tales ministros fuisse apud Londonensem ecclesiam cuius Episcopo scribit Alex. III. (cuius tempore ecclesiæ seruos & mancipia affatim adhuc ha-

bebant) fuisse, de quo ibidem agitur. clericum autē aut canonicum fuisse non conuincit textus. nominatum autem fuisse Belial quam minimè verisimile est. cùm nomen dæmonis sit. quæ conuentio Christi ad Belial ? *2. Cor. 6.* hinc Scriptura sæpius filios Belial, viros Belial nominat. Semei Dauid maledictione pessima *2. Reg. 16.* virum sanguinum, & virum Belial nominat : quod rapuerit regnum Saul. eo modo procul dubio accipiendus est Alex. *in d. c. 1.* virum Belial nominasse eum, qui Episcopi thesaurum furatus erat. Dici etiam potest iussu Pontificis, non ex lege seu canone factum, quod in d. c. refertur. quo quid opus, si lege & via regia indici poterat? sed in torqueri prohibitis consulitur, & decernit Princeps. *l. nullus. C. ad leg. Iul. maiest.*

In d. c. si constiterit *X. de accusat.* agitur de sacerdote quidem, sed de facto tantùm, quærendo dicitur, si ad rationem positus, sine cōactione fuerit confessus : non autem permittitur ibi, vt quæstioni subijciatur. quin imo sensus verior videtur, vt ostentata ei tantum fuerint tormenta ad terrorē, vt in minoribus solet *l. 1. §. impuberi. D. ad. syllan.* & in torqueri prohibitis admittit Farin. *n. 104.* nam additur, *sine coactione fuerit confessus.* cùm tormenta cogant, & exigant. vt in *d. c. illi* dicitur. sed & *ibid. §. ceterum.* casu quo non ad tempus commendata, sed perpetuo collata ecclesia dicitur, de crimine non conuictum iubet in pace dimitti : non quæstioni subijci. & dicere Interpretes solent purgationem canonicam in vicem quæstionis à canonibus introductam videri.

Denique d. lex presbyteri diserte sacerdotem in alium non torquendum dicit : in inferioribus clericis leges communes vult obtinere. & *in Auth. seq.* sacerdotes periuros in monasterium vult detrudi : inferiores legitimis, seu communibus pœnis subdi. sed multa huiusmodi de clericis à Iustiniano ordinata canones non receperunt : nec vllus vsus hodie admittit clericum vt testem torqueri : & hîc de crimine sacerdoti imposito quæritur, nec est aliquis canon, qui diserte satis admittat, aduersus argumentum *d. l. milites.*

Enimuero quoniam miles ignominiosè missus potest torqueri; *l. milites. C. de quæst.* etiam clericum turpitudine vitæ maculatum posse censet Sabarella. *in c. cum in contemplat. X. de reg. iur.* quamuis fortè rectiùs compararet clericum depositum, & priuilegio exutum, vt in doctore exigit Farin. *n. 44.* quali casu saltē iurisdictione abusum non esse iudicem ecclesiasticum ad eculeum quem damnantem aliàs iudicatum ait Chopin. *de sac. pol. l. 2. t. 3. n. 11.* + Clericus torqueri vtrum ex priuilegio exuatur?

Quod enim aiunt eos, qui scelus committunt, dignitate excidere, priuilegioque ; non obstat: quia dum quæstio instituitur per tormenta debet, nondum constat esse tales, vt aliàs oporteret. *l. 1. §. si quis dicatur. D. de quæstion. c. cum secundum. 19. De hæret. in 6.* nam alioquin ratio hæc petit principiū, vt dici solet, & pro caussa assumit id ipsum, quod quæritur.

Porro & ex alio capite infamiam clerici communiter requirunt. quia non præcedente infamia inquiri non possunt. *de qua re in c. qualiter. X. de accus.* sed non ideo quicumque infamati, vel inquisiti torqueri possunt. nam nec sine infamia non priuilegiati inquiri possunt : debet tamen differentia manere inter priuilegio donatum, & eo carentem.

De causa nunc & modo torquendi vt agamus ; capitalem esse oportet. *l. 1. l. 8. D. de quæst.* vt homicidij in laico *l. 1. §. si quis eod.* porro clericus etiam conuictus ob homicidium præsertim non qualificatum, § Causa torquendi capitalis.

catum, degradari realiter per canones non potest, & curiæ seculari tradi, vt morti detur; sed presbyter annis 12. pœnitet. *c. si quis homicidium d. 50. c. si quis viduum. c. voluntate. ibid.* nisi fuerit incorrigibilis. & *hoc omnes admittunt*, inquit Farinac. *de inquisit. l. 1. t. 1. q. 8. n.* 80. non igitur torqueri potest. ne modus probandi grauior sit præscripto puniendi. quod ab surdissimum foret. *VVesenbec. in paratit. n. 5. de quæst.*

Sed quoniam communius itum est in eam sententiam, vt in causa capitali criminali non tantùm; sed & tam Panorm. quàm Sabarell. *in d. c. 1. X de pos.* etiam in ciuili causa clericum torqueri permittant; vt ibi factum aiunt; cùm tamen de furto tantùm quæreretur, & quidem ciuiliter, ad restitutionem pecuniæ furto ablatæ: in speciali hac causa tamen homicidij non qualificatię quiorem dicemus opinionem Farinacij, vt torqueri sacerdos non potuerit; præsertim vitæ hactenus inculpatæ, imò laudabilis. *Farin. de indic. & tort. q. 41. n. 9.* saltem tanta sæuitia: quamuis in genere ille rigidè loquatur.

6. Modus leuis, & leuis.

De modo igitur torquendi videndum est. Iudex qui clericum vltra modum iubet torqueri, creditur excommunicatus. *glos. & Panor. in c. vniuersitatis. de sent. excom.* & fuisse hîc dicitur sacerdos per triginta quinque horas extensus, & collari ferreo indutus. *vide Sabarell. in d. c. cum in contempt. n. 9.* vbi grauiora tormenta non admittit. & plures *apud Farinac. d. q. 8. n. 17.* etsi ipse satis asperè sentiat, & leuem quiæstionem admittat *d. n. 104.* in torqueri prohibitis. sed sublimitat. *n. 107. & seqq.* sed profecto d. c. 1. *X. depos.* cum iussit Pontifex furem sub quæstionibus ad rationem poni, tanquam supremum, addit etiam (si oportuerit) *vinculis alligatum:* atqui vincula longè absunt ab equuleo, tormentisque, de quibus quæritur.

Accedit illud D. Pauli quo iubet Episcopum, iudicemque ecclesiasticum, esse *non percussorem*: & quæ eo citat Gratian. *d. 45. c. non licet. d. 86.* Quare & D. Augustinus *in c. circumcelliones. 23. q. 5.* postquam laudauit Marcellinum, quod cognitionem instituisset *non extendente equuleo, non sulcantibus vngulis, non vrentibus flammis, sed virgarum verberibus*; subdit de eo modo, *etiam iudicijs solet ab Episcopis adhiberi.* sed glossa id accipit in punitionem & pœnam; non cognitionem & torturam. & tunc neque ad disciplinam per laicum, sed clericum aut monachum *iuxta d. c. vniuers.* non carnificē verbera adhibentur. Sed liceat id etiam ad torturam: lenis tamen debet illa esse: quod illic Augustinus cōmendat. *ad hoc enim, addit, & mitissimi homines facinus occultatum diligenter, atque instanter examinant, vt inueniant quibus parcant.* quia, vt idem *ibid. c. vnum. & plectendo & ignoscendo hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur.*

Igitur vt admittamus clerici torturam, quam admitti videtur præsupponere sanctio *pragmatica Clement. VIII. inc. ad tollendas ar.* 10. dum appellationem ab ea admittit, inhibitionemque; sed non nisi visis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine; cum si tortura iure vetita omnino esset; mox appellatio foret recipienda, & inhibitio concedenda: imo sententia nulla esset, ob expressum iuris errorem: lenis tamen debet esse: vt diximus. Jdeoque Theologus Romanus *in Cautione criminal. seu de processibus contra sagas dub. 20.* de torturæ tempore *licet Paulus III. Pontifex*, inquit, *in bulla quadam quæ continetur in Bullario 1. part. fol. 471. prohibuerit reum detineri in tortura per longum spatium, vt vnius horæ: nunc tamen mitissimi iudices (nam de seuerioribus ne loqui quidem lubet) tam minimè hic peccare hodie timent,*

ri ad horam vnam aut duas dimidias torquere planè solemne fecerint. adeo vt insufficiens nominetur, quæ id tempus non expleuerit. quis hic subsistet? quis non mori malit, & vel sexcentis mendacijs tantas pœnas redimere? ita ille; & agit tamen cùm quæritur de sagis. quantum exclamaret de clericis, Vitæ anteactæ innocentia puris, sacerdotali ordine auctis, & theologiæ laurea claris, de homicidio inquisitis, ad 35. horas continuò extensis? Miseriam sanè iudicialium quæstionum eleganter & Christianè plangit D. Augustinus *de ciuitate Dei l. 19. c. 6. Quid enim*, inquit, *in sua causa quis torquetur, & cùm quæritur vtrum sit nocens cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud detegitur; sed quia non commisisse nescitur? ac per hoc ignorantia Iudicis plerumque est calamitas innocentis. &, quod est intolerabilius, magisque plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus lachrymarum eum propterea Iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem; fit per ignorantiæ miseriam, vt & tortum & innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat. Si enim secundùm istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quam diutius illa sustinere tormenta, quod non commisit, se commisisse dicit. quo damnato, & occiso, vtrum nocentem an innocentem Iudex occiderit, adhuc nescit: quem ne innocentem nesciens occideret, torsit: ac per hoc innocentem, vt sciret, torsit, & dum nesciret, occidit.* quod ergo Augustinus ait adeo deplorandum plangendumque, quid est quod Iudicem ecclesiasticum cogat iudicijs suis exhibere? cui non est commissa vindicta criminum publica, cui etiam canones iubent seriò, nec dicis tantum causa, intercedere etiam pro ijs, quos summorum criminum reos ab honorum ordinumque gradibus deiectos tradit Iudici sæculari? cui nec inquirere quidem permittunt, nisi ex præscripto; *c. qualiter & quando. X. de accus.* à Concil. Trid. innouato s. 24. c. 5. denique cui non alius iudiciorum scopus est, quàm salus animarum, quæ equuleo non infidet.

De pœnis.

RESPONSVM I.

An obtineant pœnæ tacitæ fideicommissi accommodati incapaci; cùm alteri relinquitur, quod restituatur monasterio?

VT indigno aufertur, quod quis ex tacito fidei-commisso susceperit restituendum ei, quem leges capere vetant. *l. 18. 23. 25. D. de his quibus vt indig.* sed, *vt diximus supra de testam. resp. 4.* quæ olim fiscus auferebat, hodie agnatis cedunt. vt & agit hic dum taxat hæres ab intestato proximus. & dicit per edicta cæsarea hic prohibitum esse manibus mortuis hereditates, seu immobilia bona acquirere, actus omnes & dispositiones eò vergentes declarari nullas, vt, *cum quid prohibetur, censentur omnia prohibita, per quæ perueniatur ad illud*: & *quod non licet via rectâ, non est licitum indirectâ. l. 39. & 84. de reg. iur. in 6.* præterquam quod ex Concordatis an. 1541. initis inter Carolum V. Imperatorem, vt ducem Brabantiæ, & Episcopum Leodiensem *§. in causis mere.* conuentum sit, vt huiusmodi edicta in suo robore permaneant: donec aliter fuerit ordinatum.

Hodie agnati olim fisci.

Non licet hic omnibus mortuis manibus.

Infert ergo agnatus irritum esse testamentum, quo reus scriptus est hæres; homo omnino extraneus, omisso vicino sanguine, à monialibi ante ingressum monasterij, sub tacito promisso, atque inducia de restituenda, seu relinquenda

Ideoque agnatus quamuis exhæres scriptus, à cognato relictus, tamen ad bona admittitur.

quenda monasterio hæreditate: seu, suppositio tantum hæredis nomine, bonis distrahendis, & precio monasterio restituendo, & in eam rem multas ex facti circumstantijs præsumptiones adducit.

Enimuero de prohibitione hac cæsarea diximus *in Iur. pont. nou. anal. de for. compet. n.* 10. *& seqq.* ideoque in foro videbitur *plus valere quod agitur, quam quod simulatè concipitur*: adeoque suppositum hæredis nomen non prodesse, vt hæreditas, aut immobilia penes manum mortuam maneant: non magis, quàm si ipsi expresse essent relicta. quo casu an precium debeatur manui mortuæ, an ad tempus momentaneum illa acquirere, & mox distrahere possit, ibidem quæsiuimus.

4. Sed pro templo monasterij monialiũ, iuxta Cõc. Trid. in vrbem translati, via recta & indirecta vt relinquilceat vendenda.

Cæterùm hoc in casu quæ adferuntur præsumptiones, eò solum faciunt, vt videatur institutus hæres, vt bona diuendat, & ex precio soluantur impensæ templi monastici, sub ea fiducia ædificati cœnobio sanctimonialium *iuxta Concil. Trid. s. 25. de regul. c.* 5. in vrbem translato, quod in admissione Concilij hic exceptum non est; ideoque si qua id viderentur vetare edicta, hodie obstare hic nõ possent, & ne quidem expresse testamento mandari immobilia vendi, & precia monasterio numerari prohibent. quæ simplex via est, & minùs calumnię, quam parit simulatio, subiecta: præsertim in causam huiusmodi fabricæ. ideoque nec tacitũ fidei-commissum precij, nec simulatio aliqua hic posset obesse, cùm res non penes monasterium remanere, sed distrahi, & precia dumtaxat in permissas necessitates monasticæ translationis conuerti intenditur.

5. An hic agnatus legato excidat?

Consequenter dicendum est, omissis ijs, quæ ad d. præsumptiones pertinent, validum esse testamentum pronuntiandum. sed an agnatus ex eo legatum sibi factum consequi possit, quod nisus est impugnare? *quoniam de iure disputauit*, inquit lex 24. D. *de his quib. vt indig. non iudicium impugnauit aut accusauit, retinet defuncti voluntatem.* nã neque falsum testamentum dixit, neque factum contra officium pietatis. *vide quæ citantur ibid. & in c. ex eo. de reg. iur. in* 6. Quippe arguit dumtaxat conditum esse aduersus legum edictaliũ prohibitionem, sub pœna nullitatis latam; & formã edicti an. 1611. ar. 12. sub eadem pœna præscriptam, non esse seruatam: vtique quod in instrumento non habeatur testatricem testesque interrogatos esse, an scirent scribere? cum edicti forma ad malignitates euitandas præscripta, ita sit seruanda, vt minimæ rei omissio actum nullum reddat; neque per æquipollens expleri possit. *Roland. à Val. vol. 3. cons.* 30. *n.* 1. 2. 3. 4. *& seqq. Dec. cons.* 466. *n.* 19. & in casu non seruatæ formæ, testamento ab edicto præscriptæ, etiam quoad huiusmodi interpellationem. Charond. *Resp. l.* 3. *resp.* 49. *l.* 4. *r.* 13. *l.* 10. *r.* 86. *l.* 13. *r.* 63. *Pandect. Iur. Gall. l.* 3. *c.* 1. hæc enim de iure tantùm est disputatio an iusta ac sollemnis sit ea mentis testatio; iniuria non afficit testatricem; neque eius iudiciũ vt inofficiosum, aut aduersus iustitiam peccans, accusat. & quidem interrogationis omissionem ex Principum interpretatione ad nullitatem facere diximus *in Iur. pont. anal. de test. n.* 26. *In Consult. can. cons.* 4. *eod.* sed & *supra de testam. r.* 3. diximus certam formam interrogandi, vt in stipulationibus, seu verborum obligationibus, præscriptis verbis non esse mandatam: sed neque iussa est annotari testatoris, testiumue responsio: sed tantum siue sciant siue nesciant, siue queant siue nequeant scribere, id annotari. quare sufficere in vno casu hæc verba, *declarauerunt se nescire scribere*: in altero; *testatorem testesque cum notario subscripsisse*. priori enim ex responso inferri interrogationem: posteriori;

6. Nullitatem instrumenti arguens iudiciũ defuncti non oppugnat.

7. Nullitas obiecta, quod testatrix testesue rogati non referrantur an scribere possent, qui à notario asseruntur subscripsisse, vt non obsit.

riori ; ex actu inferri potentiam. quare qui interrogat, an placet scribere, simul implicat, an possit: & non tam per æquipollens, quàm re ipsa hîc subest interrogatio, & illius annotatio in vtroque casu: & satisfactum est fini edicti, quem proloquitur, *vitandi dubij, & falsi.* quem imprimis spectandum, non verborum aucupia, etiam probant arresta à Charunda vbi suprà citata in hac ipsa materia. itaque hæc disputatio de iure est; non accusatio iudicij defuncti. qui cum non possit facere quin leges in suo testamento locum habeant; non præsumitur velle: ideoque non iudicium illius agnatus oppugnat; sed scripturæ formam: non illi iniuriatur; sed, an leges secutus sit quærit: eoque in illa disputatione victus, legato non excidit.

8. Agnatus qui defuncti iudiciũ non accusat legato non excidit.

De pœnitentiis & remissionibus.

RESPONSVM I.

De approbatione sacerdotum, ad audiendas confessiones, & reprobatione.

1. Non approbatus non potest confessiones excipere secularium.

DEcreuit Concilium Trid. *s. 23. c. 15.* nullum sacerdotem nisi parochiale beneficium obtinentem, aut ab Episcopo approbatum posse confessiones audire secularium. De approbatione loquitur Concilium; de approbationis reuocatione nullam facit mentionem. illius ergo decisio ex iure communi sumenda est. eo declaratum est *in c. accepimus. X. de ætat. & qualitat. præficiendor.* Episcopum qui aliquos approbauit, eosdem reprobare non posse; *nisi fortè*, inquit, *postquam promoti fuerint, reddiderint se indignos.* quæ exceptio causæ cognitionem requirit; non ex libito permittitur. *vt diximus in Consult. can. de priuil. cons. 5.* cùm etiã maximè amouibiles regulares ab administratione remoueri non possint ex causa infamante, & tanquam indigni; nisi causâ cognitâ, probataq; *vt latè diximus in Iur. Pont. nou. anal. de regul. n. 46* vt Rei hîc dimissi pro suo demerito vbique contenduntur; sed causam cognitam esse, probatamque nullibi adiungitur. sed omnis fuisse videtur defensa monasterij exemptio, quæ indignum quem non reddit. cùm vnusquisque ad defensionem iuris ecclesiæ suæ naturâ obligetur. si autem moderamen inculpatæ tutelæ excessum est; non mox ideo quis fit indignus; sed & hoc causæ cognitionem, & iudicis arbitrium exigit. & propterea *apud Barbos. in Collect. DD ad Conc. Trid. s. 23. c. 15. n. 50.* Vrbanus VIII. decreuit, vt noua reprobationis causa, nõ quælibet assumatur; sed quæ ipsam confessionis materiam concernat, *per Breue. 30. Ian. 1629.* quò tamen reduxit S. Cong. *30. Aug. 1630.* si scandalosè & inhonestè viuant approbati, aut delictum committant. *Barbos. ibid. n. 61.*

2. Quid in die decreta reuocationis illarum dicendum sit ab Vrbano VIII.

De approbationum huiusmodi reuocatione sæpe apud Interpretes Concilij Trid. quæsitum est: & quidem feruidè admodum disputatum in diœcesi Toletana, cùm illius vicarius pluribus simul regularibus approbatis sine nouo examine, seu reprobatione, auditionem confessionum interdixisset. super qua re Discursus exstat *ex Hispanico in latinum versus à Petro du Fay Doctore theologo prædicatore editus Gandaui 1636.* In eo discursu referuntur plurima regularium priuilegia: atque inter cætera Clementis VII. vt semel præsentati non teneantur amplius præsentari: Pij V. bulla *incip. Romani, volumus*, inquit, *eos, qui semel ab Episcopis suis præuio examine approbati fuerint; ab eodem Episcopo iterum non examinari: ab Episcopo autem successore, pro maiori conscientiæ suæ quiete, examinari de nouo poterunt.* quæ bul-

3. Quæstio proposita Cardinali.

la

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

la reuocata non est per Gregoriũ XIII. vt ad illam docet in compendio bullari Flauius *Cherubin. & Quaranta in sum. bul. v. confessor. vbi* citat declarationem Interpretum hanc ; *Congregatio Concilij censuit, Regulares ad audiendas in ciuitate & diœcesi secularium confessiones semel ab Episcopo prævio examine approbatos. iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Cæterum à successore posse vtique examinari , iuxta constitutionem sanctæ memoriæ Pij V. datam id. Augusti. Pontificatus illius anno sexto. quæ à felicis recordationis Gregorio XIII. non est reuocata , per reductionem priuilegiorum regularium ad terminos Concilij Tridentini.* quippe *vt diximus*, Tridentinum de approbationis reuocatione non statuit.

Plures alias interpretationes in eandem sententiam idem Discursus recitat: sed præ ceteris eximiam *relatam à Piascecio in prax. nou. p. 2. c. 1. §. 2. in fin. his verbis ; Cum sacræ Congregationi Cardinalium , negocijs Episcoporum, & regularium præpositorum , innotuerit confessarios regulares grauiter conqueri , quod ab Archiepiscopis , Episcopis locorum Ordinarijs , ab audiendis confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpe contingere , vt ab ijsdem Archiepiscopis , Episcopis , & locorum Ordinarijs , omnibus simul vnius conuentus confessarijs , confessiones audiendi facultas adimatur ; Illustrissimi eiusdem sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse , vt hæc sine scandalo , magnaque animarum pernicie contingant , re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam , & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur : Statuunt & decernunt ; Archiepiscopis , Episcopis alijsque locorum Ordinarijs , ad quos confessores approbandi ius spectat , confessarios regulares aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere minimè licere , nisi ex noua causa , eaque ad confessionis ipsas pertinente: aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem Archiepiscopos , Episcopos , locorumque Ordinarios confessiones audiendi , omnibus simul vnius conuentus regularibus confessarijs , eadem sacra congregatione inconsulta nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum ; vt ijdem Illustrissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita inuiolabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615.*

7. Non simul vnius loci omnes reuocari possunt.

Quod porro ibi dicitur de interdicto non seruato, refertur ad c. 12. *s. 25. de reg. Conc. Trid.* non verò ad abrogandum c. cum *dilect. de relig. dom.* vbi censuræ nullæ declarantur , latæ ab Ordinarijs in exemtos , aut post appellationem. Reuocatio porro, de qua agitur, est omnium simul eiusdem Conuentus confessariorum.

Habet & alteram declarationem *adductam ex Confectio in sum. tit. 17. c. 4. Regulares* , inquit , *qui ad confessiones audiendas generaliter ab Ordinarijs , eorumque examinatoribus idonei reperti & approbati fuerint ; generaliter quoque absque aliqua limitatione temporis, certorumue locorum, aut generis personarum admittantur in diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti ; arbitrio Ordinarij relinquitur.*

8. Simpliciter idonei sunt simpliciter approbandi.

Est & alia *apud Barbos. vbi sup. n.* 54. debere Episcopum simpliciter idoneum , simpliciter approbare. Idem Discursus *§ vnic. fol. 4* . latè deducit clausulam concessæ facultatis *ad beneplacitum* duraturæ, ex stylo & consuetudine inseri solitam, nihilominus esse perpetuam. quod saltem recipi potest, vt subsit arbitrio boni viri, quod non nisi ex causa noua, & numquam ex infamante , nisi cognita & probata, reuocationem admittet.

9. Approbatio ad beneplacitum vt sit intelligenda?

Sed & ipsum Concilium Trid. *d. c. 15.* approbationem , qualis ibi requiritur , dum quis idoneus iudicatur , dari iubet : *gratis* , inquit, *detur* . vbi duo coniunguntur : vt & detur , & gratis. quod Concilij mandatum quoad exemptos delegationem

10. In exemtis functus officio Ordinarius eos approbando, an dein reprobare possit?

gationem facit: delegatus autem mandati fines diligenter seruare debet. *c. super. & tot. tit. X. de off. deleg. l. 5. D. mand.* & delegati officium exspirat cùm functus est officio: *c. venerabili. c. literis. X. de off. deleg. v cum iam suo functus esset officio* ideoque post approbationem finitum est diœcesani officium in exemtis; nec iam potest probatos reprobare; & probationis commissæ fines ita debet seruare; vt simpliciter idoneos approbet simpliciter: neque conditiones vllas sibi non commissas adijciat. *d. c. super &c.*

12. Regulare curatum beneficiū habentes comparandi parochis.

Quod autem hîc insuper de Confessore generali monasterij Ordinis S. Saluatoris dicitur esse argumentandum, sicut de sacerdotibus sæcularibus; cùm accipat Iurisdictionem in moniales, & approbationem ab Episcopo; non sicut de Mendicantibus, qui à Papa: delegata autem iurisdictio, sit reuocabilis à delegante: Respondeo claudicare talem Confessoris generalis, & sacerdotis secularis delegati comparationem: & rectiùs illius comparationem institui cum seculari parocho, imò prælato; cuius approbatio, nisi ex secuta indignitate, reuocari; aut iurisdictio, quæ ex officio tanquam ordinaria competit, nequit auferri; nisi ex causis iure expressis, ritè cognitis. *c. si constiterit. c. accedens. X. de accus.* sed neque substitui quilibet potest huiusmodi Confessori. sicut neque beneficium regulare, *c. cum causam. X. de elect.* priorat⁹ *c. ea quæ. 8. X. de stat. monach.* aut prælatura infra Episcopatum, *c. nullus. 28. de elect. in. 6. clem. 1. eod.* vel præbenda regularis conferri potest nisi regulari: *Trid. s. 14. c. 10.* vbi neque arandum dicitur in boue & asino. *d. c. 10.* & porro si negetur hunc, de quo agitur, Confessorem fuisse titulo beneficiali; sed sola delegatione; delegati iurisdictionem cessare ex arbitrio delegantis: *l. Iudicium. D. de Iud.* redit tamen solutio; vt iustum illud esse debeat; ex causa noua, ad confessionem pertinente; non infamante, nisi cognita & probata: & quæ de exemtis mox diximus, & de non omnibus simul reuocandis. *Vide quæ diximus supra de maiorit. & obed. r. 1. de regular. r. 8.*

RESPONSVM II.

Mulieri vt prædicatio sit interdicta?

1. Quibus prædicare permissum.

VT soluere & ligare super terram, quod in cœlo ligatum sit, aut solutum; ita & prædicare euangelium, & docere omnes gentes apostolis successoribusque demandatum est. *Marci c. vlt. Matth. c. vlt.* ita quidem vt non tantùm laicis interdictum sit publicè de fide disputare: *c. 2. §. 1. de hæret. in 6.* & prædicare: *c. sicut. X. de hæret.* sed etiam neque omnibus clericis id sit permissum. *c. adijcimus 16. q. 1.* nisi cuipiam speciali⁹ delegetur. *Nauar. cons 7. de off. deleg.* hodie solis fere sacerdotibus vsitatum. *iuxta d. c. adijcimus.* olim quàm nunc frequentius diaconis commissum. sed commissum. nam *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* iuxta apostolum. *c. cum ex iniuncto. X. de hæret.* fuit nonnunquam & laicis olim, sed clericis tamen rogantibus, docere permissum. *c. mulier. d. 23.* at verò ex Bulla Leonis X. nulli hodie; nisi ex licentia superiorum. & ex Concilio *Trid. s. 5. c. 2. s. 24. c. 4* nemini, nisi ab Episcopo approbato, concessum prædicare.

2. Mulieres muta.

Quare multò maximè interdictum est mulieribus, quamuis doctis, id sibi muneris arrogare; docere, aut prædicare. *d. c. mulier d. 23.* vt D. Paulus 1. *ad Corinth. c. 14. mulieres*, inquit, *in ecclesijs taceant. non enim permittitur eis loqui. turpe est enim mulieres loqui in ecclesia.* quocirca & Clemens V. *in clem. de vsu-*

lig.

lig. dom. mentis insaniam vocat quod beginæ quædam Alamanicæ de summa trinitate, ac diuina essentia disputarent, & prædicarent: easque idcirco damnat. & itidem *c. 1. in extrauag. Ioann. XXII. eod. tit. & demum Ioann. XXII. in c. 1. eod. in extravag. commun.* beginas, quæ, præter cæteras virtutes, curiositatem disputandi, & authoritatem seu temeritatem potius prædicandi nullo modo sibi vsurpant, demum admittit. denique Innoc. III. *in c. noua de panit. & remiss.* damnat abbatissas quæ legentes euangelium præsumunt publicè prædicare, & criminum confessiones audire. quia *licet*, inquit, *beatissima virgo dignior & excellentior fuerit apostolis vniuersis, non tamen illi, sed isti Dominus claues regni cælorum commisit.* quippe & iure ciuili ob honestatem publicam fæminæ ab omnibus officijs publicis remotæ fuerunt. *l. 2. D. de reg. Iur.*

3. Quamvis abbatissis.

Dicitur autem *publicè*, ne quis existimet superioribus monialium priuatas v. g. in Congregatione capitulari vetari adhortationes ad virtutes, ac reprehensiones vitiorum: quorum in subditis etiam correctio ipsis competit, œconomica authoritate: qua pater & mater-famil. liberos & famulitia rudimenta fidei docent, vitia corripiunt, virtutes instillant: qua præceptores discipulos, magistri scholares erudiunt. *Syluest. in summa. V. prædicare.* alioquin Innoc. III. in Concilio Lateran. etiam priuatim prædicare prohibuit sub pæna excommunicationis, illis qui prohibiti vel non *missi* fuerint, præter authoritatem à Sede apostolica, vel catholico loci Episcopo susceptam.

4. Non tamē priuatam inter suos monitionē facere.

Ex quibus liquet temerè præsumpsisse L. superiorem beginarum in ecclesia, in Sede, ianuis apertis, neutrius sexus personis exclusis, multis non suis præsentibus, ex libro tam impresso, quàm manuscripto, scedis & compositione propria, atque etiam memoriter dixisse: excessa vtique forma priuatæ suarum commonitionis: & properea ad terminos accessisse beginarum in d. Clem. 1. damnatarum. præsertim cùm nec in pulpito liceat legere, nisi ijs, qui ab episcopo lectores sunt ordinati. *c. non liceat. d. 92.*

RESPONSVM, III.

De correptione publica, atque pro concione.

1. An parocho permissa?

COnuenitur parochus iniuriarum, atque ad palinodiam; quod pro concione dixerit adesse quosdam, qui iurauerint iura ecclesiæ, viduarum, pupillorum defendere; qui ipsi bona ecclesiæ inuadant: alios, qui etsi ex iuramento teneantur obsistere; tamen tolerent. vt, etsi neminem nomine tenus expresserit; nemo tamen nesciret agi de Burgimagistro: quo cũ quæstio erat de finibus agri illius, & ecclesiæ; & sæpe transplantata, vt cõtendit parochus, in fundũ ecclesiæ: & scabinos designari, qui debuerint impedire motũ terminorum, seu curare restitui illos in pristinum locum. Respondit parochus non intendisse se in aliũ dicere, quàm in Burgimagistrum: eumque pluries à se monitum esse, nec emendatum: publicè peccasse; eoque peccatores publicos publicè esse corripiendos; adeoque pro concione fecisse id Christum *Matth. c. 2. ad fin. & c. 23.* & facere debuisse ostendere D. Thomam 3. *part. q. 42. art. 20.* fecisse & Ioannem Baptistam: *Marci c. 6.* Chrysostomum Eudoxiam monuisse, ob ademptum Calitropæ agrum: & Stanislaum Boleslai notam libidinem publicè arguisse: se itidem ex officio fecisse; non iniuriandi animo.

2. Publica peccata palam corripienda.

Monet sanè Apostolus 1. *Tim. c. 1.* publicè peccãtes palam esse cõripiendos. & D. Augustinus, *corri-*

pienda sunt, inquit, *coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa verò corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius. c. si peccauerit. vers. ergo. 2. q. 1.* Vnde ira Dei prouocari dicitur, cùm prædicator delinquentes palpat, non corripit; &, sacerdotalis veritatis immemor, non vult complere, quod scriptum est; *peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. c. sed istud. dist. 45.* quare & *in c. 1. X. de pæn. & remiss. manifestâ*, inquit, Alexander *peccata non sunt occultâ correctione purganda.* quibus inhærens Concil. *Trid. s. 24. c. 8.* publicè peccanti condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè vult iniungi: vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. specialiter tamen permittit Episcopo, vt hoc publicæ pœnitentiæ genus in aliud secretum possit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire.

3. Confessarius an publicam pœnitentiã imponere possit?

Quamuis autem illum Concilij locum rectè Nauarrus *in Man. c. 8. n. 10.* censuit non spectare ad pœnitentias sacramentales; neque agere de confessarijs, qui inuitis etiam pro publicis delictis non possint imponere pœnitentiam publicam; idque latè probat *in Comment. ad cap. sacerdos. de pœn. dist. 6. n. 86. & multis seqq.* sed intelligendum illud esse in foro mixto exteriori; non vero interiori: eoque compellari ibidem Episcopos, non confessarios: quoniam tamen Concilium *ibid.* subiungit de instituendis pœnitentiarijs, per causæ continentiam non videntur excludi omnino confessarij, vt consentientibus, prudenterque persuasis publicam possint imponere pœnitentiam, *vt Nauarr. d. n. 10. & 98. & 100. in dictis locis*, vel extra confessionem in inuitos. vt procedit c. in capite *quadrages. dist. 50. ibi*, inquit, *adesse debent decani, id est Archipresbyteri parochorum, & presbyter pœnitentium, qui eorundem conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ pœnitentiam per præfatos gradus iniungere. vide Canones pœnitentiales, & Augustinum hom. vlt. lib. 50. homil.* nam & parochis quadantenùs externa iurisdictio tributa est. *c. cum eccle-*
4. Parochus in cuius parœcia publicus peccator conuersatur.
siarum. X. de off. ordin. vid. Cucchum in Inst. maior. de presbytero paroch. n. 11. & seqq.

Tamen rectè D. Pauli locus de prædicatoribus accipitur: vt in peccata publica publicè inuehantur. ex eo quidem zelo, cui non desit prudentia: nec alia passio misceri videatur: sed appareat odio tantùm peccati, nullatenus autem peccatoris sermonem instituit: malos mores argui, bonos tueri, virtutes prædicari, vitia reprehendi. vt exigit Concilium *Trid. s. 5. c. 2. s. 24. c. 3. 4. 7.* & quamuis aliqui pungantur, qui malle deberent veriores, quàm disertiores audire sermones; *c. sedulo. dist. 38.* eoque infestent Doctores; non tamẽ hi propterea debent à recta æmulatione, & bona intentione recedere: scientes quia beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. *c. simon. dist. 43.*

5. Sed prædicatorem.

Enimuero prædicatorem, parochumque publicè peccantes redarguentem, prudenter & circumspectè versari oportet. *arg. c. 3. s. 6. Conc. Trid.* quamuis enim officij ratio & disciplinę causa quem excuset, vt iniuriarum non teneatur: *l. item queritur. §. Iulianus. D. locati.* præsertim dum rei-publicæ interest delicta corripi: *l. 33. D. de de iniur. vbi glossa in verb. contumelia plures citat, & speciatim l. 13. §. quæ iure. D. de iniur. quæ iure*, inquit, *protestatis à magistratu fiunt, ad iniuriarum actionem non pertinent*: tamen *si quid magistratus per iniuriam fecerat, vel quasi priuatus, vel fiducia magistratus, iniuriarum potest conuenri. l. nec magistratibus. D. de iniur.* adeòq; & qui disciplinam voluit exercere, de excessu punitur. *l. 7. D. ad leg. Aquil.*

Aquil. l. 7. §. 1. & tot. tit. D. eod ad legem Aquil. Quomodo Nauarra *de restitut. lib. 2. c. 4. n. 64. & seqq.* tradit, quando correptioni admiscetur ira, & despectus in proferendo, si graue est quod profertur, ex verbis, & modo loquendi, ira, & despectu proximus notabiliter contristetur, & iniustè; rarò excusari à mortali. *ex D. Thoma, Nauarro, Caietano. si quis iratus*, inquit Fabianus, *crimen aliquod cuilibet temere obiecerit, conuicium non est pro accusatione habendum. c. si quis. 2. q. 3. omnis*, inquit Cicero, *animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.* & multò maximè dum superiores alicuius crimen corripiunt, si non in illud ipsum crimen dicant, sed aliud improperant, conuiciari eatenus censentur. *Nauarra ibid. n. 67. cum enim*, inquit, *de eo vitio non agatur, eo tempore, iam non vt Iudex, sed vt priuata alia persona dehoneſtat subditum in eo, in quo non est subditus, nec eius foro subiectus.*

6. Ex zelo, nõ admixto alio affectu.

7. Alioquin pœnis subiacet.

Quare clem. 1. §. 1. *de priuil.* proponit maledictionem æternam ijs, qui prælatis detrahunt in concione. & Concilium *Lateranense sub Leone X. sess. 1. decret. incip. supernè.* eosdem excommunicat. & S. Carolus Borromæus *p. 1. Instruct. pastor. c. 11.* monuit ne concionatores magistratus ciuiles obiurgent, aut asperiùs insectentur. idem statuerat Concilium *Coloniense an. 1539. art. 16. Vitanda*, inquit, *est manifesta reprehensio vtriusque potestatis, tam ecclesiasticæ quàm ciuilis. Dijs non detrahes, & Principibus populi tui non maledices. Exod. c. 22.* & Nauarr. *in Man. c. 25. n. 42.* cauendum tradit concionatoribus, ne in aliquem nominatim dicant. nominatim autem in aliquẽ dici etiam intelligitur, quando ita quis describitur, vt facile dictum de eo intelligatur. *§. nominatim. Inst. de exheredat. lib. 1.*

8. Peccator vt publicus sit & scandalosus & incorrigibilis requiritur.

Ad eum modum vt in aliquem dicatur, rectè doctores exigunt, vt peccator sit publicus, & scandalosus. Haræus *ad D. Pauli locum ex Theophyl. peccantes coram omnibus argue, hoc est perseuerantes in peccato, & quos inquirendo deliquisse inueneris, argue seuerè: quomodo igitur Dominus, si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum? atqui & illum in peccatis perseuerantem permittit publicè argui. imò & generatim offenditur, si is, qui ab omnibus peccasse cognoscitur, non arguitur. sic Theophyl.*

9. Correptio seuera sit.

Sic & Chrysostomus *ad Apostoli, locum vt temerè*, inquit, *& indiscusse iudicare perniciosum est, ita manifesta peccata non prosequi viam aperit ad audenda facinora. argue*, inquit, *non vtcumque, sed seuerè: ita enim & alij metuent.*

10. Præsertim in pluries correptis. non correctis.

Seuerè ergo reprehendendi sunt publicè, qui pluries priuatim moniti, emendare se nolunt. quasi incorrigibiles demum, si tamen sic speretur emendatio. *Homobonus de Bonis tract. 15. c. 2. q. 2. v. 4. de exam. eccl.* vt de Cretensibus Paulus *ad Titum c. 1. increpa illos durè, vt sani sint in fide.* & Isaias *c. 58. clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo scelera eorum.*

11. Certa sit delicti veritas.

Sed & oportet vt sit & certa veritas, & publica. nam si aliqua tergiuersatione celari possit iniquitas, de ea cognoscendum & decidendum est, antequam publicè vel Iudex quidquam statuat, vel concionator debacchetur. *c. nouit. X. de iud. ad fin. in verb. cognoscant vtrùm iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram ecclesia Rex Anglorum, vel eius* (Regis Francorum) *exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis literas duxit exprimendam.* sic etiam in denuntiatione aduersus matrimonium de exceptionibus & causa cognoscitur. *c. ad dissoluendum X. de despons. impub.* neque ante sententiam abstinendum est ab eo, quem reũ putamus. *22. tot. q. 3.* vide Augustin. *d. c. si peccauerit. & seqq. & homil. vlt. l. 50. hom.* vbi ait ecclesiam neminem excommunica-

re, nisi sponte confessum aut in iudicio conuictum: & sermonem instituit de publicis correptionibus. adeo, vt quantisper quis se negat peccasse, rem alienam inuadere, *vt in d.c.nouit.* & paratum se offert subire iudiciũ ecclesiæ mandatum, ac Iudicis sententiã sequi, nondum locus esse videatur prædicationi, & correptioni publicæ, quia nondũ certũ est publicè peccatũ, dum adhuc sub Iudice lis est.

12. Soluitur obiectio scandali.

At scandalum existimant sequi quidam, ex huiusmodi publica prædicatione; sed dicendum est, suppositâ certâ veritate delicti, & per illud scandalo, & solo in concionatore zelo, eoque prudente, & circũspecto; exemplũ Christi solutionẽ adferre. *Matth.* 15. vbi discipuli dixerunt Christo; *scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt?* & ille respõdet; *sinite illos, cæci sunt, & duces cecorum. nonne*, inquit Chrysostomus loco mox relato, *maius scandalum facit corã omnibus argnere. minime id quidem; magis enim scandalizantur, si peccata non ignorantes nullum inferri videant cruciatum.*

13. Inusitatæ praxis.

Videbitur etiam hæc publica concionatoris reprehensio esse contra praxim hodiernam; neque hæc tempora ferre veterum canonum, & antiquæ disciplinæ medicamenta: sed S. Carol. Borom. *in Orat. Concil. prouinc. 6. imo vero ardentius*, inquit, *progrediamur, quoniam hæc vna medicina præstantissima est, maximeque oportuna ad remedium, vt quibus olim rationibus disciplina christiana sata, & propagata fuit, eisdem ipsis & instauretur, & conseruetur.*

14. Modò adsit grauis & insolita causa.

Nihilominus hodie concionatoribus magna publicæ correptionis ansa ablata est, dum, magis quam initio ecclesiæ, liberè & palam iudicia ecclesiastica exercentur: vt sic inquisita per Iudices puniantur. eoque in multis locis statuta sunt Synodalia, vt parochi si quos habeant in suis parochijs publicos peccatores, eos deferant, vt à Iudicibus ecclesiasticis corrigantur lite instructa, ad sententiam, & pœnas oportunas perueniatur. *In corripiendis magistratibus*, inquit d. Concil. Col. ar. 17. *correctioni quoque fraternæ locus est, quemadmodum Ioannes reprehendit Herodem: dicebat enim Herodi, non populo, Nõ licet tibi habere vxorem fratris tui, quod si nihil promoueas, postulanda, & expectanda prouisio Prælatorum, ac maiorum magistratum est. qui si dissimulent, etiam consultum magis, vt vltra remittatur ad Deum; quam vt tantùm scandalum inde deterius subsequatur.* adeo vt si quis eo præscripto omisso sine insolita causa pro concione debacchatus fuerit, nõ nullum argumentum præbeat zeli saltem indiscreti, si non animi iniuriandi, in nondum euidentibus delictis. *ex d. c. nouit. X. de iud.* & faciliùs teneatur probare abesse animum conuiciandi. *arg. legis si non conuicij. C. de iniur. vide Nauarr. d. c. 4. disp. 7. n. 95. & seqq.*

15. Quando in diuino officio ab ira cessare debet.

Id quidem verum est, eum qui in officio, dignitate, functione publica est, non præsumi iniuriæ, sed functionis causa quid dicere, vel facere. *vt Latè diximus etiam in parocho in Consult. can. de iniur. consult.* 2. præsertim in suggestu (quia est cathedra veritatis, non locus iniuriarum) sed in dubio: at verò si excessus deprehendatur, si nulla officij necessitas, oportunitasue, nec aliæ iustæ causæ exegerint, abesse conuiciandi animum probare debebit. *d. l. si non conuicijs. diximus ibid. consult.* 1.

16. Non omnibus limitibus dolus seu offensio adscribitur qui prodiit.

Itaque parochus noster officij limites excessit. qui in prædicatore exigunt, ne qua scandala seminet. *Conc. Trid. s. 5. c. 2.* neque dicat, quod tendere posset ad offendiculum aut ruinam. excessit in eo, quod modum corripiendi non seruauerit. quippe neque certum crimen est, neque notorium illius, in quem inuectus fuit. contenditur siquidem super limitibus, & adhuc

adhuc sub Iudice lis est, vter suos in agrum vicinum protenderit. & quamuis parocho quidam iurisconsulti responderint, vicinum inuasisse limites, partemue agri ecclesiæ, non tamen illorum responsum rem facit iudicatam, aut certam; minùs notoriàm. cùm & actor Iurisperitorum pro se habeat responsa. & plerique testium asseruerint se nescire à cuius parte stet iustitia. aliter se habebat correptio Ioannis Chrysostomi, cum certò constaret, & palam, Callitropæ agrum esse, quem ademerat Eudoxia.

Accedit quod Episcopus de dissensione & controuersia informari voluerit per Archipresbyterum, qui visitato agro cum agrimensore, & pluribus testibus vtrimque submini stratis, iudicauerit apparentius ius esse aduersus ecclesiam, eoque Episcopus componi negotium voluerit: si autem certum & manifestum erat delictum Actoris; debuit iubere publicè illum corripi potiùs, quàm rem componi. nisi per hoc etiam iudicauerit hoc in casu non expedire publicam correctionem; sed vertendam illam esse in priuatam monitionem. quod Episcoporum iudicio committit Conc. *Trid. d.c.* 8. *s.* 24. & Concilium prouinciale Mechlin. *1. de sacram. c. 6.* compellat Episcopos, non parochos; vt in notoriis delictis publicam pœnitentiam in vsum reuocent. vt omittamus exilitatem rei, quæ vix ascendat ad tres florenos, & peperit quàm maximas turbas. vt ad Dei honorem non profecerit huiusmodi publica correptio; quod requirit vbi supra Homobonus; neque satis sit delatum Superiori seu ecclesiæ; quæ potius elucet in Episcopo, quàm parocho. præsertim cum illius ipsius cum correpto est controuersia, etsi de bonis ecclesiæ.

Quod si autem requisita certi, publici, & scandalosi delicti deficiant in principali quæstione, quæ tangit Burgi-magistrum; multò magis deficiunt in scabinis correptis de tolerantia delicti, quod ex iuramento deberent impedire. quippe & coram illis lis adhuc pendebat; multò minùs probatum est illos certiores fuisse redditos; minus quasi de publico & scandaloso, lite nondum integrè instructâ. imò potius contrà, cùm viderent Archipresbyterum magis sentire pro actore; & Episcopum compositionem suaderè. ideoque quàm primum respondit parochus se non intendisse in scabinos dicere; sed alludisse ad modum dicendi S. Pauli, qui ad Corinthios *ep. 1. c. 5.* de incestuoso eos reprehendit, his verbis; *& vos non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* sed interest; nam incestuosi crimen & certum, & publicum, & scandalosum erat; publicè ducta vxore patris, quod nec facerent gentes; quod excusationem nullam habebat. hic delicti certitudo non est; minus publica. quamuis factum non sit in occulto; sed iustitia, vel iniustitia facti.

Excessit ergo parochus. Concilium Trid. quidem *s. 5. c. 2.* rectè iubet vt Episcopi *curent, ne quis praedicator vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur.* ideoque quamuis hic deprehensus est excessus parochi: cum tamen & in aduersarijs quoad modum institutæ actionis, & multiplicandos sumptus, etiam est aliqua vexatio: si non calumnia: illa etiam est punienda. *l. vlt. §. 1. C. de appell.*

16. Prædicatores defendi à calumnia.

De modo igitur satisfactionis videamus. clericus maledicus cogitur ad postulandam veniam. *c. clericus. dist.* 46. &, vt non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; ita neque crimen infamationis. *Anchoran. in reg. peccatum de reg iur. in 6.* quia raptoribus deteriores sunt detractores: & damnum famæ maius, quàm bonorum.

17. Si tamen excesserint, quomodo corripiendi?

rum. *c. deteriores. c. summa. 6. q. 1. l. Iul. D. si quis omiss. caus. test. l. infamia C. de decret. lib. 10.* si ergo falsum crimen fuit obiectum, vix est vt sine palinodia fieri possit restitutio. ideoque vsu vbique frequentissimo, & etiam Ordinatione Caroli V. in Imperio recepta est actio reclamatoria; seu qua petitur reuocatio iniuriæ. *Mynsing. ad § in summa. Inst. de iniur. & cent. 2. obs.* 98. quæ etsi iure ciuili non adeo sit expressa; canonico tamen videtur agnita. *in c. quidam maligni. in verb. sin autem potuerit docere quæ dixit, vel certè scitens se non posse, quæ scripsit ostendere, errorem suum fuerit apertè confessus. 5. q. 1.* & quamquam Marcus *Anton. Genuen. in Prax. Neapol. c.* 30. neget nobiliores, & clericos teneri ad palinodiam, aut petendam veniam in publico; sed dumtaxat in cubiculo seu tribunali Iudicis ecclesiastici; & de superioribus Nauarra *vbi sup. dub. 6. n. 96. & seqq. & citati* negant prelatum à subdito veniam petere, genu flectere, &c. & parochus respectu incolarum suo modo sit superior: tamen si falsum sit crimen ab eo obiectum, sine reuocatione vix est vt possit satisfacere; & ad reuocationem non damnari: sed in modo distinguendum est.

18. Si falsum dixerint, omnino palinodiâ.

Itaque quæ pro concione dixit, pro concione reuocanda sunt: verbis quidem ita honestè conceptis, vt & innocentia non maneat læsa; & dignitas parochi quã minimè deteratur. nam publicè facta iniuria publicè reparanda est. *d. c. si peccauerit. Nauarra vbi sup. n. 90. ex Silues.* ad exemplum D. Pauli *Act. 16. cæsos nos*, inquit, *publicè miserunt in carcerem, & nunc occultè nos eijciunt: non ita; sed veniant, & ipsi nos eÿciant.*

19. Etiam pro concione.

Sic & in *c. inter. X. de purgat. can.* qui publica conuersatione cum hæreticis scandalum dederat, pro concione hæreses detestari iussus est. quare hic offensio per concionem facta per eandem reparanda esse videtur; modo quo diximus: vexatio autem per multiplicatos inutiliter sumptus; compensatione aliqua expensarum resarcienda.

20. An cum palinodia diffiteri præsumpta famam possit.

Clausulam salutarem Iudex primæ instantiæ adiecerat, ne per palinodiam in suo consistorio seu pro concione faciendam inducetur infamia: questus est parochus de infami palinodiæ modo; & clausulam porro actui contrariam, & inefficacem, & extra iudicis potestatem esse contendit: sed communiter receptum est pro cautela, vt præseruare famam iudex in sententia possit. *Wesenbec. in Paratit. D. de his qui not. infam. n. 9. ad fin. post Bart. Bald. arg. l.* 13. *§. pœna. D. eod.* iusta tamen ex causa, non regulariter. vt *in l. non poterit. D. de furt.* non potest quidem iudex efficere, ne furti damnatum sequatur infamia. *l. ordine. 15. D. ad municip.* neque famæ restituere. *latè Panorm. in c. cum. 23. X. de re Iud.* nam & in integrum restituere aduersus legem non potest: sed in damnando potestatem habet. *d. §. pœna. d. l. Ordine.* at iusta ex causa. sed an exprimenda in sententia? ait Wesenbec. *arg. c. sicut. X. de re iud. & ibi DD.* sed locus iste potiùs contrariatur, vt non debeat. Sola etiam palinodia sui naturâ non parit infamiam, quia non tam pœna est, quàm debitum: & sine dolo, sed imprudenter, ac citra iniuriandi animum dicta esse aliqua possunt, quæ tamen reuocanda sint. *Malder. de iustit. tract. 7. c. 2.* vt etsi quis iniuriarum damnari non possit; possit tamen pro resarciendo damno ad palinodiã. vnde & titulus iuris canonici X. *de iniuriis*, habet annexionem, & *de damno dato.* sed & id in sententia exprimi oportet: vt nec verba illius, nec reuocandi modus infament.

RESP.

RESPONSVM IV.

Literæ Iubilæi tribuunt electionem confessarij ab Ordinario approbati: quæritur quis hic sit?

1. Beneficiū parochiale aut Ordinarij approbationē habens quoad seculares.

RESpiciunt procul dubio literæ ad decretum Concilij *Trid. s. 23 c. 15.* itaque ad pœnitentium sæcularium, quamuis sacerdotum, confessiones audiendas nullus, nisi ab Episcopo approbatus, aut parochiale beneficium obtinens, idoneus reputatur. *per d. c.* 15. de confessionibus regularium non loquitur Concilium. relinquit ergo priori iuri: scilicet vt fiant superiori regulari, aut ab eo deputato. iurisdictio enim necessaria est in confitentem. *d. c. 15. c. 7. s. 14. de sacr. pœn. Conc. Trid. c. omnis vtriusque. X. h. t.*

2. Quoad regulares deputatus à superiori reg.

3. Tale beneficium aut approbatio quousque se extendat?

Parochiale beneficium habens eo ipso, quo ab Episcopo institutus est, approbationem & iurisdictionem consequitur. *arg. l. 2. D. de iurisdict. om. Iud.* prout etiam parochiale beneficium censetur esse, quod vicariam curam sibi incumbentem habet, & ad supplendas parochi vices tenetur. cuius adeoque possessor etiam eo ipso, quo instituitur, approbationem & iurisdictionem nanciscitur censendus. vtique in suos iurisdictionē: approbatio autem tum parochi, tum vice-parochi etiam quoad eos prodest, qui confessarium approbatum possunt eligere, vel priuilegio speciali, vel generali Iubilæi, aut simili. sed an extra parochiam an per totam ciuitatem, imò diœcesim approbantis? controuertitur: & verius est, respectu priuilegij pontificij, per totam diœcesim probantis eligi posse. magis dubium, an parochus alterius parochiæ illi vices suas possit committere; cùm institutio beneficij non videatur inferre vniuersalem approbationem, sed magis localem. *citati à Barbos. in Collect. DD. ad Conc. Trid. ad d. c. 15. s. 25. n. 19.* quare post dimissum beneficium rursus respectu pontificij priuilegij approbatum manere etiam verius est parochum quondam & vice-parochum. quin etiam vt à successore deputari possit eo loco; sed non alibi. *ibid. n. 17. & 21. & seqq.* indeterminata autem approbatio per totam diœcesim approbantis porrigitur.

4. Superiores multò magis comprehenduntur decreto c. 15. s. 23. Trid.

Multò magis parochiale beneficium censetur habere ipse Episcopus: cuius diœcesim canones sæpe eius parochiam vocant; pœnitentiarius diœcesanus; & cuicumque annexa est actualis cura animarum, non habitu vtique, sed exercitio prædita.

5. Reipsa idoneus sine censura Episcopi non reputatur approbatus.

Regulares prælati iurisdictionem etiam habent in suos omnes, totamque familiam. ideoque & equites S. Ioannis Hierosolymitani, qui veri religiosi sunt, suis superioribus confiteri possunt.

Qui beneficium non habet, sine approbatione nullus idoneus reputatur; quamuis notorietate facti, & doctrina, & moribus, & prudentia sit idoneus. exigit enim Concilium pro sacra ecclesiæ politia ipsius Episcopi censuram. quod tamen & ad ipsius vicarium extendi receptum est: & ad Capitulum Sede vacante; & Archiepiscopum suffraganei diœcesim visitantem; aliosque qui quasi Episcopalem habent iurisdictionem. vtique quam spectat d. c. 15.

6. Censura vt restringitur intra territorij approbantis.

Adeoque & restringitur approbatio intra territorium approbantis. extra illud approbantis subditus an confiteri possit approbato? referunt decisum negatiuè. quamuis parochiale beneficium habens, etiam foris suos audire possit. vt generaliter voluntaria iurisdictio extra territorium exerceri. quare & negant licere Episcopo eligere

confessarium non subditum, si extra diœcesim confiteatur, ab illius diœcesano non approbatum. quod etiam deroget d. c. 15. priuilegijs. quod tamen durum videtur, cùm Episcopis eiusmodi electio permittatur *à c. fin. de pœnit. & remiss.* idque non tam priuilegium quàm ius commune videatur, cùm Corpori iuris insertum est: subiungiturque tanquam exceptio d. c. omnis: quod iubet quemlibet confiteri suo superiori. vt huiusmodi exceptio non aduersari videatur d. c. 15. cùm d. c. fin. etiam deferat censuram Episcopo eligenti an prouidus sit, & discretus ille, quem elegerit: & incommodum, ob quod illa electio Episcopis concessa est, redire possit per huiusmodi restrictionem: & priuilegia ferè communiter ea nominentur, quæ extra corpus iuris vagantur; & quæ speciali iure constituta sunt, speciali nota egere videantur, vt reuocata censeantur. Omitto quod d. c. 15. regularibus permittit non approbato ab Ordinario confiteri; Episcopus autē sit in gradu perfectiori quàm regularis: ideoque id ei magis permissum videri debeat. & idem c. 15. cùm extendit se ad sacerdotes: clarè, non loquitur de Episcopis. tempore tamen iubilæi, cuius verba seruanda sunt, quodque dum iubet confiteri approbato ab Ordinario, videtur & tali vti debere Episcopus, Zerola *in prax. V. Absolut. q.* 12. *p.* 2. *post. Nauar.*

7. Quid de electione Episcopis iure concessa.

8. Examen Episcopi nemo subterfugit.

Examen Episcopi exigit Concilium. adeo vt illud nemo possit subterfugere, quamuis palam idoneus: si quidem Episcopo necessarium videatur: aut, illius gnarus satis, perperam illud exigat, & iniustè approbationē neget. Mendicantes tamen à superioribus *secundum clem. dudum de sepult.* præsentatos, & iniustè reiectos ab Episcopo, nancisci à Pontifice seu iure ipso approbationem & iurisdictionem, est verisimile: ex iis quæ mox de Episcopo diximus: vt facultati, iure d. clementinæ competenti, in casum iniustæ recusationis, derogatum non censeatur. etsi consultum hodie non sit eo priuilegio vti, ob Conc. Trid. *s.* 5. *c.* 2. *Vt de quæ diximus in consuet. can. de priuil. cons.* 5. quamquā expresse prohibitus obedire teneatur: vt ibi diximus: & à prohibito videri possit differre recusatus dumtaxat.

9. Mendicantes præsentati iniustè reiecti an iure clementinæ dudū hodie vtantur.

Approbationem verè obtinere satis est: quamuis sine scriptis. cùm illa non exigat Concilium. etsi alicubi decreta synodalia pro certiori politia illa exigant. verè, dixi: quia si Episcopus tantùm dicis causa approbet, quem credit inidoneum; approbatus non potest censeri. *plus valet, quod agitur, quam quod simulatè concipitur.* sitamen quamuis molestiæ vitandæ causa probet, etsi sic approbans peccet; reuera tamen valet probatio, & actus ab eo gestus. quia ecclesia non iudicat de occultis, sed sequitur palam gesta.

10. Approbatio sine scriptis sufficit.

Et nuda quidem approbatio decreto d. c. 15. satisfacit, non tamen tribuit iurisdictionem: si non ea mens sit approbantis. cui nuda approbatio tribuitur, de consensu parochi audire potest confessiones: cui insuper iurisdictio, etiam sine illius assensu. approbatio & iurisdictio perpetua est, &, vt gratia, non exspirat per mortem concedentis: dum satisfactum est semel decreto d. c. 15. quantisper non reuocatur. ideoque approbatus, qui aliò migrauit, & reuersus est; noua approbatione non eget. agimus autem de approbatione simplici. nam ad tempus data per illius lapsum exspirat: ad certum genus personarum; ad aliud non extenditur: loco circumscripta; illius terminos non excedit: indeterminata ad moniales non porrigitur *ex constitutione Gregorij XV. inc. inscrut.* quæ specialem exigit approbationem. simplicem dare debet Episcopus simpliciter

11. Approbatio, & iurisdictio conceditur vt distat?

pliciter idoneo: vt decretum loquitur simpliciter: iurisdictionem dare non tenetur, nisi cui placitum fuerit: salua d. clementina *dudum*, & ratione cap. fin. *X. de off. Archipres. in verb. quia & si valde idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur, vt satisfiat plebi: & in nullo titubet ecclesiastica solicitudo*: & Concilij *Trid. s. 21. c. 4. in verb. sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda*. &c.

12. Nulla priuilegia aut consuetudines d. c. 15. tollunt.

Necessitati examinis & approbationis non obstare Concilium voluit priuilegium, vel quamcumque consuetudinem, etiam immemorialem. quare abrogata est illa, qua olim quilibet sacerdotes sibi inuicem confitebantur, vel parochi non approbatos substituebant: quod vsus multorum sæculorum receperat. priuilegia autem, præsertim in corpore iuris non clausa, etiam abrogata sunt, in corpore iuris clausa, iura magis hodie videntur & exceptiones, adeoque partes legum, quàm priuilegia. *vt diximus*.

13. Approbatus regularis & quoad moniales quis?

Quoad regulares diximus per d. c. 15. nihil mutatum: vt probatione Episcopi non egeant, nisi confessarij monialium. Itaque illorũ respectu probatus censendus est, qui illis, vt oportet, designatus est à superioribus regularibus. quippe illorum Ordinarijs. monialium tamen respectu videtur dicendum requiri approbatum ab Episcopo, vt diximus, ob constitutionem Gregorij XV. *incip. inscrutabili*. quamuis enim vsu recepta vbique ea nondum sit, ita vt vbique obliget; tamen, quia Pontifici integrum est modum præscribere liberalitati suæ, quem velit: & eadem constitutio velit omnes monialium confessarios ab Episcopis esse probatos, verisimile est Pontificem Iubilæum concedentem, loqui quoad moniales de huiusmodi approbatione. *arg. c. solite. §. verum. X. de maior. & obed.* Imò referunt declarasse Clementem VIII. vigore electionis per Iubilæum concessæ, non posse à regularibus aliquem eligi approbatum non eiusdem Ordinis. *De his omnibus citatis à Barbosa in Collectan. ad Concil. Trid. d. c. 15. s. 23.*

14. Electio confessarij an iterabilis ex iubilæo.

An autem durante Iubilæi tempore iterari electio confessarij, & bis obtineri gratia Iubiæi possit? negatiuè responsum dicitur à Clemente VIII. & S. Congregatione. sed quantisper de eo authenticè non liquet, si non potest bis confessarium probatum quis eligere, & opera præscripta explendo bis Jubilæum consequi: saltem est certum semel posse efficacius. *c. 1. de panit. & remiss. in extrauag. commun.* vbi Bonnacius VIII. post opera præscripta, & concessionem Iubilæi, *vnusquisque tamen*, inquit, *plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui basilicas ipsas amplius & deuotius frequentabit. vid. Vianam. p. 1. t. 12. r. 31. & p. 2. tract. 3. r. 49. & vbi sup. & p. 5. tr. 12. resol. 28.* & verius in rigore dicendum videtur Jubilæi concessionem disiunctiuè pro vnâ vel altera septimana concessam, vna optione consumi. *l. apud. D. de opt. legat.* Qui semel in iubilæo confessus recordatur peccati reseruati omissi, ab eo potest absolui. quia posterior confessio est perfectio primæ, & reseruatio semel sublata est per confessionem primam. *Zerol. in prax. V. Absolutio. c. 7. p. 2.*

RESPONSVM V.

De altari priuilegiato.

1. An quælibet missa ad priuilegij effectũ legi possit?

QVando illud conceditur, & præscribitur vt missa legatur *de requiem*, conditio implenda omnino est. *Nauarr. de pœnit. & remiss. conf. 38. arg. legis cui fundus D. de condit. & demonst. & per text. extrauag. vnigenit. de pœn. & remiss.* dum non præscribitur; satis est illam

lam dici de Sancto, vel de tempore. *Nauarr. de pœnit. & remiss. cons.* 37. si intentio est suffragari defunctis.

2. De numero missarū expressarū.

Conditio priuilegio adscripta, *dummodo in ea ecclesia quindecim missæ quotidie celebrentur*, non deficit si quando contingat non tot celebrari fortuitò, non communiter. quippe hæc accipienda sunt moraliter, vt frequentiùs accidunt. *l.* 3. 4. 5. 6. *D. de leg.* nam alioquin nullibi obtinerent. cum feria 5. cœnę Domini, & sabbatho sancto vnica tantùm debeat fieri missa, & in parasceue non fiat consecratio.

3. De clausula, sacerdos eiusdem ecclesiæ.

Verba hæc; *vt quandocumque sacerdos eiusdem ecclesiæ dumtaxat ad ipsum altare celebrabit* &c. *anima indulgentiam consequatur*: in proprio sensu accipienda sunt. vt, quamuis religiosi istius Ordinis hospites subijciantur superiori loci, vt ab eo corrigi, & absolui etiam à reseruatis possint; non tamen hanc indulgentiam consequi. quia sacerdotes non sunt istius ecclesiæ; seu ad ibi residendum à superioribus destinati, capaces electionis, & similium actuum, qui religiosis istius conuentus proprij sunt. frustra alioquin adiecta fuisset restrictio.

4. Similis priuilegij negatiua.

Hæc autem verba; *simili ad præsens priuilegio minimè decorata*, an subreptitiam faciant gratiam, cùm nondum finitū esset septennium, ad quod iam ante simile priuilegium erat concessum, satis dubia videntur. quamuis enim significatum dicatur quando aliud priuilegium esset datum, & intelligi ex eo posset nondum esset finitum; solent tamen frequenter formularij solicitatores, libellos ad se missos mutare, secundùm verba priuilegijs inseri solita: & quamuis etiam dici possit ecclesiam non habere priuilegium pro eo tempore, quo petebatur; non tamen sensus ille obuius est, nec solent eum intellectum illa verba communiter generare; secundùm quem intelligenda videntur. *arg. c.* 7. *X. de sponsa.* eoque magis est dubius, quod, etsi quidam indulgentias existiment, vt fauores ampliandas; tamen alij *vt Nauarr. d. cons.* 38. censent strictè esse interpretandas. *arg. c.* 1. *X. de priuil. post gloss.* quam dicit receptam, & rursus *cons.* 35. *n.* 3. quippe tanquam dispensationes, eoque strictè accipiendas. ideoque securum non videtur eas sine alio Pontificis beneplacito publicare.

Dubiæ etiam huic clausulæ, *volumus quod si in dicta ecclesia alia indulgentiæ perpetuò vel ad tempus nondum elapsum duraturæ, concessæ sunt, præsentes nullæ sint*, diuersi intellectus dabantur. eoque iussit Vrbanus VIII. an. 1642. dubij tollendi causa addi hæc verba, *in quocumque anni die d. ecclesiam siue capellam aut altare in ea situm visitantibus perpetuò vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, præsentes nullæ sint*

Dubiæ clausulæ temporis præteriti.

Vbi etiam animaduertenda sunt illa verba, *ad tempus nondum elapsum*, quippe videntur pro ijs, quæ de septennio supra dicta sunt, arguere: lapsi septennij intellectum, tribuere eundem, qui hic exprimitur verbis, *ad tempus nondum elapsum duraturæ.*

6. Septennio

Iterum hæc verba; *præsentibus ad septennium tantum duraturis*: quamuis publicari non possint sine Ordinarij licentia, *Conc. Trid. s.* 21. *c.* 9. & sic computandum videri possit septennium à die publicationis, cùm alias obtineri non posset indulgentia per septennium, præsertim in remotis partibus; quod tamen velle videtur concedens: nihilominus securum illud non videtur. per rationem d. *c.* 7. *X. de sponsa.* mens Pontificis expressa est, ne valeant vltra septennium: vt totum illud expleant, expressa non est. vt neq; ne qua fiat interruptio inter primi & secundi septennij priuilegium, incongruum non est animaduerti interruptionem, vbi voluntas est ne sit perpetua; sed tantum septennali: & propterea in

ciuntur; *à die publicationis.*

De sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti.

RESPONSVM I.

Non facile consulendæ censuræ, sed circumspectè; & non nisi in extrema necessitate, cùm sperantur probabiliter profuturæ.

CVm assessorum officium sit recta consilia Iudicibus, quibus assident, dare; *l.8. D.l.3. C.de off. assessor.* alioquin de imperitia teneantur: *l.2. D. quod quisque iur.* malè gloriatur assessor quidquid seuerè actum est, se authore à Prelato T. esse decretum: peius queritur omissa quædã consilia, quasi iuxta mortem acerba, aduersus quosdam regulares, de competentia iurisdictionis cum illo litigantes: pessimèque adeo illum instigat vt eos fulmine anathematis feriat; dirisque omnibus deuotos, publicis programmatibus promulget. rectius D. Benedictus *in Reg.c.27. De Superiore, nouerit*, inquit, *infirmarũ se suscepisse curam animarum, non super sanas tyrannidem.* Sic inter cætera D. Pauli ad Timotheum episcopalia monita & illud refertur; oportet Episcopũ non esse percussorem; non litigiosum *: ep. 1.c.3.ep.2.c.4.* arguere, obsecrare, increpare; sed *in omni patientia.* quæ Gratianus *dist. 45. 46. 90.* per sanctorum sententias deducit: & Concil. Trid. *s.13.c.1.* fere contrahit: vt *Episcopi pastores se non percussores esse meminerint: atque ita præesse suis subditis oportere, vt non in ijs dominentur; sed illos tanquam filios & fratres diligant: elaborentq; vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant: ne vbi deliquerint debitis eos pœnis coërcere cogantur. quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli ab eis est seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia. cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas; plus exhortatio quàm comminatio; plus charitas quàm potestas. quatenus*, inquit Gregorius *c.4. dist. 45. per spiritum charitatis & pacis omnis materia scandalorum, & præsumptio inuidorum, atque oppressio simplicium fratrum, de Ecclesijs Domini auferantur.* Hi, inquit Leo *c.6. dist. 45. qui quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi; facilè ab hac lege discernuntur, & dum dominari magis, quàm subditis consulere quærunt; placet honor, instat superbia, & quod prouisum est ad cõcordiam tendit ad noxam.* quare *ibidem c.8.* ex Concilio Braccarensi, seu quodam sapiente, *Leuiter*, inquit, *castigatus reuerentiam exhibet castiganti; asperitatis autem nimiæ increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem: vera iustitia compassionem habet; falsa dedignationem. Ibid. c.15. talis loquela non illuminat cæcum; non sanat ægrotum, non curat infirmum: sed magis occidit, & in desperationem periclitantem mittit. boni etenim rectores magis per humilitatis & mansuetudinis leuamentum student peccantes ab erroris laqueo eruere; quàm per austeritatem in foueam perditionis nutantes propellere.* His applicat Gregorius *dist. 46. c.1.* illud Prophetæ; *vos autem cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. cum austeritate & potentia imperant, qui subditos suos non tranquillè ratiocinando corrigere; sed asperè inflectere dominando festinant.*

De ciuili quęstione agitur; maioritate & obedientia; iurisdictione, subiectione, atque exemptione: eoque assessor instigare prælatum debebat, ad amicam, tranquillamque disceptationem: iuxta c.cùm *persone de priuileg.in 6.* non ferro armare, & fulmine, atque ira perpetua aduersus appellantes: quin suggerere monitum

Con-

1. Assessor rectè consulere debet ne de imperitia teneatur.

2. Pastores non percussores vt Prælati esse debeãt.

3. Adsit charitas, absit simplicium fratrum oppressio.

4. Vt præsit castigatio lenis.

5. Sine austeritate.

6. Sine indignatione repetitum examen per appellationem.

Concilij Sardicensis conueniebat: *Episcopus*, inquit, *qui aut iustè aut iniustè aliquem eiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vt vel probetur sententia eius à pluribus; vel emendetur:* solus enim Deus impeccabilis est, & errare non potest: & Innocentij, *graue*, inquit, *non oportet videri cuiuscumque retractari iudicium, quia veritas exagitata sepiùs magis solet descire in luce, & pernicies reuocata in iudicium grauiùs & sine penitentia condemnatur. nam fructus diuinus est iustitiam sapius recensere. c. graue. 35. q. 9.*

7. Sobriè & circumspectè.

Quamuis autem excommunicatio sit neruus ecclesiasticæ disciplinæ; sobriè tamen magnáque circumspectione exerendus est, cùm experientia doceat, si temerè incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm salutem. *Trid. s. 25. c. 3.* & propterea circumspicere vndequaque oportet quem finem apparenter sit habitura; obedientiam, & medelam, an contemptum, & venenum. *c. nemo episcoporum. 11. q. 3.*

8. Ob crimen indubiè mortale.

Adde excommunicationem non nisi ob crimen mortale posse infligi. *d. c. nemo. c. nullus 11. q. 3.* in hac autem causa classicos esse authores, qui id, ob quod excommunicandi ferent, volunt licere. ideoque probabilitas huiusmodi opinionis excusabit errantes à mortali. adeoque malè Prælato consulitur, vt ad excommunicationem procedat, consilia lenia errantibus, seuera contumacibus debentur; qui scientes, prudentes insurgunt aduersus indubitatos superiores. expendendū etiam est calamus quassatum confringendum non esse; lignum fumigans non extinguendum; & illud Dauidis, *virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Baculus pastoralis non propter pastorem datur; sed propter oues. vt errantes in rectam viam cogat; non vt dispergat; sed colligat, quod quamdiu sperari potest, quod confractum est alligare, nō vrere & secare bonus pastor debet. ideoq; Origenes *homil. 12. in Matthæū* de principatu Episcopi, *in dilectione*, inquit, *subditorum est positus, non in timore corporali.* & Leo *epist. 89. c. 5.* de excommunicatione ait, quod *ad indignā. tiū Sacerdotis arbitrium fieri non debeat; quod in magni reatus vltionem inuitus & dolens debet inferre animus vindicantis. iudicare dignè nequeunt, qui in subditorum causis suum vel odium, vel gratiam sequuntur. c. iudicare. 11. q. 3. imò ligandi facultate se priuant, qui hanc pro suis voluntatibus, & non subditorum moribus exercent. c. ipse quid.* Quare Christus *Luc. 22.* Apostolos *instruens, Reges gentium*, inquit, *dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic.* Vbi Christus modum tradit, quo Prælati Ecclesiæ iurisdictionem exerceant. Vt, & si Reges dominentur in subditis, Prælati non dominentur in cleris: sed meminerint, vt sint serui seruorum Dei: forma facti gregis ex animo: vt non mox omnia errata vindicent; vt Reges & Magistratus gladium portant; sed arma sua in salutem dirigant, oues erraticas in humeros suos tollant; vt, quos dedit eis Pater, non perdant ex eis quemquam. In quam rem insignis locus est Chrysostomi *lib. 2. de Sacerd. equidem*, inquit, *complures recensere possem quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud; nisi quòd digna ab eis pœna, & qua peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & multam ipsam adhibere; sed tanquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus: ne quâ fiat, vt dum consuere vis, quod interruptum est, scissuram deteriorem facias: ac dum eum, qui lapsus est, erigere, atque emendare studes, casus ipse maior per te reddatur. & j Humanus enim animus post quam verecundiæ fines semel transire coactus est, in indolentiam dilabitur; iam autem*

neque

neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficijs mouetur.

Agnouit & Ouidius;

Cuando fieri quædam maior auidemus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Censet idem;

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Hæc tempora discernere boni iudicis, boni assessoris est. discretio mater virtutum est. D. Benedictus in Regula, c. 64. superiorem monet vt *in correptione prudenter agat*. eam prudentiam in quatuor constituit Haftenius *de quæst. mon. l. 8. t. 2. d. 5.* quos, quamobrem, quando, & quomodo corripiat. eaque explicat. & quo prudentius & circumspectius procedatur in re summi momẽti, vt est excommunicatio; quod exigit Cõcilium *Trid. d. c. 3.* iam olim à Concilio Carthaginensi 4. constitutum fuerat, vt Episcopus consilium suorum sacerdotum adhiberet: alioquin irrita esset sententia. *c. si Episcopus. 15. q. 7.* etsi verò consuetudo valeat, vt Episcopus non in omnibus adhibeat Capituli sui consensum; *c. 2. de consuet. in 6.* tamen in tanto negotio matura circumspectione opus est; & ibi salus, vbi consilium.

De clerici percussore, compotatore, incensuram incidisse declarato, denuntiato.

RESPONSVM I.

1. An contumax aut negligens probare exceptionem, possit declarari incidisse in

Alt sententia, excommunicationis incursæ declaratoria; reum secluſum à probatione. Et quidem excommunicatio ab homine plerumque ob contumaciã delinquentis fertur. *c. cum non ab homine. & ibi gloss. X. de iud. c. reprehensibilis. X. de appell.* eoque trinæ monitiones prærequiruntur. *c. constitutionem. de sent. excommun. in 6.* sed canonis excommunicatio ex secuta cõtumacia mutationem nullam accipit, sed oritur ex ipso facto; v. g. iniectionis manuum violentarum: quæ si vera non sit; secuta contumacia veram non facit: non ergo Judex poterit procedere ad declarationem talis veritatis; nisi sibi constiterit dẽ veritate; non de contumacia. potest quidem ob contumaciã excommunicare; saluo hodie decreto d. c. 3. s. 25. Trid. non potest declarare incidisse in d. canonẽ, qui non reipsa inciderit. longè distat, quæ ex canone incurritur; & quæ ob contumaciam infligitur excommunicatio: reseruata illa est Papæ; ab hac ipse Iudex potest absoluere.

canonem signis suadente?

Oportuit ergo antè Judicem cuncta rimari. *c. iudicantem. 30. q. 5.* & rei gestæ etiam ex officio inquirere veritatem. *Clem. sæpe de verb. signif. verb. non sic tamen vers. interrogabit etiam. c. oblatæ. §. superior. in verb. neutro prosequente, vt periculum euitetur. X. de appell.* & specialiter in materia excommunicationis Judicem ex officio debere defectum supplere deciditur *in c. exceptionem. X. de excep. Vid. l. si non defendantur. D. de pœn. in v. & qui cognoscit, debebit de innocentia eorum quærere.*

2. In factum iudex inquirere etiam ex officio debet quando ex facto incursam censuram vult declarare.

Cùm ergo exceptum fuerit, id quod factum est, non ad iniuriam inferendam actum esse; sed vim depellendam, aut præueniendam eius, qui consueuit & cultris, & gladio, & bombarda in alios insilire; ad eumque magis procul à corpore rei, ne & in illum insiliret, remouendum; (quæ prouida est defensio, & sub canonem *si quis suadente. 17. q. 4.* non cadit) seu aliàs, non suadente diabolo, sed alio motu; si volebat Iudex ad declarationem canonis procedere, ac denuntiationem; debebat

3. Eoque & in exceptionem non suadente diabolo percussionem factã esse.

etiam ex officio super exceptionis veritate se informare; ac testes audire. sicut dicitur constare debere de corpore delicti, antequam reus, etiam confessus, damnetur. *l. 1. §. si quis vltro. D. de quæstion.* idque eo magis, quod, ex testibus contra reum productis, constiterit rem gestam esse in taberna publica; cum iurgio, seu iniuriosis verbis; &, quod etiam addit sententia, à potitante. Siquidem à loco, potu, iurgijs, acta ijsdem conformia iure præsumuntur. Et per mores quorundam Flādriæ locorū, vti vbi hæc gesta sunt, tam vehemēter; vt nulli cōtractus, in taberna initi, sola pœnitentia postridie solui non possint.

4. Præsertim in compotatoriis. Iniuriæ, iurgia, & pugnæ, ebrietatis effectus sunt in potitantibus, magis, quàm suasionis diaboli: cuius iam non sunt perfectè capaces. Symbolicè, inquit Malder. *in meditat. Theolog. diei 13. n. 6.* dicitur Noë quatuor animalium sanguinem miscuisse vitis, dum eam plantaret, radicibus simiæ, leonis, porci, & agni. Ebrij enim forma exteriori solùm sunt homines: aliqui instar simiarum ridiculi, & morliones; alij feroces, vt leones; alij lubrici, vt sues; alij denique pij, boni, blandi, vt agni.

Sic in vite latent simius, leo, porcus, & agnus.

Vini virtus enarratur 3. Esdræ c. 3. inter cætera; *seducit mentem*, item, *Regis & orphani reddit mentem vanam.* & *ĩ & non meminit regem, & magistratum*: & *ĩ & cùm à vino merserint & surrexerint, non meminerunt, quæ gesserunt.*

5. Ex quibus circumstātijs pendet declaratio. Igitur an excommunicatus sit, percussor clerici, pēdet à circumstātia, seu causa: an suadēte diabolo, an Baccho percusserit. *d. c. siquis suadente. 17. q. 4.* an seducta & vana mente, quando iam magistratus, aut clerici persona non distinguitur: quando surgunt iræ, & pauper cornua sumit. an instructionis, an defensionis causa: *c. 2. & 10. X. de sent. excomm.* an subito motu, iusto dolore, affectus iniuria. *Vide Nauarr. in Manual. c. 27. n. 75. & seqq. n. 80. & seqq. Marc. Ant. Gen. in prax. c. 24. n. 9. DD. passim:* irritatione percussoris, seu inuitatione ad illum percutiendum, vt hîc sub his verbis; *percute, si audes*; & similibus, quæ potiùs ipsum percussum irretirent, quia incidit etiam in canonem clericus, qui suadente diabolo seipsum percutit. *Vid. Nauarr. in Man. c. 27. n. 75. & seqq.* adeoque & qui mandat *Nauarr. ibid.* seipsum suadente diabolo percuti, nisi hæc verba ea mente proferantur, vt contineant monitionem cōsiderationis, qualitatis personæ sacrosanctæ, & tangi prohibitæ; eoque sono dicantur; vt non iurgantis; sed monentis vocem habeant.

Præter hæc allegauerat reus, (vt piarum mentium est timere culpam etiam vbi culpa non est) se sacerdoti, facultatem à sede Sede Apostolica habenti, confessum, & ab eo absolutum esse: idque illius syngraphâ docuerat. 6. Qui à percussore in foro conscientiæ absolutus, & eundo à iudice sæculari præmunitus

Verum quidem est acta in foro conscientiæ non præiudicare foro externo; & propterea in hoc non prodesse absolutionem etiam ex vi Iubilæi in foro pœnitentiæ obtentam tradit Conarr. *in c. alma mater. §. 11. n. 16.* ad tollendos effectus fori iudicialis, inquisitionē Iudicis, aut accusationem partis, aliosque: *plureſque citat Zerola prax. p. 1. v. absolutio. q 2.* at verò cum foro pœnitentiæ satisfactum esse constat; si in externo vlteriùs agatur, spectandus est admodum finis, quo vergat externa hæc actio. *cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis: disciplinans, non eradicans. dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat: cautè prouideat Iudex ecclesiasticus, vt in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis.* ita Concilium œcumenicum sub Innocentio *IV. c. 1. X. de sent. excōmun. in 6.* ita & Paulus

lus 1. *Cor. c.* 5. incestuosum excõmunicandum tensuit: *vt spiritus, inquit, saluus fiat.* at hic in reo non est contumacia erga Ecclesiam, aut contemptus: quinimo probauit se recurrisse ad claues Ecclesiæ, renuntiasse diabolo, reconciliatum se Christo, quatenus culpa subesse poterat; ac reconciliationem publicam fecit, eam producendo in iudicio.

At inquies opus esse exemplo: vt sciat populus punitum esse delictum: eoque spectare publica iudicia; & excommunicationem ad continendos in disciplina populos salutarem. *d. c.* 3. *s.* 25. *Trid.* eoque ait Couarr. *in rubric. d c. alma n.* 13. medicinam esse excommunicationem, cùm saltem populus remedium per eam capiet: sed casum non proponit Couarr: cum iam per Iudicem sæcularem præuentione ad vindictam agitur, & cui sic absolutus, tamen si reus deprehendatur, pœnas dabit.

7. An saltem denuntiatio tunc conueniat.

Ait sententia, eum pro tali denuntiandum esse, promulgari per parochias excommunicationes & excommunicatorũ nomina exigit. *c. debent* 11. *q.* 3. sed cui nunc bono aut medicinæ? cum neque populus satis hîc capit quomodo ad Dominum reuersus, Christi & ecclesiæ membrum iterum factus, è diaboli potestate assertus, iterum diabolo traditus declaretur? is enim dicitur effectus excommunicationis. *c. omnis christianus.* 11. *q.* 3 quia, inquit, ibid. Augustinus, *extra ecclesiam diabolus est; sicut in ecclesia Christus: ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur.* non satis capit vulgus distantiam vtriusque fori. liquidis exemplis opus est pro institutione vulgi, & disciplina.

Sed hîc priuatim iam emendato, confesso & absoluto, denuntiatio hæc medicinalis non apparet; neque populo, vindictam à Iudice qui præuenit, exspectanti; neque consistentiam absolutionis sacramentalis, cum hac denuntiatione, satis capienti, vtilis: neque ad vitationẽ necessaria: cùm denuntiẽtur hîc hodie tam pauci ex multis, qui excõmunicationes à re latas notoriè incurrunt. Vt finis medicinalis ac salutaris satis hic deprehendi non videatur; seu quod ea denuntiatio ad finem dumtaxat ab ecclesia propositum dirigatur. Sic Marc. Anton. *Gen. in praxi. c.* 27. ait Neapoli obseruari, vt in foro conscientiæ absolutus non inquietetur in iudiciali: neq; tum considerari publicam vtilitatem *post Nauarr. & Henriquez.* præsertim vbi pars non instat, sed iudex agit ex officio, seu promotor, qui hîc in illud quoad inquisitionem subrogatur. Quod multo maximè obtinere debet, cùm & iudex secularis criminis vindictam pro populo est curaturus.

Sanè D. Paulus, postquam incestuosum illum Corinthium, quem *ep.* 1. *ad Cor. c.* 5. excõmunicatione terruerat, cũ *ep.* 2. *c.* 2. correctum cognouit, Corinthios ipse hortatur, vt ei condonent, & consolentur: *ne forte*, inquit, *abundantiori tristitia absorbeatur*: & iterum; *obsecro vos, vt confirmetis in illum charitatem.* non aggrauauit censuram aduersus iam pœnitentem.

8. Et quali modo?

Sed & Couarr. *in d. rubric. n.* 13. admittit tum non esse procedendum ad excõmunicationem; cùm excommunicatus non ad pœnitentiam conuertetur verisimiliter, sed indurabitur. *per c. proæst. vers. quod si* 23. *q.* 5. Vbi & causa additur, quia *& plectendo & ignoscendo hoc solum benè agitur, vt vita hominum corrigatur.* & iterum, *siue seueritate, siue lenitate non nisi officium dilectionis impleatur.* hæc tantùm spectari hîc, nec reus, nec vulgus capiet, præsertim cùm, negligẽte causam procuratore, nec monitus quidem semel sit reus, vt culpam agnosceret, aut emendaret; aut se de contumacia aut crimine purgaret; exceptionémue, qua innocens

cens haberetur, probaret: cùm securus ipse iuxta vxorem audiret concionem, sub qua anathema illud denûtiabatur. non sic medici suos ægris potiones propinant. magis austerè imperãtis speciem hæc habere, quàm comparientis vulgo videntur; & fortè magis perniciem parere, quàm salutem. quo respici imprimis desiderat Concilium *Trid. d. c. 3. s. 25. vera iustitia compassionem habet: falsa dedignationem. c. 15. dist. 45.*

5. Cum verè iucursa non est, recte appellatur, & quo effectu?

Rectè ergo mox à tempore denotitiæ appellauit denuntiatus à declaratoria, à qua cadit appellatio; quæ omnia suspendit, cùm excessus, vt hic, non est notorius. *c. peruenit. X. de appell.* eoque retro redigit irrita, quæ medio inter sententiam & legitimam appellationem tempore acta sunt. *c. non solum de appell. in 6.* quamuis lata ab homine non suspenditur, sed executionem secum trahit, & promulgari potest. *c. pastoralis §. verum X. de appell.* & timenda est, quamuis ob nimium rigorem multum habeat ex iniquo. *c. quibus. c. si Episcopus. 11. q. 3.* sed an etiam nulliter lata? si intolerabilis in forma sit error, aut post appellationem lata sit, non obest. *c. per tuas 40. X. de sent. excomm. c. 46. X. de app. c. sacra X. de sent. exc. c. non debet 11. q. 3.* in alijs nullitatibus, vt etiã cùm sententia ex toto iniqua est, grauis inquisitionis est. *c. cui est. 11. q. 3. d. c. per tuas. vide late Marthã de iurisd. p. 3. c. 15. 14. 18.* & hodie per Sanctionem Clem. VIII. 1600. *incip. ad tollend.* nullitas declarari non potest, nisi auditis partibus, & causa cognita. *§. censuræ.* sed in *§. seqq. in eadem sanctione. §. absolutio in verb. cum dubitatur de nullitate; item si occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris* videtur nullitatẽ, quæ palam sit, non obstare; sed quæ dubia. neque mox notorium quid euadit ex actis: quia hoc tolleret distinctionem notorij, vel non notorij percussoris clerici appellantis. *in d. c. peruenit.* dixi rectè appellasse: quamuis procuratorem habuerit: quia res hæc est inæstimabilis, nec vnquam procurator soluendo; tunc autem concessa est appellatio. *Gail. lib. 1. obs. 45.*

De absolutione pœnitentiali.

RESPONSVM III.

1. In foro interno non prodeli Sacerdos in vim facultatis absolutionis similis data.

ABsolutio sacramentalis pœnitenti data à quibusdam casibus, & censuris reseruatis, in vim facultatum confessario concessarum, in foro externo tantùm suffragatur: sed sic absolutus censurarum effectus patitur in foro exteriori. *Serola in prax. episcopal. p. 1. v. absolutio quæst. 2.* vbi multos allegat: & nominatim solemnia verba literis Iubilæi inseri solita, hæc; *in foro conscientiæ, aut pœnitentiali, tantum; & ad effectum consequendæ huiusmodi Iubilæum.* Sic & stylus est Curiæ Roman. vt in literis dispẽsationum matrimonialium, vbi interuenit incesta copula, Officiali, seu Ordinario mandetur, vt dispensandos in vtroque foro absoluat: in literis verò ad confessarium directis, dum impedimentum est occultum, vt pro foro conscientiæ tantùm absoluat, & dispenset: & vt post rem peractam literæ lacerentur, ne allegari possint aut prodesse in foro externo, secundùm hunc rigorem eadem dicẽda sunt de absolutione in mortis articulo data: quantũ est ex parte huiusmodi facultatum: quantum verò est ex parte iuris cõmunis, cõcedentis cuilibet sacerdoti moribundum absoluendi facultatem, nominatim in casu Canonis *si quis suadente*, ea tãquam publici iuris in vtroque foro obtinet: ac demum reincidit tantum ille; qui nõ paret iniunctis, quamprimum valetudine recuperata. *c. quod de his 26. X. de sent. excomm. c. eos. eod. in 6.* adeoque debet sic absolutus in casu d. canonis ad Romanam

2. Quid de data in mortis periculo?

manam Ecclesiam in persona peregrinationem suscipere, *d. c. de his in fin.* mandatum illius recepturus, & satisfacturus: *d. c. eos*, nisi fecerit; non euadet rigorem in foro externo; quin reputetur rursus incidisse. quia illa specialis, & liberior absoluendi facultas, non restricta ad formam facultatis absoluendi concessa sacerdoti cuilibet in mortis articulo, etsi mutare possit peregrinationem Romanam in aliam pœnitentiam: eaque imponere quæ Pœnitentiarius Romanus iniungeret agenda absoluto, non operatur, vt diximus, extra forum pœnitentiæ.

3. An si sic absolutus conualescens appellet reincidat?

Sed quid si per sententiam declaratus, & denuntiatus appellet post absolutionem, aut appellationem ante interpositam resumat; an dicetur reincidere? tanquam qui non pareat. præsumitur enim iniunxisse confessarius, quæ iure sunt iniungenda. adeoq; peregrinationem Romanam, ad suscipiendum mandata Ecclesiæ: cum quibus non videtur subsistere appellatio. at verò qui appellat, contendit se iniustè esse condemnatum: ideoque locum non esse canoni: & sententia sacramentalis inuito pœnitente non potest publicari: & fieri potest, vt casus fuerit iuris dubij, neque exactum à pœnitẽte ampliùs fuerit, quàm in genere, quod pareret mandatis ecclesiæ: iustis vtique: adeoque non teneatur ius suum relinquere indiscussum, vel non prosequi appellationem. qui autem iure suo vtitur, nemini dicitur facere iniuriam: ideoque nec qui prosequitur appellationem, in controuersia d. canonis permissam. *c. peruenit. X. de appell.* sed neque confessarius potest iniungere pœnitentiam publicam, nisi in publico crimine; & non inuitis. *c. pœnitentes. c. in capite. cum seqq. dist. 50. Trid. s. 24. c. 8.* dum ergo neque publicum est; & reseruatum appellans negat; quamuis aliquis esset excessus; argui non poterit in foro externo in excommunicationem recidisse; donec constiterit incidisse. quod finis appellationis docebit.

De absolutione ad cautelam.

RESPONSVM IV.

EXcommunicatus appellãs ad cautelam debet absolui, etiam antequam causa principalis incipiat cognosci. *c. pertuas 40. c. porrò. vbi gloss. X. de sent. excommunicat.* si causa appareat probabilis; quamuis nondum constet esse veram. *ibidem §. sed si & §. similiter gloss. & Ioan. Andreæ ibid.* & consonat *c. 16. X de appellat. d. c. 40.* etiam quamuis sententiam excommunicationis dicat esse nullam, & aduersarius se opponat. *c. solet de sent. excomm. in 6. gloss. ibid. in v. solet.* imò non obstante appellatione aduersarij *d. c. solet, & ibi gloss. de appellat: in 6. ne quis*, inquit, *in excommunicatione discedat, & in v. illud*, non obstante appellatione eius, qui excommunicauit, eademque glossa *in c. sacro 48. X. de sent. excommun.* propter periculum moræ addit quẽpiam subijci Iudici non suo: & *in c. 16. X. de pœnit. & remiss. in v. periculum* dari absolutionẽ statim, quæ aliâs non daretur. vt generatim, vbi periculum est in mora, à iuris regulis receditur. *l. 1. & in l. solet. D. de feriis. in l. de pupillo. §. si quis riuos. D. de noui oper. nunciat. cum alijs legatis ibidem.*

1. Qui olim daretur.

Cæterùm superuenit Sanctio Clementis VIII. 1600. super controuersijs iurisdictionalibus, quæ *ar. 14.* ita habet; *absolutio ad cautelam nõ nisi parte citata, & visis actis, (cum dubitatur de nullitate excõmunicationis ab homine prolatæ, vel à iure si occurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris) concedenda erit, tuncque ad tempus breue, cùm reincidentia; & præstita per excommunicatum cautione*

2. Quæ hodie requirantur.

de standō iuri, & parendo mandatis ecclesiæ tantum: &, si iuxta formam à iure præscriptam apparebit quem ob manifestam offensam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionē præstare; & si ob contumaciam manifestam, expensas pariter satisfacere, & cauere de iudicio sisti coram excommunicatore quis tenebitur, priusquam ad cautelam absoluatur. Vnde apparet ab illa sanctione additum esse non parum prioribus canonibus.

Sed quoniam decretum istud emanauit à S. Cōgreg Episcoporū non Cong. Regularium, non videtur spectare ad regulares. quod & iuuant verba proœmij *ad tollendas ambiguitates, & controuersias iurisdictionales.* Item art. 2. verba *Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Suffraganei:* ar. 3. *Nuncij, legati, Curiæ Ordinariorum, tribunalia,* &c. quæ non sunt vocabula regularium. adeoque nec d. art. 14. decreti ad eos videtur spectare quoad formam ibidem, pro absolutione ad cautelam, præscriptā. quōd & suadent verba ibidem *expensas pariter satisfacere,* &c. quæ non cadunt in regulares, non habentes proprium.

5. Deinde, esto in regularibus obtineat, & forma ibi præscripta seruata non sit; valet tamen absolutio. *c. 7. §. sanctio fin. de excomm. in 6.* quippe cum iure veterū canonū, quos mox citauimus, illa præscripta non sit; & hic adiecta non sit pœna nullitatis (quam Clemēs VIII. adeo oderat, vt omnes sustulerit *const. inc. litium* 1592. exceptis tribus ex defectu iurisdictionis, citationis, aut mandati nascētibus) à qua mente si recessisset, nullitatem vtique hīc adiecisset: vt fecit art. 6. ad conformitatem Concilij Trid. vt & hactenus plura in eodem decreto præscripta à regularibus non solent seruari. in quorum Capitulis neque hæc publicata est Sanctio. sed nec in regularibus labyrinthi litium, aut scrupulosus iuris ordo de iure seruatur. *c. qualiter in fin. X. de accus.*

Insuper sententia Commissarij infine restringitur *donec Generalis, Protector, vel Pontifex aliter ordinauerit, vel dispensauerit:* ideoq; etsi non fuisset nulla, expirasset aduenientе alia ordinatione aut dispensatione; & tamdiu solum obtineret. *l. fœminæ. D. de senator.* restrictio autem sententiæ nulla est; contrariam facti ordinationem, aut dispensationē contexēs; non ad formulas dicti Decreti Clementis VIII. reflectens. vt, etsi verbū *donec* acciperetur pro conditione; iam illa purificata haberetur.

Denique sententia illa notoriè est nulla ex defectu iurisdictionis, & citationis. ex ipsius enim tenore liquet, nec citationē, nec causę examinationem, nec acta vlla habita esse, & pronunciatum esse post lapsum semestris, in quod dumtaxat datus erat Commissarius; adeoque post finitam illius qualemcumq; iurisdictionem, in notorijs autem iuris solemnia non exiguntur. *Tuscus v. notorium. conc.* 110. 111. *& v. nullitas. conc.* 139. 140.

Porro idem ar. 14. partis citationem requirit, & actorum inspectionem, *cum dubitatur,* inquit, *de nullitate excommunicationis:* at hic nō potest esse dubitatio superipsa nullitate, quæ ex notorio defectu citationis, vt dictum est, & iurisdictionis liquet.

Enimuero loquimur de litibus, quæ inter Regulares coram superiori regulari disceptantur; quæ liberiori stylo omnino peragendæ sunt: non autem de ijs, quę ad Curias Ordinariorū delatæ sunt. quæ etsi summariè, & de plano expediantur; illi tamen decreto vt subsint, verba & ratio conuincunt.

RES-

RESPONSVM V.

De interdicto.

1. Non ferēdum nisi à iudice & modo cōpetente.

SVmma maturitate tractare Iudices oportet causas censurarum *c. 1. de sent. excomm. in 6. Trid. s. 24. c. 3.* & iuris ordine exactè seruato. *c. 1. de excess. prælat.* eoque inprimis inspicere, an sua sit iurisdictio. quia, vt generatim quod à non competenti Iudice fit, irritum est; ita & censura. *c. nullus 9. q. 6. c. reprehensibilis. X. de appell.* eoque non potest Ordinarius exemptos interdicere: nisi in casibus, quibus cessat exemptio. *c. cum dilectus X. de relig. domib. c. 1. de verb. sign. in 6.* huc etiam pertinet, vt sententia interdicti ab Episcopo proferatur intra suam diœcesim; quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur. *l. fin. D. de iurisdict. om. Iud.* perperam ergo nullitérque Bruxellis lata est sententia interdicti, ab Episcopo alterius diœcesis: & impunè non paretur. ea nullitas, cum in ipsa sententia euidenter appareat, appellatione non eget. *l. 1. §. item cum contra. D. quæ sententiæ sine appellatione rescindantur. l. vlt. C. si à non competenti Iud.* quomodo *in c. per tuas. X. de sent. excomm.* dicitur censuram nullam esse, cùm in literis intolerabilis error est expressus. vt est, cum Episcopus in illis exprimit latam illam esse in loco, qui non sit suæ diœcesis. eademque etiam hodie vires habet, non obstante Clementis VIII. constitutione de non attendendis nullitatibus. quoniam ad defectum iurisdictionis ea pertinet, ab illa exceptum.

2. Ex causa graui omnino.

Iterum rationabilem causam exigit. *c. 3. X. de Iud.* sed & grauissimam debere eam esse causam interdicti rectè tradit Miranda *in Manual. Prælat. p. 2. q. 37. a. & plures ab eo citati.* adeoq; debet esse liquida. *c. uemo Episcoporū 11. q. 3. in verb. certa & manifesta*: & quæ culpam mortalem contumacis contineat. *d. c. nemo. in verb. & non nisi pro mortali debet inponi crimine.* at hîc non alia causa adfertur, quam inobedientia; & abnegatio superioritatis; facta ab ijs, qui allegant priuilegio Apostolico se esse exēptos: quæ præiudicialis quæstio, dum doctorum virorum iudicia pro se habent, talis culpæ reos illos facere non potest: & priùs decidenda erat. nam *cum exceptione probata quæstio principalis perimatur, ante est cognoscendum de illa, quam ad definitionis articulum procedatur.* Ita Clemens III. *in c. 1. X. de ord. cognit.* quod in omnibus præiudicialibus causis obtinet. aliter agere *nihil aliud est, quam diuersis processibus intricare negotiū, & confusione quadam iudicij ordinem perturbare.* Ita Honorius III. *in c. tuam X. de ord. cognit.* \ bi rectè hanc adijcit ad Regem Francię monitionem; *donec iam dicta causa Apostolico iudicio finem accepyrit patienter exspectes.* multo magis eam patientiam Pontifex exegisset ab eo, cuius iurisdictio per priuilegia Apostolica controuertebatur, quæ exhiberi offerebantur? *iuxta c. cum personæ. de priuil. in 6.* eaque oblatione, & appellatione, ac suspecti recusatione reiecta progredi, quasi iam in causa sua sibi ius dicendo, *iuxta d. c. 3. de Iud.* rationabile dici non potest. *c peruenit. 11. q. 1. tit. C. vt nemo in sua causa ius dicat.* cùm etiam tam appellatio causam deuoluat ad superiorem; quam priuilegij quæstio Papæ reseruetur. *c. cum venissent. X. de iud.* eoque decisum est, irritum esse interdictum, quod vel aduersus priuilegium, vel post appellationem constiterit esse latum. *d. c. cum dilectus X. de religiosis dom. d. c. per tuas. X. de sent. excom.* adeoque & post recusationem. *Martha & ab eo citati de iurisd. l. 3. c. 14. n. 35.* quia donec decisa sit illius quæstio, æquiualet impedimento appellationis. *c. 13. X. de off. deleg.*

3. Ordine cognitionum seruato.

Porro

4. Concilium Trid. s. 25. c. 2. de reg. vt non det ordinarijs potestatem in exemptos.

Porro c. 12. s. 25. *de regular. Concil. Trid.* interdicendi facultatem nō tribuit Episcopo in exemptos; seu qui priuilegium habent ne interdici possint: neq; ad hunc casum pertinet, vt seruare illud teneantur, qui nulliter interdicti sunt: sed renouat ius commune *editum in Clem. 1. & 3. de sent. excomm.* sic vt tollat tantùm ea priuilegia, quæ simpliciter quibusdam regularibus permittebant interdicta non seruare: non illa, quæ certis tantum temporibus illa moderantur: aut suspendunt. *vt latè deducit Miranda vbi sup. art.* 12. & quomodo d. clementina 1. procedit. *cum moderatione*, inquit, *decretalis almæ*, quæ est Bonifacij VIII. *in c. vlt. de sent. excommun. in 6.* quæ priuilegiatos dies continet, quibus suspenditur interdictum, & postea resumitur. sicut & per priores canones, semel in septimana, ianuis clausis, interdictis exclusis, celebratio Missæ permittebatur. *c. permittimus. X. de sent. excomm.* & alias quædam sacramenta, & sacramentalia ministrari. *c. non est vobis. X. de spons. c. responso. X. de sent. excom. c. quod in te X. de pœnit. & remiss. c. quoniam eod. in 6.* & vt hæc iure concessa non impediunt, quo minùs iuxta d. c. 12. censuræ, & interdicta dicuntur seruari; neque per illud c. 12. sunt abrogata: ita dicendum est de priuilegijs regularium, non simpliciter illos ab interdicto absoluentibus; sed illud moderantibus tantum: ideoque quamuis c. vlt. *Conc. Trid. de regular.* deroget amplissimè contrarijs priuilegijs, aduersus decreta ab eodem Concilio de regularibus; tamen dicendum est illa non contrariari, & propter illa dici non posse interdicta non seruari: sed moderamen tantùm recipere, vt loquitur d clementina 1.

Ex quibus patet neutri partium d. c. 12. suffragari: non Ordinario; quia non tribuit authoritatem interdicendi exemptos: non regularibus, quia etsi abrogata non sint priuilegia ipsorum, secundùm sensum quem diximus, tamen quo casu Episcopus posset Iurisdictionem exercere in exemptos; si ipsimet interdicti sint, priuilegijs excluderentur: saluo d. c. alma mater, &c. *Nauarr. Manual. c.* 27. *n.* 180. 6. Finis cuius materiæ cum vi defic.

5. Quæ priuilegia tollat c. 12. ibid.

Cæterùm præter causam efficientem, atque materialem; de qua egimus; etiam finalis interdicti hic deficere videtur, est enim finis omnis censuræ, vt sit medicinalis *d. c. 1. de sent. ecc. in 6.* & quæ *ibidem* vlterius requiruntur: at in ea, quæ hic est, maioritatis & exemptionis quæstione, via interdicti non potest videri tendere ad medicinam: sed vel modus præscriptus d. c. cum *persona. c. peruenit.* 11. *q.* 1. vel d. c. 3. *X. de Iudic.* 7. Ex fine

Causa formalis interdicti, eatenus seruata est quidem; vt præmissa sit monitio trina, quamuis vnis literis per interualla dierum præscripta; si corticem inspiciamus: non tamen dicitur adhibita ea forma, quam desiderat ex sacris monitis Concilium Trid. sess. 23. c. 1. & singulatim *vers. vt illos arguant. &c. vers. cum sit diligentis &c.* imò cùm non de excessibus, & defectibus commissis, & corrigendis hîc sit actum; sed de iurisdictione ordinaria agnoscenda, & exercenda, & exemptione obiecta; in qua aliam formam præscribit d. c. cum *personæ, d. c. 1. de ord. cognit.* & post appellationem d. c. *dilectus*, & extra diœcesim. *d. l. fin.* liquet nec omnem formam esse seruatam; quam istæ rei circumstantiæ exigebant: eoque illis perspectis, & expensis; pluribus omnino ex causis interdictum, de quo agitur, nec ritè, nec rectè esse latum.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERVM NOTABILIORVM.

Abbas qui potest ordinare in minoribus suos regulares, an possit remittere interstitia? 17
Abbatum regimen monarchicum. 174.
Abbate mortuo an conuentus nouitios ad professionem recipiat? 174.
Abbates, decani, præpositi, presbyteri esse debet: dataque eis in subditos clauium potestas, sed an hac obedientiæ votiuæ rationem mutauit? 157. & seqq.
Abbatissa, quo sensu dicatur habere iurisdictionem? 157. & 160.
Abbatissæ Rom. Pont. immediatè subiectæ an confirmandæ ab Episcopis vt Apostolicæ Sedis delegatis per Concil. Trid. 14. An eis in eas tribuat iurisdictionem? 14.
Abbatiali Sede vacante, an Conuentus nouitios ad professionem admittat? 174.
Abbatissa solitæ benedici intra annum à confirmatione benedicenda. 14.
Abbatissæ non eligendæ iuuenculæ. 142.
Abbatissæ præsertim exemptæ à quo confirmãdæ, 14. Benedicendæ? 14. quid de subiectis immediatè Papæ? 14.
Abbatissa an ex clausura extrahi possit, ex causæ inobedictiæ & incorrigibilitatis? 144.
Abbatissa accusata, interim manet in regimine. 144.
Abbatissæ regimen an spirituale? 160.
Abbatissa in spiritualibus an superior esse possit? 153.
In Abbatissam an eligi possit corrupta. 142. & seqq. an electa cõsentire, 141. & confirmari, ibid. quæ Abbati competunt in regimine, quatenus eadem Abbatissæ? 160. 154.
Abbatissa vt non prædicare, sed conuentum priuatim hortari possit. 301. De absolutione penitentiali. 315. Quid de data in mortis articulo? 315. An si sit absolutus conualescens appellet, reincidat? 315. De absolutione ad cautelam, 316. Qui olim daretur, 316. Quæ hodie requirãtur, 316. In foro interno nõ externo prodest a sacerdote in vim Iubilæi aut similis facultatis data. 315. De interdicto, 318. Non ferendum, nisi à Iudice & modo competẽte, 318. Ex causa graui omnino, 318. Ordine cognitionũ seruato, 318. Concilium Trid. s. 24. c. 12. de regul. vt non det Ordinarijs potestatẽ in exemptos, 318. Quæ quoad priuilegia tollat c. 22. ibi. 318. Finis censura, medicina, ne desit, 319. aut forma, 319.
qui Accusare matrimonia possint, 228.
Accusatione superioris pendente, manet illi iurisdictio. 144.
Actus præsumitur alium præcessisse qui debet. 62.
Actus agentium non operantur vltra voluntatem. 136.
Actore non probante quãdo reus non simpliciter absolui, sed iureiurãdo onerari possit. 65.
Administratores monastici ad nutum amouibiles. 108.
de Aduocatis. 184. Aduocatiæius quo vsque se extendat, 184. & seqq. inalium transferri nequit contractu. 185. Aduocatia ecclesiarum Brabantiæ. 185. Subaduocatiæ quæ iura? 186.
Aduocatiæ an per Conc. Trid. sublatæ? 188. Aduocati Eccl. ne quid exigant, præter veteres reditus, 184. Non collectum, subiectionem, iurisdictionem, regium, albergarium, forium, fossatam, expeditionem, aut quoduis grauamen. 184. 185. Subaduocatia principum olim Ecclesiæ, & bona ab Episcopis subijciebantur. 187. Aduocatia eccl. 187. 188.
Adulterij confessio ex pacto. 68.
Adulterij indicia. 68.
Adulterium quomodo probetur ad effectum ciuilis causa, diuortij, dotis? 68.
Agnatus qui defuncti iudicium non accusat, legato non excidit. 298.
De altari priuilegiato. 309. An quælibet missa ad priuilegij effectum legi possit, 309. De numero missarum expressarum, 310. De clausula, sacer-dos eiusdem ecclesiæ. 310. Similis priuilegij negatiua. 310. Duratione temporis præscripti, 310. Septennio. 310.
Ambiguæ vocis significatio vt accipienda? 170.
Anarchia regularium vitanda. 150. 152.
de Annexis connexis. 9.
de Anno probationis, 138. annus probationis ad validam professionẽ & re ipsa facta probatio requiritur, 139. Debet esse continuus, ibid. Itẽ requiritur cõtinua habitus delatio, ibid. Annũ probationis an interrumpat longus morbus. 140. Anno probationis ante Trid. renuntiare licuit, 140. Anno probationis hodie renuntiari nequit. 42.
Annulus Prælati. 80.
Antiquitus statuta mutari non debent. 147. 151. 152.
Antiquitatis fauorabilis probatio. 134.
Antuerpienses extra Marchionatum in iudicio trahi non possunt. 54. Origo huius priuilegij. 55. An huic priuilegio renuntiari possit? 55. & seqq.

Apolo-

Apologeticum an appellanti vulgare licet. 78.
De Apostolis, eos petere negligens censetur appellationi renuntiasse. 77. An Apostolorum vsus obseruetur in praxi ciuilium tribunalium. 77.
ostoli vt petendi, probandi, vt detur rescriptum. 77.
Apostolorum neglectus omnino inducit appellationis desertionem. 77.
an Appellatione aut inhibitione suspēdatur sententia reuocatoria attentatorum? 71. & seqq. Appellarinon potest, an si à definitiua seu illius vim habente, aut per illā irreparabili. 72. & seqq. Appellari nō potest à sentētia noui operis attētati. 72. In appellationibus quid dicendum hodie, vt admittantur. 73. An appellatione & inhibitione non obstante Iudex progredi possit super reuocatione attētatorū, an superior causam principalē penes se retinere, saltem allegata nullitate. 74. An per appellationem ab interlocutoria vt est reuocatoria attētatorum, causa deuoluatur ad superiorem. 74. An appellari possit ab interlucatoria, quando deprehenditur nullitas, & excessus iudicis à quo. 74. & seqq. Appellare non licet in causis visitationis, aut correctionis morum. 75.
Appellationes ab interlocutoria non admittuntur nisi probabili causa expressa. 62.
Appellationi renuntiat, qui comparet coram Iudice à quo. 77. An appellanti quasi pro sua defensione apologeticum vulgare liceat. 78. Appellatio an semper executionem remoretur. 71. & quibus casibus non. 71.
Appellatione pendente quando innouare liceat. 71. 72. 73. 74. 75. 76.
Appellatio à Iudice incompetente. 11.
Appellatione non obstante quando fit executio. 71. 74. An in tali causa superior causam principalem retineat. 74.
Non appellatur à cōgruæ portionis taxa. 122.
Appellatio cessat in visitatione. 162.
Appellatio friuola. 162.
Appellatio friuola de incompetentia contemnenda. 12.
Appellatio friuola, aut lis, non aufert iurisdictionem. 138.
Appellans Iudici non debet conuiciari. 78.
de Appellantibus reis transmittendis. 77.
Approbatus ad audiendas confessiones sæcularium est, Beneficium parochiale aut ordinarij approbationem habens, quoad sæculares. 307. Quoad regulares deputatus à superiori reg. 307. Tale beneficiū, aut approbatio quousque se extendat? 307. Superiores multo magis comprehenduntur decreto. c. 15. s. 23. Trid. 307. Re ipsa idoneus sine censura Episcopi non reputatur approbatus, 307. Cēsura vt restringitur intra territoriū. approbantis. 307. Quid de electione Episcopis iure concessa. 308. Examen Episcopo nemo subterfugit. 308. Mendicantes præsentati iniustè reiecti an iure clementino dudum hodie vtantur. 308. Approbatio sufficit sine scriptis. 308. Approbatio & iurisdictionis concessio vt differant. 308. Nulla priuilegia aut consuetudines d. c. 15. tollunt. 309. Approbatus regularis & quoad moniales quis? 309.
de Approbatione sacerdotum, ad audiendas confessiones, & reprobatione, 298. Non approbatus non potest confessiones excipere sæcularium. 298. Nec hodie regularium mulierum. 298. De reuocatione Concilium non loquitur, sed de ea ex iure respondendum. 298. Quod vbi eam permittat. 298. Quid hodie de causa reuocandi statuerit sit ab Vrbano VIII. 298. Quæ interpretatio Cardinalium. 298. Non simul vnus loci omnes reuocari possunt. 299. Simpliciter idonei, sunt simpliciter approbandi. 299. Approbatio ad beneplacitum, vt sit intelligenda. 299. In exemptis functus officio ordinarius eos approbando, an dein reprobare possit. 299. Regulares curatum beneficium habentes comparandi parochio. 300. De approbatione conditionali cōfessariorum. 147. Vt idoneis pura debeatur. 147.
Approbare testamentum an censeatur, qui diuisit hæreditatem ignaru nullitatis. 112.
De Archipresbytero. 33. est Episcopi Vicarius 33. alius ciuitatis, alius ruralis, 33.
Archipresbyter an habeat ius parochiale. 35. Quæ Archipresbytero cathedrali concessa, an competant eadē & rurali. 36. Archipresbyteri iurisdictio quomodo differat à iurisdictione decani chori. 33. & seqq. Archipresbyteri officium in quo constat. 34. Archipresbyter ruralis est pastor pastorum. 34. Archipresbyteri vniuersalis iurisdictio prætalet speciali parochorum, 34.
De arresto sub religioso facto. 275. Perperā superiores citantur, quorū licentia executum vltimæ voluntatis ille curauit. 276. Iussu hic aut præpositio non est, vt in re propria. 276. Actus sumendus modo quo licitus est. 276. Religiosus sine licentia superiore executionem non potest. 276. quæ ob quam causam concedenda. 276. Iussu extra terminos non obligat. 276. Iussus hic est ipsatoris, non superiorum respectu creditorum. 276. Arrestum violans, & carcerem frangens comparantur. 276. Executus exemptionem tollit, ab Ordinario mala vexatio punitur. 276. Arrestum rebus inuectum quemlibet tenet, si res arrestanti subsint. 276. Et male versantes & occultantes obligat, 276. Ad indemnitatem. 277. Si quis debi-

dolus sit quo creditor fallatur. 277. Vt si nõ renũciet parti seu Iudici se curam deponere, eoq; res arrestata auferuntur. 277. Punitur religiosus executor. 277. Monasterium non tenetur, nisi ex verso in rem illius. 277.
In articulo mortis absolutus. vid. absolutio pœnitentialis.
Assessor recte consulere debet, ne de imperitia teneatur. 311.
Asylo qui hodie gaudeant, 207 Homicidij qualitas proditorij, seu alia, vnde dignoscenda. Genere armorũ, præuijs inimicitijs, &c. 209. 209. 210. Homicida sub spe immunitatis. 209. Asylo gaudere volẽs an probare debeat qualitatem homicidij, an accusator. 210.
An Asyli causa ingredi clausurã liceat? 144.
Asyli iure nõ priuat præuia culpa. 145. Asylo an gaudeat miles literas salui conductas principis discerpens? 205. Saluum conductum principis discerpẽs læsa maiestatis reus est. 205. Asylo an priuet omne crimen læsæ maiestatis? 205. Asylo an priuet perduellio? 208.
de Attentatis. 58.
Attentata ante omnia reuocanda, & in integrum restituendum. 65.
Attentare an eligentes, & electa censeantur, cum per attentatum amouetur aliqua? 8.
Attentata omnia reuocanda. etiam facta post expeditionem rescripti. 5. De attentatis quis cognoscat. 5.
Attentatum an inducat quæuis inhibitio? 76.

B.

De baptismo. 198.
Baptismus extra templum non conferendus nisi magnis Principibus. 198.
Beginæ an damnatæ. 160. non habent formam vitæ regularis. ibid. permissæ sunt, non approbatæ. 167.
Beginæ an recte diaconissis, ascetrijs, comparentur. 172. an clericis, 173. Beginæ an sint personæ ecclesiasticæ. 173.
Beginagium ingressa & illius more professa, an ad statum peruenisse dicenda sit. 165.
Beginæ an peruenerint ad statum, 168. In statu esse qui proprie dicantur. 168. Testator qui legatum reliquit alicui cum ad statum peruenerit, quo sensu statum vocasse censendus sit. 169. Status perpetuitas diuersa in voto solemni & simplici. 169.
Beneficia non conferenda ex affectu carnali, 83.
Beneficia diminuere an liceat. 251.
Beneficium viuentis acceptantis pœna. 9.
S. Birgittæ ordo. 20. & seqq. 146. & seqq.
Brabantus extra Brabantiam in iudicium trahi non potest. 54.
S. Brigittæ regula à Christo Saluatore dictata. 146.

C.

Caduca legata pia in causam proximam vertenda. 177.
Canonicorum habitus.
Canonicorum vestes chorales secularium debent esse vniformes. 81.
Capituli maior & senior pars. 164.
de Captivorũ translatione. 247. Fieri non debẽt, nisi superioris decernente. 247. Secus quã olim, 247. Qualiter transferendus captiuus. 247. Pendente causa principali, vel ea decisa. 247. Decretum translationis visis actis causaq; cognita. 247. Quibus non ita oput post causa principalis definitionem. 248.
Carceris pœna infamiam adfert. 69.
De carceratione, detentione relaxatione, excarceratione, &c. clericorum. 242. & seqq. In carcere manet appellans. 56. Non ideo dimissus redintegrat. 56.
De carceratorum translatione. 247. & seqq. cognoscit Ordinarius, quando non. 250.
Excarcerandus cur quis pronunciandus? 246.
Cur sanctio Clem. VIII. statuat de indebita carceratione, & non vocet nullam. 246.
In carcere facta nullius sunt momenti. 28. An iustitia carceris sufficiat, vt acta valeat, 28.
Castrenses sacerdotes. 37. Delegatio, & subdelegatio in causis criminalibus. 41.
Castrenses. 37.
Carthusianorum statuta approbata tanquam regula. 136.
Cassationis vsus quare inuentus. 61.
Causa finalis non impulsiua determinat effectum. 219. Vt illæ destinguantur? 219.
de Causis soluendorum sponsalium. 235.
Causæ continentia non diuidenda. 12. & 6.
Causæ criminales in cap. 2. sess. 13. Trid. de quibus criminalibus intelligenda. 43.
De Cellitis. 156. Qui hic sunt, non sunt damnati. ibid. priuilegijs apostolicis donati, & nominatim facultate eligendi confessarium. ibid. Superior eorum vtpote laicus, an iurisdictionem habeat in subditos? 156. & seqq.
de Censibus 196
Censuræ vt debeant esse medicinæ, &c. vid. excommunicatio, interdictum.
Censura grauissimi tormenti vicem habẽt. 28.
Censuræ an diuiduæ. 69.
Choristæ an fratres laici regul. 136.
Citatio ne quidem in iudicio summario omitti potest. 138.
Citatio etiam in summario iudicio necessaria. 47. vt probetur. 47. an facta ad domum sufficiat. 47.
Citatio facit litispendentiam. 9.
Certo loco qui promisit soluere vbi conueniendus 56. Quæ clandestinitas vitiet matrimonium, 225. Si postea detegatur impedimentum dirimens, 226. Aut hodie coram

non proprio parocho & testibus contrahatur,226. Aliter contrahentes bonam fidem non censentur habere, 226. Ob famosum decretum Concilij Trid.226. Cuius neglectus hodie bonam fidem destruit, 227.
Claues ecclesiæ difficile præscribuntur, 153.
Clausula, manente oratore in eodem carcere, non habet locum in dimisso, 56.
Clausura, 146.
Ad clausuram moniales cogendæ per Ordinarium, etiam inuocato brachio seculari. 146.
Clausura mꝛnialium exequenda, non obstante appellatione 71.
Clausuram monialium ingredi non licet, nisi ex iustis causis arbitrio Ordinarij relictis, 144. quid de egressu, ibid. ex clausura an abbatissa possit extrahi, tanquam incorrigibilis, 144. Clausuram ingredi asyli causa an liceat, 144.
Clausura egredi non licet ad ordinandum nouum opus, 144.
Clausuræ ingrediendæ licentiam quis det, 145.
Clausuræ ingrediendæ, & egrediendæ causæ, 144.
Clausuram monasterij monialium exemptarum ingredi licentiam quis dare possit, 145. An & confessor generalis Ordinis S. Saluator, 145.
Clericus pastoris quomodo moribus nostris alatur, 120.
Cleri habitus in ecclesia, 81.
Clerico aduenæ quis sacra ministret, 33.
De clerici percussore, compotatore, in censuram incidisse declarato, denuntiato, 312.
Clericis communicatur priuilegium laicorum, 54. 145.
Clericus in alium iudicem ecclesiasticum sine Episcopi sui licentia consentire non potest, 55.
An non in Internuntium. 56.
De Clericorum carceratione, & detetione consulto facienda, 244. Ob excessus enormitatem, 244. Arbitrio Iudicis, 244 In atrocioribus ad degradationem & similes pœnas vergentibus, 244. Rationabilis detinendi causa arbitrio Iudicis, 244. dum causa adhuc agitur, 244. Non post condemnationem, 244. Quid in alia pœna corporis afflictiua, 245. In relegatione post sententiam, 245. Quid de misso in exilium. 245. Carcerari, & detineri quasi paria, & in clericis vetita, nisi sit criminis enormitas, aut rationabilis causa, sub periculo censuræ, 246.
Cœlibatus, 167.
Cœlibes statum an habent, 171. Cohabitatio clericorum, & laicorum, præsertim mulierum, 146. Monachorum, & monialium ibid. Dormitorium commune reg. 146. Refectorium commune reg. 146. Regularium commune Dormitorium, & refectorium, 146. Cleri olim & Episcopi commune refectorium, dormitorium, 166.
Colligantium surrogatio, 90. 91.
Commendæ monasticæ à Trid. vetitæ, 88. De commendis. Commendari ecclesia parochialis non potest, non constituto in sacerdotio, 84. Commenda quamdiu durare possit, 85. Commendæ perpetuæ olim ignotæ, 85. An commendari possint Abbatiæ prioratus non religioso, 85.
Commendatarius parochus ad quid teneatur, 85. De commendatario Regulari, 85. De commendatario cathedrali, 86. quæ illi in spiritualibus & temporalibus potestas, 86. Assimulantur hodie veris prælatis, 87. Commendatarij iurisdictio, 87. quos fructus percipit, 87.
Commendatarij in ordine Cisterciensi nullam habent iurisdictionem, 88. An Commendatario cedat peculium morientis monachi, 87.
Commissiones in curia Romana signatæ semper manent Curiales, 103.
Commissio apostolica nullatenus excedenda, 102. sub pœna nullitatis, 106.
Comparere iussus debet parere, 232.
Competens sit qui ab aliquo postulatur, quoad ipsum, 42.
Conciones stationariæ Mendicantium, 124.
Concordata Germaniæ rescripto an obstent, 4. an in Brabantia seruentur, 5.
Concursus quando & à quo instituendus, 13.
Concursui, si parochia sit iuris patronatus, vt subsit, 13. Si pleno iure competat 13. Si iure quasi episcopali, 13. Si iure primitus parochi, 13. Hæc in aliis vt obtineat, 13.
Concursui an Melitensium parochus subsint, 13.
Concursui priuilegia contraria abrogata per Trid. 13. & 3. Commendatarius titulum edere debet, 13.
Confessarius an publicam pœnitentiam imponere possit, 302.
Confessio legi, priuilegio, veritati contraria, 27. Confessio per malas artes non elicienda, 28.
Confessarius debet habere ordinariam vel delegatam iurisdictionem, vel absolutio est nulla, 152.
Confessarij approbatio, reuocatio, 149.
Confessores monialium qualitercumque exempti ab Episcopis approbari debent, 31.
Confirmatio confessoris exempti & alia ab Ordinario postulanda in ordine S. Salvatoris. 26. 14.
Confirmatio abbatissæ exemptæ,
Condemnari sine probatione, aut confessione nemo potest, 59.

Conditionis per copulam remissio, 238.
Congregationum an sint capaces regulares non exempti, & in eis officiorum, 162. In causa congregationis appellatio quæ frivola. 162.
Congregationum præsidibus, visitatoribus generalibus, competit iurisdictio quasi Episcopalis, 163. In congregatione præcipuè intendilur cura reformationis, regularis observantiæ, 163.
Congregationes citra votum solemne, tenentur eligere vnam ex religionibus approbatis, quam profiteantur, 79.
In congregatione quod maior & sanior pars statuerit, vires habet, 164. In congregatione, quid si tantum conuenerint duæ partes, anteà Capitulum celebrare possint, 164. An coniuges citra parentum aut tutorum assensum cõiuncti inuicem hic alimenta debeant, 223. Quid in edictis nomine lucri veniat, an & obsequia coniugalia, 223. An & lite pendente super coniugio, 223. An & prætenta, 223. Quid si maritus indotatam vxorem accipit, 224.
Congrua portio à quo præstanda, 118. Quæ actione petenda, 119. Coram quoquo ordine litis, quanta, 119. 121. 120. Quibus in rebus, 121. Quid in eam imputetur. 120.
Coniuges censura morum, vt corrigendi, etiam in ijs quæ diuortio nõ sufficiũt, 232. & seqq.
Consuetudo immemorialis, 181.
Consuetudinis verbo non venit immemorialis, 278. 279.
Consuetudine quomodo ius parochiale acquiratur. 35.
de Consecratione ecclesiæ, 201. De cerimonijs positionis primarij lapidis non repetendis, 201. Consecratio ecclesiæ fit à solo Episcopo, 201. Ecclesia, altare quando iterum consecranda, 201. Ecclesia vt polluatur, 202. De celebratione missarum, 203. Ecclesiam sine designatione Episcopi ædificare non licet, 202.
de Congrua portione parochorum, & vicariorum, 118.
Contractus Societatis, assecuratio sortis, & redemptio incerti lucri, 260. & seqq.
In contrahentibus bona fide vt actus valeat vt potest, 220.
Conuersus an sit monachus, 135.
Conuersi in Belgio an sint religiosi, 136.
Conuicium non pudicum, nullatenus licitum, 78. Quid Corpus iuris, 92.
Correlatiuorum eadem ratio, 10.
Correptio publica V. Pœnitentia publica. 301.
Correptio publica an porocho permissa, 301. Ex zelo non admixto alio affectu, 303. Alioquin pœnis subiacet, 303. Peccator vt publicus sit, & scandalosus, & incorrigibilis requiritur. 303. Correptio seuera sit, 303. Præsertim in pluries correptis, non correctis. 303. Certa sit delicti veritas, 303. An retardare debeat scandalum, 304. Inusitata praxis. 304. Modo adsit grauis, & insolita causa. 304. Quando in dubio excusatio sit ab iniuria. 304. Non præbito scandalo, seu offendiculo, 304. Prædicatores defendendi à calumnia. 305. Si tamen excesserint, quomodo corripiendi 305. Si falsum dixerint, omnino palinodia. 306. Etiam pro concione. 306. An cum tali palinodia Iudex præseruare famam possit. 306.
Corrupta, quæ virgo putabatur, validè est professa neque dimittenda. 142.
Criminum præscriptio, 248.

D.

Decanus an sit prælatus. 80. Decanatus an dignitas stricte accepta. 80.
Decimæ agnorum an sequantur conditionem prædij. 126.
Decimarum noualium immunitas. 129. Olim omnibus regularibus concessa. 131. Decimarum immunitas vt restringenda. 131.
Decimas regulares antiquitus nullas soluebant. 131.
Decimæ animalium an soluendæ vbi fabulantur, an vbi pascuntur. 126. & seqq. Decimæ animalium an sint prædiales, an personales, 126. Decimæ hodie arcuia permutationis in laicos transferri possint, 127. Decimæ olim etiam in perpetuum laicis in feudum dari solitæ, 127. Decimæ qualiter à laicis in monachos transferri possint, 127. & seqq. Decimæ post Conc. Lateranense in feudum concessæ, ne quidem de consensu diœcesani possunt donari, 128. Decimæ nullo titulo alienationis in laicos transferri possunt, quamuis consentiat diœcesanus, 128. Decimarum permutatio cum laicis irrita, 128. 129.
Defensio inculpata esse debet, 78.
Delegatio spectat ad omnia ad causam pertinentia, 10.
Delegatio exhibenda, 104.
In delegationibus extra Romanam Curiam an sanctio & regulæ Cancellariæ 37. obtineat, 76.
Delegatus cognoscens de attentatis, an de electione ac surrogatione per attentatum amoti cognoscat, 58.
Delegatus acceptare, & parere mandato debet, 64.
de Delegato exercitus Belgij, 37.
de Breui iurisdictionis eius in omnes quoad copias in Germaniam & Galliam missas, 37. Quæ eius facultas in subdelegando sacerdotes. 37. & quæ subdelegatis facultas, 37.

habet in sacerdotes Castrenses omnem iurisdictionem. 37. qualem in laicos? 37. An delegato subsint sacerdotes castrenses, quando sunt in propria diœcesi? 38. Vt delegato exercitus & Ordinario Castrenses subsint in functionibus suis. 38. Ordinarius an castrensem sacerdotem puniat. 38. Si delegati decreta & synodalia pugnent quæ seruanda. 38. Vt delegato & Ordinario milites diuersimodè subijciantur. 38. Delegato subsunt personæ castra sectantes. 38. Coram delegato vt milites rectè contrahunt matrimonia. 39. Quid de præsidiarijs. 39. Miles simul atque libris regijs inscriptus eodē iure censetur, quo reliqua centuria. 39. Delegatus habet in sacerdotes voluntariam & contentiosam iurisdictionem, an & quoad milites? 40.

Degositio ex fornicatione occulta. 143.

Deuolutio & reseruatio beneficiorum an differat. 92. & seqq.

Diaconissarum olim quale votum. 172.

Diœcesis quis præsumitur, quod sentit. 24.

Dietarum computatio quomodo facienda. 61.

Dignior an ad præbendas graduatas assumendus, 83. An ad pœnitentiariatum. 83. Dignior quis hic sit? 83. 84.

Dimissoria primo anno vocationis, 16.

Dimissorias vt Capitulum det arctatis primo anno, 16. Arctatis ratione portionis monachalis. 17. Congregationi S. Ioannis Euangelistæ confessum à Clemente VIII. 16. Item Societati Iesu. 16.

Diœcesis parochia Episcopi. 33.

Diœcesim propriam quæ faciunt. 38.

Dispensat, qui conscius inhabilitatis alicuius & eum promouens, quatenus potest, & habilitat. 18.

Dispensatus super ætate quoad ordinem, an eo nondum accepto promoueri possit ad præbendam, cui ille annexus est. 96. 97.

Dissonantia inter Cap. pastoralis X. de iudicijs & Cap. 1. de iud. in 6. soluitur.

in Diuiduis capitulis, vt executio sit iusta. 70. Diuiduæ an sint censuræ, an teneant pro pluribus capitulis insuetæ, quorum quædam iusta, quædam minus. 70. Quid de executione. 70.

Diuidua in sententia, iuramento, executione, vt separanda sint. 69. 71.

De diuisione bonorū per testatorem facta. 109.

De diuortijs. 229.

Diuertere non licet sine iudicio ecclesiæ, 229. quali ex sæuitia, pactis. 229. An ob verbera? 230.

Diuortio causæ non sufficientes, 232. Quid tum agendum? ibid.

Ad diuortium de causis non sufficientibus, censura tamen iudicis tollendis. 232. Iudex rectè iubet litigantes coram se comparere. 232. Præsertim in causa matrimoniali, & sæuitia. 233. Vt reconcilientur coniuges. 233. Aut caueat qui sæuit. 233. Et quo modo. 233. Vbi neque ad diuortium satis, neque nihil sæuitum est. 233. Viri erga uxores se habere debent, vt Christus erga ecclesiam, 234. Qualiter ille, 234. Offerre se ad reconciliationem. 234. Culpam agnoscere ad reconciliationem monendus. 235.

Domicilium, 214. Mansio ad matrimonium sufficiens. 214. 215.

Donati an sint veri religiosi? 134. 135.

Donati vbi profitentur secundum regulam, sunt veri religiosi. 135.

In dubio is sensus recipiendus, qui pro causa pia facit. 171.

Dubia verba ad ius referenda. 218. In dubio pro causa fauorabili censendum. 219.

E.

de Ecclesijs adificandis. 199.

In ecclesijs ne ludicra fiant. 204.

Ecclesiæ facies. 227.

Ecclesiæ immobilia vt hic non relinquantur. 296.

de Electione. 13.

In electionibus pro non adiectis habentur conditionalia suffragia. 30.

An eligi in Abbatissam corrupta oculis, confirmari, consecrari, aut illa consentire possit? 142.

Electus ante confirmationem administrans priuatur. 14.

Electionis confirmatio petenda ab immediato superiore. 14. Sicut & benedictio. 15.

Episcopi iurisdictio in regulares vid. Regulares.

Episcopi visitantis regulares ord. S. Saluatoris ordinationem quis exequatur. 25.

Episcopus loca pia potest mutare in regularia. 176.

de Exceptionibus. 63.

de Excessibus prælatorum. 285.

de Excommunicationis sententia. 311. Non facilè consulendæ censuræ, sed circumspectè; & non nisi in extrema necessitate; tum ferantur probabiliter profuturæ. 311. Assistat rectè consulere debet, ne de imperitia teneatur. 311. Pastores non percussores, vt Prælati esse debeant. 311. Adsit charitas, absit simplicium fratrum oppressio. 311. Vt prosit castigatio lenis. 311. Sine austeritate. 311. Sine indignatione ob repetitum examen per appellationem. 311. Sobriè & circumspectè. 311. Ob crimen indubiè mortale. 311. Ex zelo charitatis & prudenter, non potestatiuè. 312.

An contumax aut negligens probare exceptionem, possit declarari incidisse in canonem si quis suadente. 312. In facto Iudex inquirere

rere etiam ex officio debet, quando exfacto incursam censuram vult declarare. 312. Eo-ós & in exceptionem non suadente diabolo percussionem factam esse. 312. Præsertim in comporatoribus. 313. Ex quibus circumstantijs pendet declaratio. 313. Quid si percussor in foro conscientiæ sit absolutus, & in externo à Iudice sæculari præuentus, 313. An saltem denuntiatio tunc cõueniat, 314. Et quali modo. 314. Cùm vere incursa non est rectè appellatur, & quo effectu. 314.
Excommunicatus declarari non potest ob clerici percussionem per contumaciam. 312. vid. An contumax. Ex communicatus declarari an possit, & denuntiari in foro interno absolutus, 312. 314.
Executio iusta an sit in capitulis diuiduis. 70.
Executionem non habens iurisdictio. 25.
Executio testamenti monacho commissa. 272. & seqq.
de Exẽptione quibus verbis inducatur. 264. Antiquis nulla aut rara exemptio. 264. Nisi ad quietẽ & à lege diœcesana, quæ qualis. 264. Ab ijs quæ legis diœcesanæ, non fit illatio ad iurisdictionẽ. 265. Nisi generaliter iurisdictio exprimatur. 265. Quibus verbis nõ detur exemptio. 265. An his; ne ibi cathedrã collocet, ne ordinationes faciat. 265. Antiqua diplomata vix pertinent ad exemptionem, & ambigua contra illam interpretanda. 266. Et actus gesti ambigui. 266. Nisi præscriptio sit contraria. 267 Verbo immunitatis, non concessa exemptio. 267. Nec ex prohibitione ingressus, 267.
Exemptio quomodo probanda. 30. Non verbis narratiuis, nisi super illis gratia fundetur. 30.
Exemptionis literæ Ordinario qualiter ostendendæ. 26
Exemptio seu subiectio parochorum regularium exemptorum, 270. & seqq.
Exemptæ abbatissæ immediatè Papæ subiectæ, à quo confirmandæ, 15.
Contra exemptionem quid statui, primariò ledit Sedem Apostol. 152. Exemptorium grauamina, quæ aliquando ab Ordinarijs circa confessiones, &c. 152.
Exemptioni an obest contraria confessio, fides promissa. 27.
Exemptum non est hospitale vnitum loco exempto. 184.
De exemptione Ordinis S. Saluatoris, 20. & seqq. vbi multa de eorum priuilegijs. 20.
Exẽptio heteroclita Ord. S. Saluatoris, 22. 26.
Pater quis, 23. Iudex quis. 23. Visitator, 23.
In exemptos quæ exequi Ordinario permittit Greg. XV. nonobstante exemptione & appellatione? 71.
De exemptione ante cognoscendum, quam de crimine inobedientiæ, & infractæ clausuræ. 59.
Exemptio an semper executionem impdiat, 71. Et quibus casibus non? 71.
Exemptio an cesset ob omissas congregationes, quas canones & Trid. exigit. 32. An exemtionis priuilegio Abbatissa iuramento renuntiare possit, 27. & seqq. An saltem ipsa obligetur, 28.
Extrauagantes sub Corporis iuris nomine non comprehenduntur. 93.

F.

Facies Ecclesiæ. 227.
Famæ bonum. 143. 144.
Fatalia in causis matrimonialibus labuntur, quoad vtilitates priuatas. 48. Et postea sola superest via querelæ. 48.
pro Fauorabili causa in dubio censendum. 219. Vt hæc vel illa causa præsumatur: hæc vel illa hic intelligatur. 219.
de Festis, 57. Quæ festa hodie obligent ex præcepto. & quid de ea re statuerit Vrban. VIII. 57. Festa Domini præcepta quæ, 57. Quæ Virginis, 57. Quæ Sanctorum, 57. Festa quæ non sunt ex præcepto seruanda, 58. Festa noua ordinarij inducere non debent. 58. Festis diebus quæ seruanda in concedendis licentijs laborandi. 58. de Vrbani VIII. diplomate de festis quid dicendum vbi publicatio non fit, 58. & seqq. in Festis nihil mutatum circa iudicia, 58.
Feudi vnius an plures domini esse possint? 99.
Fidei professio, 1. Symbolum Apostolorum, 1. Athanasij. 1. Fidei professionem quam faciunt promoti ad episcopatum, dignitates, beneficia, &c. 2. Fidei professionem formula Iustiniani, Concilij Lateran. Lugdun. Florentini &c. Pij quarti. 2. Qui ad eam tenentur. ibid. An obseruetur quoad regulares. 2. De eo qui formulam non seruauit, sed substantiam iuxta Concilium Trid. 2.
Filia illegitimè nata an extra domicilii maternum rectè contrahat. 213. An illud mutare, & aliud sibi constituere possit. 213. Iam pubes. 213. Et quæ non sit vulgò quæsita. 214. Vel & illa per mores. 214. Consideratio domicilij. 214. Mansionis morosa. 214. Mutabilitas. 214.
Qui filij sint legitimi. 224. De liberis natis ex matrimonio putatiuo. 224. Ex contracto in facie ecclesiæ matrimonio, vt legitimi, si adsit bona fides, 224. Quæ præsumitur. 225. Etiã in errante. 225. Si non iniustus sit error. 225. Examinatur L Qui in prouincia D. de rit. nupt. 225. Sequendi hic canones. 225.
rnic ati o occulta si detegatur, an sufficiat depositioni. 143.
de Foro competenti. 54.
Fori priuilegium laicis concessum communicatur clericis. 54.

Forum

Forum contractus tribuit, sed si ibi inueniatur. 55.
S. Francisci tertiã regulam qui profitentur, an fiant religiosi. 135. *Tertiariæ an sint religiosæ.* 136.
Fmola appellatio non curanda, 12. *Quæ vnde noscenda.* ibid.
Fundatio structuram simul & fabricam implicat. 190.

G.

Generalis concessio quæ non comprehendat. 216.
Generalis Ordinis in exemptis iurisdictionem quasi Episcopalem habet in negotijs religionis. 106.
Graduatis affecta præbendæ. 281.
de Graduatis 82. *& seqq. quales graduati eligendi, & quare.* 83.
Gratia vs non subdito fieri possit. 81.
Gubernatio tributa Episcopo in exemptas quo spectet? 1532.
vox Gubernatio cap. 9. sess. 25. Trid. quomodo accipienda. 15.

H.

Habitus. 163.
Habitus cleri in ecclesia. 81.
Habitus cleri secularis, & regularium grauis materia. 8. *De eo plura decreta.* 83. *Habitus delatio in nouitio vt requisita.* 139. *Nouitius maiori parte anni æger, an satis probatus?* 140. 141. *Anni nouitiatus lapsum hodie præuenire non licet,* 240.
de Homicidarum non proditoriorum immunitate. 206.
Horæ canonicæ publicè & priuatim vt recitandæ. 203. 204.
Hospitale olim exemptis vnitum non fit exemptum. 184.
Hospitalium fructuum diuersio, late examinatur. 174. *& seqq.*
Hospitalia religiosorum an subsint dispositioni c. 8. sess. 25. Conc. Trid. 177. *& seqq. in hospitalibus regularium quid statuat Trid.* 178.
Hospitalium pro certis infirmis institutorum, si tales non inueniantur, fructus ab Ordinario in alios pios vsus conuertendi: sed an perpetua alienatione? 175. *In hospitalibus seruanda hospitalitas, & alia à fundatoribus præscripta.* 175. *& seqq. In hospitali pro certo morbo laborantibus institutis, si illi desint, proximiori morbo laborantes recipiendi.* 176.

I.

Immunitas vid. asylum.
de Immunitate Ecclesiæ. 205.
Immunitatum priuilegia à decimis quomodo restringenda? 131.
Immunitas regularibus olim fere omnibus concessa à decimis laborum suorum, postea restricta ad nouales. 130. *vox laborum quid?* 129.
Immunitas à decimis quomodo præscribatur? 132.
Impedimentum in ordine morbus sonticus qualis. 140.
Impedito agere quid faciendum? 80.
vt Impedirus contrahendum & solui contractum possit differentia probationum. 228. *Testium & iudicum grauitas.* 228. *Quales omnino testes necessarij.* 228. *Periculum peccati, & fauor matrimonij facit, ne tam facile soluatur contractum quam impeditur contrahendum.* 228.
Inæqualitas magna esse debet vt eius ratio habeatur. 237. *Examinatur nobilitas & patriũ non nimis magna inæqualitas.* 236. *Notitia inæqualitatis præsumitur in eo qui cum inæquali contrahit.* 236. *Magna itẽ scandala, odia, periculum quasi certum.* 238. *Vt auferatur ius ex contractu quæsitum.* 238. *Imparitatem hic omnem tollit rei improbitas.* 238. *Et copula conditiones,* 238. *Etiam hanc, nisi sis impar,* 238. *Pericula si ducas minora, quam si non ducat sic corruptem.* 239. *Inimicitiæ,* 239. *Non æstimande nasci ab agente ex formula à iure proposita,* 239. *Et sibi imputat qui causam dat.* 239. *Qui obedit Iudici non censetur causam dare inimicitiæ,* 239. *Nec qui ad ius suum tuendum rei gestæ veritatem proponit.* 240. *raptum, vim, metum; vnde educat præsam obligationem ducendi.* 240.
Incidentalis quæstio spiritualis à Iudice ecclesiastico cognoscenda. 60. *Vt ibi plures quæ sint incidentales spirituales.* 60. *An appellatio sit corã quo quæstio terminãda.* 61. *& seqq.*
Incompetentis petitio, partis non qualificatum postulantis, incompetentiam quoad illum tollit. 42.
ab Incompetente iudice vt appellandum? 11.
Incorrigibiles quæ? 144.
Indefinita æquipollent vniuersalibus. 41. *Quando indefinita æquipolleat vniuersali,* 217. *In favorabilibus,* 217. *Etiam spiritualibus,* 217. *Vbi eadem ratio est,* 217. *Nisi circumstantiæ aliud suadeant.* 217. *Vt si deprehendatur contraria mens asserentis,* 218. *Vt illa eluceat ex antecedentibus & consequentibus,* 218. *Fieri consuetis,* 218. *Alias ad ius referendum est,* 218. *Etiam cum mos est varius,* 218. *Causa limitata determinat effectum,* 218.
Indignis quæ auferuntur, fisco non applicantur moribus nostris. 113. 114.
Indulgentia. 309. *Illarum clausulæ.* 309.

Inferior legi superioris non derogat, 81.
Inferior non tollit legem superioris. 151.
Inhibito quamuis iniusta vt timenda. 76.
an Inhibitio qualibet inducat attentatum? 76.
Inhibitiones non rite factæ, vt curandæ negotio deuoluto. 12.
Inimicitiæ. vid. Inæqualitas.
Inimicitiæ quæ soluant sponsalia vide sponsalium dissolutio.
Inimicitarum quis censeatur causa? 239.
ab Iniuria vt quis in dubio excusetur. 304.
In piorum locorum computu, qui esse debeant. 187.
In 1. Instantia vt sit iudex qui ordinarius, vt generalis locutio temperanda, 4. *Instantiam 1. edictæ Belgica Ordinario deferunt, sed exceptiones admittunt.* 4.
Instantia 1. cognitio non spectat ad Ordinarium si est suspectus, aut sua interest. 3.
In 1. instantia causæ omnes, sed non omnes actiones coram Ordinario agitandæ. 231.
an In secunda instantia ex transactione non tantum agere, sed & ius commune cumulare liceat. 231. *Post Concil. Trid.* 231. *Quid si non definitiue pronuntiatum sit, an causa principalis delegari simul possit.* 231. *Quid si transactio non est proposita, vt litis finitæ* 232.
de Institutione liberorum, & bonorum diuisione per testatorem factæ. 109.
Institutiones pro duplicibus monasterijs. 180.
Causæ quando non amouetur, interdictum an censeatur amotum. 8.
In interdicto prælatus adhibere debet consilium Capituli. 54.
Inter nuntius delegare non potest, cum ab ipso fuit appellatum fuit. 104.
Internuntio iurisdictio tribuitur, quæ ex officio competit; non quæ ex speciali concessione aliquando data fuit. 103.
Internuntius non potest recipere appellationes interpositas à delegatis ab ipsa sede. 103. *Nisi specialiter sit concessum.* 104.
Internuntius, cui iurisdictio contentiosa demandata, an possit constituere vicarium aliquot conuentuum. 137. *& seqq.*
Interpretatio facienda secundum ius, 26.
Interpretatio fit etiam contra eum qui legem dicere potuit apertius. 218.
super Interstitijs quibus ex causis Episcopus dispenset. 18.
Interstitia an regularibus seruãda, quoad minores. 16. *& cuius arbitrio.* 16.
Priuilegiatus vt adeat alienum Episcopum anideo dispensatus est super interstitijs? 16.
Iubilæi literæ tribuunt electionem confessarij ab Ordinario approbati: quæritur quis hic sit? 307.
ex Iubilæo confessarij electio an iterabilis. 309.
de Iudicijs. 50.
Iudex ius, non facta supplet. 56.
Iudex an indicere possit comparitionem ipsorum litigantium. 50. *Quibus ex causis.* 51.
In Iudicio summario qui omitti possint. 54. *In eo omnes exceptiones simul proponendæ,* 54. *non tamen litis ingressum impedientes.* 54.
Iudex synodalis an in causis criminalibus subdelegari possit. 41.
de Iudice synodali 40. *Hodie quomodo constituatur.* 40.
Iudex synodalis designatio. vide Synodalis Iudicis.
Iuramẽtum cui & quando deferendum 65. *Si iurare nolit reus an actori deferri possit.* 66. *Iuramentum an sponte offerens idẽ reijciendus sit.* 66. *Iuramentum Iudex rectè defert etiam nemine petente,* 66.
Iuramentum quando deferendum. 65. 66.
Iuramentum de defectibus iudicandis, ad oculos non pertinet. 190.
Iuramentum rectè reo impositum aduersus quem non probatum satis, sed aliqua præsumptio est. 65.
Iuramentum quod continet plura capita vt diuidatur, 69.
Iuramento partis, vt stetur pactum, 230. *Iurare cogi non potest, qui plene probauit.* 65. *Iuramentum deferri an possit ei qui nihil probauit.* 65. *Iurans parte aut Iudice non deferente, sibi soli iurat.* 66.
Iuramentum egregijs personis & nobilibus mulieribus domum mittitur. 52.
Hodie quis hic sit vsus. 52.
Ius patronatus. vid. patron.
de Iure patronatus. 184.
ad Ius patronatus acquirendum quid hodie requiratur. 189.
Ius patronatus an sola fundatione acquiratur. 190. *opus est reseruatione Episcopi.* ibid.
Ius patronatus improprie dictum quomodo differat à proprie dicto 188. *& seqq. & qui illi, ibid. De iure patronatus improprie dicti non loquitur Trid. sess.* 25. *c.* 9. *quasi patronatus per territoriũ vniuersali.* 186. *& adduocatia.* 187. *Ius patronatus an ad futura extenditur.* 186. *Ius patronatus ecclesiasticum, seu parochi primitiui extenditur.* 186. *Ius vniuersale censetur, cui alia accrescunt. ibid. Ius patronatus an sine solemnitatibus cedi possit?* 191. *In iuris patronatus regularis cessione cõsensus conuentus, & patris Abbatis, seu proprij prælati authoritas requiritur.* 191. *& solemnitates alienationũ.* 191. *In iuris patronatus beneficijs an Regula Cancell. de infirmis resignantibus obtineat.* 192. *& seq.*
Iure ad sedem Apostol. deuoluto si conferat Ordinarius an coloratum titulum tribuat. 92.
Iurisdictioni vniuersali nouus casus accrescit. 34.
Iurisdictio illa nullius momenti, quæ non habet executionem. 25.
Iurisdictioni vniuersali accedit casualis. 34.
Iurisdictio contentiosa non subinfert voluntariam. 137.

L.

Legati mandatum exhibendum. 104.
Legatus per viam querelæ hodie non aditur. 49.
Legati pro monachatu, an begina sit capax? 171.

Legis abrogatæ citans tenetur pœna falsi. 22.
Legis aut priuilegij interpretatio cuius? 26.
Legum latio iurisdictionem exigit. 24.
Vt Leges non retrotrahantur, & quid in negotio imperfecto. 242. Vt in fidei commissis. 243. Vt in secundo nubentibus. 243.
Leprosorum monasteriorum bona an aliò diuertenda, quia iam pauci aut nulli sunt. 174.
Lex generalis posterior qualiter speciali priori derogare possit. 42.
de Libello famoso. 78.
Liberorum nomine quando veniant naturales. 170.
Licentia parochi qualis ad matrimonium sufficiat. vid. De matrim. contracto de licentia parochi.
Licet iam ingrediendi monasterium monialium quis valeat possit? 145.
Licito modo quid fieri præsumitur. 26.
Limitata causa. 218.
Lis pendere incipit per solam citationem. 9.
Lite pendente facta, nulla est electio. 9.
Lite pendente non facienda noua electio. 90.
Loqui quis creditur quod sentit. 24.
Lucri nomen quid? 223.

M.

Mandatum exhibendum. 104.
Mandati excessus inducit nullitatem. 104.
Mandati fines seruandi. 137. 102.
Mandatum de prouidendo non porrigitur ad beneficium post creatum. 10.
Magni Principes qui censendi? 198.
Maiori potestati & legi parendum. 64.
Matrimoniali in causa vt fatalia labuntur. 48.
Matrimonialis causa lapsu decendij vt transeat in rem iudicatam. 46. & seqq. In matrimoniali causa sententia lata an via querelæ an appellationis oppugnanda? 47.
Matrimoniales causæ non solent committi nisi Episcopis. 62.
Matrimonialis causa in prima instantia ad solos Ordinarios pertinet. 165.
Matrimonij impediendi, aut soluendi quæ probatio. 228. Vide Impedit.
Matrimonia coacta vt ius consideret. 221. Non vt sententia non feratur pro obligatione. 221. Sed coactio prudenter temperetur. 221.
Metus vt probetur in remittente aut negante promissa. 222.
Matrimonio contracto de licentia generali parochi coram alio sacerdote. 216. Qualis generalis sufficiat? 216. An indefinita locutio matrimonij assistentiam comprehendat? 217.
Matrimonio contracto cum fine cogitatione matrimonij vices generaliter sint delegatæ. 218.
De Matrimonio inuito, nec intelligente parocho attentato, 211. Valet coram inuito, modo intelligat. 211. An pro intelligente habendus sit, cum alij quod agebatur intellexerunt. 212. An affectata hic dici ignorantia, & præsumptionem contra parochum parere possit. 212. An obsit partium consensio.
Melitensium parochia an subsint concursui. 213.
de Mendicantium prædicatione in parochijs. 13.
Metu ordinatus characterem suscipit 124.
Metus quomodo probetur. 44. An iuramento. 44. an protestatione præuia.
de Metu reuerentiali in Ordine. 44.
Metus in professione tacita, qualiscunque sufficit ad tollendam illius præsumptionem. 44. Metus qualis fuerit diligenter inquirendus. 45. Metus an iustus relictum arbitrio Iudicis. 45. Metus iustus quis. 45. Metus amissionis bonorum exhorbitantiæ, electionis an sufficiat. 45. Metus reuerentialis patrui. 45. Metu ordo susceptus valet quoad Sacramentum, sed non quoad obligationes annexas 46. Metu susceptus ordo non rectè per sententiam declaratur nullus. 46.
Militaris iurisdictio ecclesiastica. 37.
Militarium regula, & modus viuendi, quare debuerit à Sede Apostolica approbari. 183.
de Milite mutante locum ad tempus expeditionis, non præsidium. 214. Miles non potest vbilibet contrahere, vt vagus. 214. Sed coram parocho firmi præsidij. 215. Non vbi est per modum transitus. 215. Quid vbi mora nec exigua est, nec diuturna? 215. Potest in loco præsidij, & si ad tempus abfuerit expeditionis causa, ex eadem etiam mox recessurus manente præsidio. 215.
de Minoritarum priuilegijs quoad sepulturas. 277. Super his pacta, conuenta, concordata seruanda. 277. Quæ si in terminis tabularum non exstant, vnde eliciantur? 277. Immemorialis consuetudine imprimis actis ante & post secutis. 278. Pactis non derogatur, licet consuetudini. 278. Non tamen immemoriali. 278. Horum priuilegiorum confirmationes quatenus Concilio Trid. non contrariantur. 278. Priuilegia in casu immemorialis vsu contrario enervata. 279. Illum obstare Illis qui vsum admiserunt priuilegio contrarium, etsi non Ordini. 279. Priuilegia derogantia consuetudini, non loquuntur de immemoriali. 279. Et agunt de præterita. 279. Nec per nouas prætensiones resuscitantur. 279. Clausula salua iustitia nullefiarum &c. Intelligenda secundum rationabilem consuetudinem regionis 280. Quæ vt hic sit 280. Quibus cum nihil auferatur, hic cura esse non debet de populo, qui sic admissis grauam. 280. Vt Minoritarum paupertas ipsis nihil iure aliàs permittat. 280. Ius consuetudine competens vt huic Principe auferri non possit. 280. Etiam Synodali agere non possunt, vt ipsis fratribus aut conuentibus proprietas, aut possessio adiudicetur. 281. Vt potiùs nomine eleemosynæ debeam accipere, qua offeruntur etiam intuitu laboris per eos præstiti. 281.
de Minoritarum paupertate, Syndico, &c. 280. & seqq.
Missæ parochialis audiendæ quanta olim obligatio. 117.
Missæ plures vt permissæ. 117. an necessariæ? 117.

Monacho commissa executio testamenti. 276. & seqq.
num Monachus in monasterio an superior esse possit? 153.
pro Monachatu relicti, an capax sit beata, Bizoccha, tertiaria? 171. & seqq.
Monachus sine licentia superioris, non potest ad aliud monasterium transire. 154. *Petita tamen sufficit, licet non obtenta. ibid. Monasterium si dubitetur an arctius, superioris iudicium expectandum.* 155. *Monachus, qui spreto iudicio sui superioris transiuit ad laxiorem religionem, vel de qua dubitatur, ei restituendus donec cognoscatur.* 155.
Moniales intra clausuram aliquem admittentes solum pœna arbitraria mulctandæ. 154.
Moniales exemptæ quoad clausuram & quædam alia Episcopo subiectæ. 31, & *in quibus Episcopis in eas iurisdictio competit,* 32.
Moniales à regularibus regi consuetæ sub eorum cura relinquuntur. 150.
Moniales immediatè Sedi Apostolicæ subiectæ. 15. 32.
Monialis immediatè subiecta Sanctæ Sedi ab Episcopis gubernanda. 32.
Monialium ordinis S. Saluatoris an confessor generalis censeatur superior. 32. *Moniales à quo gubernentur, quæ immediatè subsunt sanctæ Sedi ad sensum Trid. c. 9. sess. 25. de regul.* 32.
Monialibus sub conditione si dispergantur, vt relinqui possit. 160.
Monachorum & clericorum causæ summariè decidendæ. 53.
de Monasteriorum duplicium dissolutione. 150.
Monasteria omnia Episcopis subiecta, nisi doceantur exempta. 20.
Monasteria monialium immediatè S. Apost. Sedi subiecta, ab Ordinarijs tanquam d. Sedis delegatis gubernanda. 150.
Monasteria viri, transferri Ordinaria potestate iusta de causa (vt hæreticorum violentia) possunt. 107.
Monasteriorum vetitæ sunt suppressiones, dismembrationes, nisi verificatis causis, & auditis partibus. 151. 183.
Monasteria noua Episcopi authoritate fundanda. 180. *Monasteria duplicia.* 180.
Monasteria Ordinis S. Saluatoris duplicia. 146.
ex Monasterio vt non ejiciendi incorrigibiles. 144.
Morbus sonticus an obsit nouitiatui? 140. 141.
Mulieri vt prædicatio sit interdicta. 300. *Quibus prædicare permissum?* 300. *Nullatenus mulieri.* 300.

N.

Narratiua verba saltem præsumptionē aliquam faciunt. 30.
de Naturalibus & diœcesanis. 281.
Naturales liberorum nomine quando veniant? 170.
Nobiles diœcesani. 281.
de Noualium immunitate à regularibus cultorum. 129.
Nouitiatus à receptione valida inchoatur, & de potestate recipientis. 137.
Nouitij receptio est nulla facta à non habente potestatem. 137.
de Nouitiarum receptione. 28. & seqq. *An Episcopi consensus & authoritas requiratur in receptione nouitiarum.* 28. & seqq. *Nouitiarum examen ad Episcopum spectat.* 29. *In quo illud spectet quoad exemptas.* 29.
in Nouitiorum professione an cœuentus consensum, aut consilium abbas requirere debet. 173.
Nouitius gaudet priuilegijs ordinis. 63.
Nouitius omnes austeritates an teneatur experiri? 141.
Nouitiatui an obsit mansio extra monasterium? 140
Nouitiatus an peragi debeat intra monasterium? 140.
Nullam professionem dicens, vxorem ducens, ad cuius cognitionem spectet? 165.
Nullitatis allegatio quando non impediat executionem? 76.
Nullitas an retrotrahendo sanari possit? 137.
Nullitatis professionis quæstio coram suo superiore & ordinario deducenda. 62.
Nullitas interlocutoriæ an faciat locum appellationi? 75. 76.
Nullitatem professionis inducere potestis, cuius est incorporare, propter suum dissensum. 138.
Nullitatem instrumenti arguens iudicium defuncti non oppugnat. 297. *Nullitas obiecta quod testatrix testésue rogati non referantur an scribere possent, qui à notario asseruntur subscripsisse, vt non obsit.* 292.
Nuntijs an sit facultas in causa alij delegata. 56.
Nuntij commissionem debent exhibere. 104.
Nuptiarum conditioni an satisfaciant, qui monasterium ingrediuntur? 172.

O.

ab Obedientia superiorum religiosus non debet eximi. 138.
Obedientia præstanda, sed ei cui debetur. 20.
Obedientia quæ debetur Episcopo, & quæ superioribus regularibus, quomodo differat? 180.
Obedientia omnis, à religioso debita, est secundum regulam. 158.
Obedientia accipienda plano modo loquendi. 157. 159.
Occultum crimen an publica pœna puniri possit? 196.
Odia sponsorum. vid. inæqualitas.
de Officio diuino. 203. *In choro quoad habitum, psalmodiam, tempus conueniendi quæ seruanda* 203. *Vagorum pœna sub diuino officio.* 204. *Spectacula ludicra ne in ecclesijs exhibeantur.* 204. *Officiorum tabula in choro pendenda.* 204. *Capitula sub officio non tenenda.* 204.
Ordo iudicij seruandus in censuris inferendis. 54.

Ordinarius an regularibus ord. S. Saluatoris statuta præscribere possit. 24.
Ordinarij absque patrono collatio, vt cõualescat. 91.
Ordinarij iurisdictio in regulares. vid. Regulares.
Ordinarius conscius infirmitatis, si permutationẽ admiserit, an resignante intra 20. dies mortuo possit quasi per obitum alteri prouidere? 194. *& seqq.*
Ordinarius in prima instantia quando non cognoscat de contributione Seminarij. 250.
Ordinarij quibus casibus conferant beneficia Sedi Apostolicæ reseruata. 93.
Ordinum dies vt computandi. 17.
Ordines minores & subdiaconatus an suscipi possint eodem die? 17.
Ordines vacante Sede primo an, quando à non proprio suscipi per Regulares possint. 16.
Ordinari regulares à quo possint. 15.
Ordinem præbendæ annexum post 1. annum residentiæ in collegiata accipiendum, an Trid. mutarit in annum à tempore collationis? 97.
de Ordine cognitionum. 59.
de Ordine iudiciorum. 59.60.
de Ordinis sancti Saluatoris priuilegijs. 69.
Officio diuino Episcopus formam vt præscribere possit. 205.
de Ordinis S. Salvatoris dissolutione duplicium monasteriorum. 150.
de Ordinis S. Salvatoris superioritate, & præfectura. 147. *In ordine S. Saluatoris Abbatissa, & confessor generalis, superiores.* 147. *Confessor generalis quis, & quomodo eligendus? ibid. Quem electum confirmat diœcesanus.* 148. *Debet esse perpetuus.* 148. *confessor generalis ex arbitrio Ordinarij reuocari an possit.* 148. *An non ex pacto? ibid. Confessor est prælatus, & non ad nutum amouibilis.* 149. *De Ordinis S. Saluatoris confessorum generalium dimissione,* 149. *de Ordinis S. Saluatoris diuisione Martini Martini quinti qualis permissio?* 151. *& seqq. Quid alij Pontifices ea in re statuerint?* 152. *Ex Ordinis S. Saluatoris dissolutione, quæ incommoda?* 152. *S. Saluatoris monasterijs dissolutis, an statui ab Ordinario possit alius confessor?* 152.
De ordine præbendæ annexo non mox, sed intra annum residentiæ suscipiendo ex statuto. 19. *An dilatio ex hoc statuto proueniens sit restricta per Trid.* 19. *An non saltem per indirectum.* 20. *Ordinem præbendæ annexũ promotus debet intra annũ suscipere.* 19. *In collegiat is ecclesij an idẽ obtinet.* 20.
Orti, oriundi. 281.

P.

Pacificus non est cui mota lis in possessorio. 88. *Pacificus an turbetur per litem motam tertio?* 90.
Pactio vt inferat confessionem adulterij. 68.
Palinodia. 306. *Etiam publica. ibid. an semper infamet? ibid.*
Papa totius orbis est ordinarius. 4.
à Papa statuta mutari non debent. 147. 151. 152.
Parentibus an facultates suas declarantibus standum sit? 109.
De parochijs. 116. *Parochus aut decimarum possessor, an teneatur, præter summum sacrum ad aliud pro populi commoditate?* 116. 117.
Parochialis missa. 106. *De Parocho putativo.* 219. *Parochum an eligat filia illegitima, vid. filia illegit. Parochiarum distinctio non excludit Episcopos, eorúmve vices gerentes.* 36. *Superiores parochis P. vt non excludantur.* 36.
rochis inuitis mendicantes an possint concionari? 124. *Nec sine licentia Episcopi.* 124.
Parochus si mendicantes, vltra priuilegia allegent licentiam ordinarij generalem, an adhuc eis impedire valeat? 125. *aut antiquas stationes: ibid.*
de Parochiarum nouarum erectione. 199. *Parochia noua potius eriganda, quàm capella dum sumar in terminis Trid. s. 21. c. 4. alias non. ibid.* 199. *Parochia noua vnde dotanda?* 199. *& seqq. An ex fructibus rectoris matricis?* 200. *Capellam nouã parochiam quando erigi possit?* 200. *Parochiam nouam erigere quando Episcopus tentatur?* 200. *Parocho in officio suo tectanti vt præ cæteris credendum?* 212. *Etiam de partium consensu non in electo, aduersus alios testes, & illas ipsas.* 212. 213.
Parochiarũ fines ex finibus pagorũ præsumuntur. 122. *An præscribi possint?* 122. *Parochiæ finesq; omnimodo incerti, quomodo discernendi?* 123. *probandi? ibid.*
Parochia militis. vid. de milite.
Parochi regularis vide de regularium parochorum subiectione.
Parochi regulares. vide regulares parochi.
de Parochorum congrua portione. 118.
Parochiarum fines statuendi, vt cura animarum exigit. 123.
Pater, visitator, Iudex, quid significet in regula Ordinis S. Saluatoris. 22. *& seq. An visitationem Episcopus alteri hic committere possit.* 23.
Patronatus. vid. ius patronatus.
Patronatus omnes ex priuilegio sustulit Trid. 188.
Patronati beneficij absque patrono collatio vt conualescat? 91.
Patronus non est qui non congruè fundat. 190.
Patronus si conscius infirmitatis permutationem admiserit, an resignante intra 20. dies mortuo possit quasi per obitum alteri prouidere? 194.
Patrono laico in præsentando vt variare liceat? 191.
an Patroni qui inæqualiter contulerunt æqualiter patroni sint? 190.
Paupertas vt constitat cum peculio. 161.
Paupertatis votum an ladat relictum sub conditione beneplaciti superiorum administrandum? 160.
de Pœnitentijs & remissionibus. 298.
dignior ad Pœnitentiariatum assumendus. 81.
Pœnitentia & communio paschalis à quo suscipienda. 33.
Pœnitentiarius an possit esse minor quadraginta annis. 81.
Penitentialis absolutio. vid. absolutio.
An Pœnæ taciti fideicommissi obtineant accommodati incapaci; cum alteri relinquitur, quod restituatur monasterio? 296. *Quæ indignis olim fiscus assumebat, hodie agnatis cedunt.* 296. *Monasteria non habent*

cet hic immobilia relinquere? 296. Ideoq; simulate, quamuis ei relicta, sibi cedere contendit agnatus. 296. Sed pro templo monasterij monialium iuxta Conc. Trid. in vrbem translati, via recta & indirecta, vt relinqui liceat vendenda. 297.
Peregrino clerico quis sacramenta ministret. 33.
Peregrinus quibus modis sortitur parochiam. 34.
Peregrini longinqui sepeliendi in parochia in qua moriuntur. 35.
Permutari vicariæ perpetuæ an possint? 104.
Personæ industria quando electa censetur. 42.
Piæ causæ, quando effectum sortiri non potest, rectè succedit religio. 177.
Plus exequens, & minus debito offerens expensis mulctandus. 70. Plus petentium pœna. 69 Plus petitiones. 69. Plus exequens. 70.
De Pontificalium exercitio. 285. Non licet extra diœcesim, nisi ex cõsensu diœcesani. 285. Ne quidẽ in loco exẽpto. 285. Sed si sit nullius diœcesis licet. 285. Ne quidẽ vicinioris hic, nisi de licentia Prælati loci. 285. Nec suffraganeo defuncto Ordinario, nisi de licentia Capituli. 285. Licet Archiepiscopo visitanti. 285. Et nuntio in sua prouincia. 285. An pontificaliter celebrare extra diœcesim liceat? 285.
Portio congrua an postulanda, & à quo? 118.
Portio congrua à Pio quinto nõ minor constituta scutis quinquaginta, nec maior centum. 120.
In portionem congruam quæ imputentur. 120. & seq.
Portio congrua semel rectè constituta minui, aut augeri non debet. 121.
Portio congrua suppletur vnione simplicium beneficiorum & minorum ecclesiarum parochialium, saluis tamen oneribus. 121.
Portio congrua quibus in rebus assignanda? 122.
A Portionis congruæ assignatione non appellatur. 122.
de Possessore triennali. 88.
ad Possessorium iudicium redire licet vsque ad causam conclusam. 134.
in Possessione quadragenaria probandum principium, & finis, & aliquid de medio. 134.
Possessorio finito an incipi possit triennium. 88.
Potestati maiori & legi parendum. 64.
Prabenda Theologalis an sub nominationem academicam, & prouisionem Romanam cadat? 254. Prabendam theologalem confert collator Ordinarius. 254. Personæ tamen ab Episcopo electæ. 254. cum Capitulo. 255. An etiam in mensibus pontificijs & omissis nominatis academicis. 255. Quid si nominatus illam sibi petat? 256. Qui sit idoneus? 256. Vt nominatio non extenditur ad curata, nisi in priuilegio exprimatur. 256. Sic neque ad theologalem prabendam. 257.
An ad Prabendas graduatis affectas dignior sit assumendus. 82.
Prædicator in concione potest publica peccata corripere, sed prudenter. 302.
Præiudiciales quæstiones prius cognoscendæ. 59.
Prælati vt non debeant esse percussores, sed qualiter corrigere. 311.
Prælatorum veterum laicorum potestas. 156. & seq.
Prælato ordinario an extraordinario visitatori sit parendum. 183.
Prælatorum insignia. 79. 80.
Prælatus laicus, vt olim monachorum, quam iurisdictionem habeat? 156. 157.
Prælatus laicus quomodo superior? 157.
Præpositus quis? 147.
Prærogatiua an gaudet subreptitiè promotus. 19.
Præscriptio nulla obstat visitationi. 184.
Præscriptio sine possessione non procedit. 187.
Præsumitur actus præcessisse qui de iure præcedere debet. 62.
Præsumptio est contra scribentem. 235. Quæ contrario iuramento non eluitur. 235.
Prima instantia ab Ordinario cognoscenda. 138.
Primordia rerum spectanda. 138.
Principium, quando inspiciendum. 9.
Priores qui per electionem promouentur, non sunt ad nutum amouibiles. 179.
Priuilegia & consuetudines. 278.
Priuilegia exhibenda & inspicienda. 21. à nullo temerauda. 21.
Priuilegio an gaudet subreptitiè promotus. 19.
Priuilegia concursui contraria 13. illa edenda. 13.
Priuilegia studiosorum an extra Vniuersitates obtineant? 253. communiter non 253. sed percipiendorum fructuum in absentia. 253. Cur Tridentinum exigat doceri publice in schulis, & di si? Non competit declinatoria fori ordinarij extra Vniuersitates. 254. Nec in Vniuersitate quarundam causarum respectu. 254.
Priuilegia regularium pro ordinibus adeundi alienos Episcopos an sublata per Trid. 15. Diœcesanus quid si absit, aut non det ordines, aut sedes vacet. 10
de Priuilegiarijs regularum monasticarum mitigationibus. 284. Mitigatoria priuilegia primeuæ austeritatis, vt non sint abrogata 284. Reformatio vt fortiter & suauiter inducenda. 284.
Priuilegium ecclesiarum Belgicarum cathedralium nouarum, quoad prabendas nobilibus diœcesanis affectas, an oriundos admittat, an ortos dumtaxat? 281. Liberi originem patris sequuntur. 282. Peregre natus fortuito, domi natus censetur. 282. quis prouincialis? 282. de prouincia. 282. de diœcesi. 282. Domicilium hic non sufficit. 282. Ratio. 282. Nec sufficit quod quis Regni naturalis sit. 282. Sed clericus alicuius diœcesis dicatur. 282. Verba hic proprie intelligenda, vt ortus hic exigatur. 282. Nisi reip. causa parentes abfuerint. 283. Aut fortuito, quis extra domicilium natus sit. 283. An nobiles hi ex vtroque parente nobili nati esse debeant. 283.
Priuilegij Apostolici ad Sedem Apostolicam spectat interpretatio. 27.
An Priuilegia regularium Conc. Trid. decretis contraria per Conc. Trid. sint abrogata. 31.
Probatio re ipsa in nouitio requiritur. 139. qualis illa ibid. Ex reg. D. Benedicti ibid.
Probatio nouitij re ipsa requiritur. 139.
Probationes imperfectæ quomodo & ad quos effectus

coniungendæ. 67. 68.
Probatio ad impediendum aut soluendum matrimonium. 228.
Procurator in quibus casibus admittatur. 51.
Per procuratorem an præstetur iuramentum de calumnia. 51.
Professionis & matrimonij quæstione incidēte, quid de possessione alterutrius statuendum? 165.
Professionis quæstio terminanda ante petitionem hæreditatis. 59.
Professionem superior recipit. 29.
Professio an nulla ad regularem superiorem & Ordinarium spectat. 165. Quid si incidenter tractetur? 165.
Professioni an obsit morbus sonticus. 140. 141.
Professio non facta secundum regulam. 135.
Professa corrupta in abbatissam electa. 142.
Professus egressus, si vxorem duxerit, vbi ea de re instituenda cognitio. 165.
In masculino sermonis Pronuntiatio ad vtrumque sexum porrigitur. 14.
De Proprio paracha. 213.
Si in Possessorio est iudicatum super regula de triennali, tollit causam petitoriam. 94.
Prouisus de præbenda tenetur intra annum suscipere ordinem ei annexum. 20.
Prouinciarum diuisio non potest fieri nisi à Papa. 138.
Publicam pœnitentiam an confessarius imponat? 302.
Publica peccata potest concionator corripere, sed prudenter. 302.
Publica peccata palam corripienda. 301.
ad Purgationem canonicam suspicio grauis sufficit, sed hodie non practicatur. 257.
de Putatiuo pastore. 219. Putatiuus sufficit ex communi errore, non singulari. 219. An coram sic putatiuo actus habeat vim sponsalium? 220.
ex Putatiuo matrimonio nati. 224.

Q.

QVæstio professionis terminanda ante quæstionem hæreditatis. 60. Quæstio incidens alia & necessaria manet apud iudicem quæstionis principalis. 60.
Quæstuationes mendicantium, quæ prohiberi possint ab Ordinarijs? 268. Trid. sess 21. c. 9. non loquitur de Ordinibus Mendicantibus. 268. Extra diœcesim tamen exhibent superiorum licentiam. 269. Seu vbi non solent mendicare, nec olim permissi sunt. 269. Nisi vitia quæstorum exerceant. 269. Qui puniuntur non obstantibus priuilegijs. 260. Vt quæstuationes stationariæ impediri possint. 269

R.

RAptor, vim, metum virgini incutiens, vt ducere vxorem præcise teneatur. 240.
Rationes piorum locorum quibus reddendæ. 287.
Recusationis Iudicis causa allegari debet coram Ordinario, & arbitris. 4.
Receptio inualida an postea ratificari, & retrotrahendo cōputari ab ea tempus nouitiatus possit? 137.
Reconciliatio coniugum. 233. 234.
Recusari an possit Iudex, qui semel alias dānauit? 64.
De recusatione Iudicis. 63. & seqq. Recusation incausa nō est, nō recipere appellationes, vbi iuris dicendi, aut alias rescripti formam seruare. 63. & seqq. Recusari iudex etiam suspectus non potest dum formā literarum seruat. 64. An recusari possit qui in alia causa aliquem damnauit? 64. An recusari possit Iudex qui in eadem causa interlocutoriam tulit? 64. Recusationi deferens iurisdictionē abdicat. 64. recusatio initio litis proponenda. 64. Iudex cum alijs delegatus recusatus remittit ad coniudices, non arbitros. 64.
in Reformatione scandalum abesse debet. 163.
Reformatio omnis fieri debet ad primeuum institutum. 130.
de Regularibus. 134.
Regula religionis immutabilis. 181. & seqq.
Regulares per regulares gubernande. 22. Regularium superiores qui ad sensum c. 9. de Regul. Trid. Conc. 32. 33.
Regula Cancellariæ de infirmis an habeat locum in beneficijs iuris patronatus laici. 193.
Reg. Canc. de infirm. resig. an in negocijs extra curiam Rom. obtineat? 195.
Regulæ Cancell. an pro negotijs extra Cancellariam gerendis scriptæ? 198.
Regula Cancellariæ de infirmis habet tantum locum in veris beneficijs. 192.
in Regula Cancellariæ de infirmis à quo tempore computandi sunt 20. dies, an à die præsiti consensu, an à die admissionis. 94. 95.
Regula de triennali, an obtineat vbi est species mali? 93.
Regula Cancellariæ de triennali possessione. 88.
Regula Cancellariæ de infirmis an sit obsa an fauorabilis? 193. In regula Cancell. de infirmis dies inclusus pro completo habetur. 194. Regula Cancell. de infirmis resign. quomodo fauorabilis est patrono? 194.
Regulæ contrariæ liquidæ probandæ. 26.
Regula non est, modus viuēdi tertiariarum &c. 135.
Statuta Regulam non vitiant, etsi illa à Sede Apostolica non sint approbata. 180. & seqq.
Regulares parochi. 270.
De Regularium parochorum subiectione ordinario. 270. Episcopale munus prædicatio, missio, institutio, destitutio parochorum. 270. Etiam regularium, qui qualiter Prælatis reg respondeant de temporalibus. 270. Non vt excludant authoritatem Ordinarij. 270. Sed census portio sua seruetur prælatis reg. 270. Non denudentur parochialia beneficia. 270. Episcopus determinat portionem congruam parochi. 271. Quæ sine eo minui non possit. 271. Non pars bonorum auferri. 271. Necessitatis animarum periclitetur. 271. Inspicere bona & catalogum exigere Episcopus potest. 271. Ne soliatij in parochijs regulares esse permittantur. 271. Inspicienda vita, & vita curatorum per Ordinarios, & corrigenda. 272. Iuxta Concil. Trid. 272. Cui cedunt si qua locus vetera priuilegia statuant. 272. Nec tamen eis auferatur debita prælatis reg. authoritas & potestas

tim reuocandi parochos regulares ex vnitis sibi ecclesijs. 273. Priuilegia per quæ liceat prælatis parochos reuocare, 273. Non reuocata, quin & ipsis liceat per Trid. dummodo & Ordinario sua constet authoritas. 274. In concursu præualet decretum Ordinarij 274. In quibus locus non sit præuentioni. 274. Reuocatio per prælatos rite facta non impedienda per Ordinarium. 274. Prohibendo ne parochus parochiam deserat. 274. Cedit œconomica reg. potestas Episcopali 275. Vt iuri publico priuata authoritas. 275. Episcopus de causa cognoscit, an locus sit priuilegio, quod iuri publico deroget. 275. In remotione hac, an leges publicæ strictè sint obseruandæ. an regulares, quæ in administrationibus regularibus? 275.

Regularis amotus ab officio redactus est in ordinem obedientiæ. 138. Regularis vnde dicatur. 135. Regularis non fit, qui se & sua offert. 135.

de Regularium congregatione. 161. An congregationes celebrare solis competat exemptis? 161.

Regularem an faciat promissio obedientiæ? 136.

Regulares vt amouibiles. 149. Qui non ibid.

Regularis obseruantia si non viget. 178.

Regularia statuta regulam non vitiant. 186.

Regularibus secularis, nec alterius Ordinis præponendus. 153.

Regularium priuilegia post Conc. Trid. 31.

Regulares à quo ordinari possint. 15.

Regularium officia ad nutum amouibilia. 138.

Regularium officia non mutantur, quamuis superior manum admouet. 138.

Regularium immunitas à decimis quibus maxime probetur. 131. 132.

Religiosus vt quis sit, requiritur vt vota faciat secundum regulam, non statuta tantum. 135.

Religiones ab Episcopis olim probatæ, qualiter solemne votum, & matrimony diremtuum contmuerint? 138.

Religionum non approbatarũ damnatio antiqua. 166.

Religiones attentatæ damnatæ. 166.

ad Religionem an requirantur prater regulam institutiones à Sede Apostolica approbatæ. 178.

Religiones militarium, vt approbatæ. 182.

Religio approbata, an requirat regulam & institutiones esse approbatas? 178.

Religionis approbatæ indicia. 179.

Religiones veteres ante Apostolicas confirmationes an vota simplicia tantum habuerint? 183.

De Religiosis domibus. 174.

Renuntiatio canonica facienda coram superiore. 6.

Renuntiatio iuris, vt metu facta præsumatur. 222.

Res inter alios acta alijs non præiudicat. 9. Exceptiones ab hac regula. 9.

De Rescriptis. 3. Rescripto anobsittriennalis possessio subticita. 2. An concordata Germaniæ. 23. In rescriptis iustitia, cum reducuntur ad formam communem, quò subreptio non obsit. 3.

Rescripta strictè interpretanda. 10. Non trahenda ad futuras controuersias. 10. Nec ad personas in illis non nominatas. 10.

Rescriptum appellationis, vt non danduni, nisi cor[illegible] de apostolis. 77.

Rescripta qualiter ad futura porrigantur. 10. Quomodo ad personas in illis non nominatas, 11. & ad formam in alijs literis expressam. 11. Quomodo ad causas futuras. 11.

Rescripto quæ vitia obstent, an subticita amouibilitas Confessariorũ. 6. An amotionis causa. 6. An litis pẽdentia. 7. An res iudicata. 7. An submissio & concordia. 7. An expressio falsa exemptionis. 7. An allegatio interdicti: quod tamen iam erat amotum. 8.

Reseruatio beneficiorum, & deuoluto. 92. 93.

Reseruata quando Ordinarij conferant? 93.

de Reseruatione beneficiorum in corpore iuris clausa 92. An sub eam reduci possit deuolutio beneficiorum per negligentiam ordinarij.

Reseruationes in corpore iuris clausæ quæ? 93.

A Reuocatoria attentatorum an appelletur? 72. 74.

De Rocheti delatione 79. vnde vox illa deriuatur. 79.

Qui illud ferre possint. 80. An & decanus. 80. & seqq.

Rocheti vsum an Episcopus alicui concedere possit. 81.

Rubricæ missalis non vbique omnes receptæ. 81.

S.

Scandalum sponsorum vid. inæqualitas.

Sob Scandalum quædam omittenda. 163.

cum Scandalo, litibus &c. nihil permittendum. 82.

Secreti naturalis quanta obligatio 198.

Secreti visitationis obligatio. 196. 197. 198.

De secundis nuptijs. 242.

De Seditiosis, & qui plebem colligunt. 148. Ad priuilegia communia defendenda an liceat concinium auxilium implorare. 248. In cœtu faciendo modus & finis considerandus. 248. Concinium licet implorare auxilium. 249.

De Seminarij contributione non rectè citra formam Concilij Trid. statur; & quis de eo cognoscat? 249. De causis Ecclesiæ suæ & Seminarij cognoscit Ordinarius. 250. Non tamen postquam semel statuit. 250. Alios plus quam se grauauit. 250. Defectu formæ præscriptæ delegationi Concilij s. 23. c. 18. inducitur nullitas 250. Improbatur pactum super contributione, quod initur tempore collationis. 250. Beneficia quatenus Episcopus secare, seu grauare possit pro seminario. 251. Aliter grauatis licet recurrere ad superiores. 251. Præuia familiari requisitione remittendi grauaminis. 251.

De Sententia & re iudicata. 69.

Sententia reuocatoria attentatorum an sit interlocutoria. 75.

Sententia quando extenditur ad non nominatum in illa. 9.

Sententia plura capita continens vt dividenda. 69.

Sententia super votorum aut ordinum validitate aut lapsu decennij an transeant in rem iudicatam. 46.

Sentire quis creditur, quod dicit. 24.

Sepultura peregrinorum. 36.

Sepelienda vbi sint coniuges? 115.

de Sepulturarum priuilegijs Minoritarum. 277.

Sepeliri an maritus possit in sepulchro maiorum vxoris

ris, in quo illa sepulta est? 116.
Sequestratio puellæ. 52.
an ad Sequestratam sponso dandus accessus. 53.
Sequestratio de libertate vbi quæstio dubia debet fieri. 52. tanto tempore donec sententia valeat executioni mandari. 53.
De sæuitia. 229. Transactio præterita tollit sæuiendi consuetudinem in futuris, non impedit probari ex præteritis. 229. Restringitur pactis adiectis. 229. Vt sine ecclesiæ iudicio non liceat diuertere. 229. Nisi nimia sit sæuitia, nec vlla securitas. 229. An verbera diuortio sufficiant. 230. An pactum valeat, vt iuramento vxoris stetur, super sæuitia mariti? 230. An Iudex huiusmodi pactum sequatur? 230. Si sæuitia sit intolerabilis & desperatio emendationis. 231.
Simoniaca mortalis expellenda, an etiam hodie? 144.
Societatis Iesu statuta approbata tanquam regulæ. 136.
Sponsalibus & matrimonio. 211.
in Sponsalibus condemnatio ducendi & executio. 241. & seqq.
Sponsus vt cogendus ad implementum. 221. 222.
Sponsalium dissolutionem petere non potest qui inimicitiarum est causa. 241. & capitales alioquin requiruntur. 241. Quæ cum non sunt, superest cognoscere de promissis. 241. pronuntiare de obligatione ducendi. 241. Cogere ad implementum. 241. Nisi executioni obstet causa rationabilis. 241. Ne quidem accusatio criminalis causa esset rationabilis. 241. Intellectus c. 2. X. de sponsal. 241. c. requisiuit X. eod. 242. c. Veniens X. Qui clerici 242. c. ex literis X. eod.
Spolium in resignante præsumitur. 5. De spolio priusquam de renuntiatione cognoscendum. 5.
Status vocabulum, valde æquiuocum. 168.
Status virginitatis, cœlibatus, matrimonij. 167. Status approbatus quis? 166.
Status secundum totam conditionem considerandus. 167. 171.
Cum quis ad statum peruenit, legatum quando debeatur? 176.
Stationariæ conciones mendicantium. 124.
Studiosorum priuilegia. vide priuilegia studiosorum.
de Subdelegato Episcopi. 40.
Subdelegatus ad totam causam Apostolicam debet esse synodalis, vt suus delegatus. 252.
Subdelegatus quando habere debeat qualitates delegati. 40.
vt Subdelegatio facta ab habente potestatem qualitatem dandi, pro concessione sit. 42.
Subdelegare non potest cuius facta est industria. 42.
Subiectio an ex confessorum approbatione resultet. 31. an ex cura, officio, &c. 31.
Subdiaconatus & minores ordines an simul suscipi possint. 17.
Subdiaconatui hodie annexus cælibatus. 43.
Suffragia conditionalia in electionibus resoluuntur in pura. 149.
Summaria causa clericorum & monachorum. 53.
Summarium iudicium.
Superior quis? 54.
Superioris legi non derogat inferior. 147.
De sub & obreptione. 81.
Sub & obreptionis quæstio ad quem spectet. 6.
Subreptio an litis ingressum impediat. 61.
Subreptitiè promotus an gaudet prærogatiua. 6.
Superpellitio vti debent in ecclesijs omnes Cathedrales, & collegiati canonici. 19.
Super ætate dispensatus, an promoueri possit ad prebendam, ordinem annexum habentem? 81.
Surrogatio collitigantium, 96.
de Surrogatione in beneficium collitigantium vno mortuo. 90. 91.
Suspecti Iudicis recusatio. 91.
Suspicio non præualet mandato superiorum. 64. Suspectus Iudex non ob grauamen, sed iniquum animum. 64. Vt suspectus an recusetur qui in alia causa grauauit. 64.
Synodalis Iudex. 40.
Synodalis Iudicis designatio etsi Romam missa non sit, non facit incapacem delegationis, 252.

T.

Tacere vt aliquando non liceat. 149. in Templo ne sint discursus, aliaue indecentia. 204.
Tempus tollit, aut emollit delicta, præsertim carnis. 258. Nisi de stupro agatur. criminaliter, vel publica. 258.
Tertiariæ debent recipere regulam app. 136.
Testatoris verba quomodo accipienda. 170. 171.
qui Testari aliquos prohibuerit qua pœne iure romano? 114.
Testari si quis aliquem prohibuerit an hodie pœna legales obtineant? 113. & qua pœna fisco aut quæstori criminali teneatur? 114.
Testatus monachus sine licentia superioris an probet? 258.
de Testatoris patris, hereditatis diuisione. 109. De testatoris patris vltima voluntate interliberos, forma, & vitijs. 109. 110. Libon. seu Claudian. Senatusconsultum hodie considerandum? 111. An ad solemnitates tantum pertineat? 111.
Testis causam similem habens. 27.
Testes in rebus occultis non omnimodo idonei sufficiunt. 44.
Testes domestici, olim scilicet famuli, an probent? 133.
Testis monachus in causa ecclesiæ potest esse. 133.
Testes singulares coniungi quando possint & ad quem effectum probent? 257. Qualiter delictum in genere probare dicantur, non in specie. 258. Ad effectum extra ordinem emendandi, seu corrigendi. 258.
Testes singulares an fidem faciant. 66. Testimonio vnius nulla causa decidatur. 67. Testes plures singulares ad eundem finem tendentes an probent. 67. an non saltem in genere. 67. Testes singulares an probent adulterium aut stuprum. 67. Testes singulares in genere, an faciant ad condemnationem in genere. 67. Testes singulares an probent aliquem manifestum vsurarium. 67. Testes singulares quantum

tum probent. 68. Testes inhabiles quomodo habilitentur. 68. Testes singulares non sunt qui vnum actum inchoatum, alij consequentiam viderunt. 68.
Testamento si exæquatas portiones testator narret an disponere censeatur? 109. & seqq.
Narratio vel enunciatio an faciat in Testamentis dispositionem? 110.
An Testamentum, in quo heres coheredum nomina & vncias scripsit, valeat? 110.
Testamentum quod quis notario tantum ad scribendum dictauerit, an pro eo valeat? 111.
de Testamento à notario, testatore, & testibus signato quidem; sed in quo nec signationis, nec interrogationis, an scribere possint, est mentio. 111. & seqq.
in Testamento cæci requiritur octauus testis, quid hodie? 112.
de Testamentis. 106.
de Translatione monasterij, & bonorum. 105. Monasterium si loco præscripto ædificari non potest, ex iudicio Episcopi alio ædificabitur. 106.
Transactio matrimonialis. vide de scuitia.
Transactio vt inferat confessionem adulterij. 168.
de Transitu de monasterio in aliud. 154.
an in Translatione monasterij transferendorum opus sit consensu? 107. 108.
In Triennali possessione titulus quis requisitus. 90. & seqq. An collatio facta ab Ordinario post ius ad sedem Apostolicam deuolutum titulum tribuat. 92.
Triennalis præscriptio quomodo interrumpatur. 89.
Triennalem possessionem an libellus Principi oblatus interrumpat, in quibus causis litis contestationem faciat. 89. Aduersus triennalem protestationem de impedimento quis effectus. 89. Contra possessorem triennalem agens an tuuari possit ex prosecutione per tertium facta. 90. Triennalis possessio an rescripto obstet pag. 3. Regula 36. de triennali Cancell. seruatur in Francia. 3.
Torqueri an clericus possit? 293.
Aduersus Torquentem Iudicem leui de causa. capitalis pœna. 293. Clericus torqueri an possit? 293. Clericus turpiter viuens an priuilegio exuatur? 294 Causa torquendi capitalis. 294. Modus lenis & leuis. 295.
Tutela moderamen. 78.

V.

Vasallus villicus aduersus dominum non præscribit. 99.
Vasallus obsistens domini vtilitati, feloniam committit, & feudo priuatur. 99.
Velum. 29.
Velum, signum voti solemnis. 179.
Velatio virginum ad quem spectat. 29.
Velari non nisi virgo debet. 142.
Velari non nisi 40. an. debet. 142.
Venatio ad quem pertineat. 99. Venatio feraruum ad quem spectet. 99. Venatio perdicum, ibid. 99. Frederici constitutio de venatione. 100. Venatio in Germania seruata Principibus. 99. Aucupium no-bilium volucrum, vt spectet ad supremitatem Principis, aut causam ab eo habentium. 100. Venatio in Brabantia passim permissa. 100. Venatio an possit prohiberi. 100. & seq. Venatio ceruorum, aprorum, &c. inter regalia habetur. 101.
Venatio in fructu est. 101.
Verba intelligenda vt communiter. 216.
Verisimile quod non est, reijcitur. 141. Nec ad probandum admittitur. 141. Nec ad iuramentum. 141.
Vicario sede vacante constituto à Capitulo, cum facultate qualis de iure competit, an committa omnis iurisdictio, sic vt nulla penes Capitulum remaneat. 98. & seqq.
Vicarius simpliciter constitutus, & vicarius in contentiosis, vt inter se habere se debeant. 98.
Vicarius sede vacante, an habeat iurisdictionem contentiosam. 98.
Vicarius ad rationes reddendas quomodo teneatur? 118.
Vicariæ perpetuæ permutatio an fieri possit sine assensu parochi primitiui? 104. Si in permutatione patronus dissentiat Ordinarius eam admittere potest. 105. Sed an opus sit necessitate ecclesiæ. 106. An sufficiat vtilitas. 106.
Viduæ an in monasterio recipiendæ. 142. 143.
non Virginem emens, vxorem ducens, in monasterium admittens, per errorem. 142.
Virginitatis status matrimonio præfertur. 167. Cælebs quis? 168.
de Visitatione. 196. Visitans non cognoscit de occultis. 196.
de Visitatione Ordinarij. 69.
Visitatori an prælato parendum? 163.
Visitationum finis 196. materia, forma, secretum. 196. 197.
Visitatoris reg officium. 163. De reg obseruantia, habitu, tonsura inquirere, 163. An vera, an prætexta reformatio. ibid.
de Visitatione monialium. 25. Quando & quomodo visitatio facienda. 25. pœna non seruantis præscriptum modum in visitatione? 25.
Visitanti regulares nulli adesse possunt seculares. 195. Visitationis secretum proximum sigillo confessionis. 197. & seqq.
Visitatio an tribuat iurisdictionem? 23.
Visitationi nulla obstat præscriptio. 184.
Visitationis decreta an obstante appellatione exequenda. 71.
Vis & metus quomodo ordinationem impediant. 44.
Vis præcisa impedit Ordinis & characteris impressionem. 44.
Vis & metus in spoliando præsumuntur. 10.
de Vita & honestate clericorum. 79.
Viuentis beneficium inuadens. 9.
De vsione reuocanda 288. Cum fieri satis aliter potest fini ob quem facta est. 288. Quamuis non eueniant singulares abusus. 289. Sequendi canones conciliares potius, quam expeditiones Curiæ in deliberatione, quid satius sit. 289. Ex facto Curiam decipi posse. 289. Concilij Trid. decretum c. 13. s. 24. Non

84. *Non retrotrahitur in cathedralibus, quibus vnita sunt monasteria, cùm tamen solus vnio potest, meritò attenditur.* 290. *Dirigit etsi non ligat. S. Pontificem.* 290. *Ratio decreti tam obtinet in nouo Episcopatu dotando, quàm vetere augendo.* 290. *Obtinet decretum etiam in necessaria dote cathed.* 290. *Ordinario non permissa, quæcumque lubet ratio tenues ecclesias dotandi. Nec d. c. 13. in S. Pontifice probat* 290. *Dismembrationes tamen in his permisse.* 291. *Nec dignitas Episcopalis monasterio-rum vnioni proficit.* 291. *An Concilij decretum non obtineat, quasi alicubi non vigeat regularis obseruantia.* 291. *Non expectandus euentus incommodorum, vt consulta dicatur vnionis dissolutio.* 291. *Non potest non esse incommodum carere præsule residente.* 292. *Consultior vnionis dissolutio, vbi fieri potest.* 292. *Mutata ratione temporum, quamuis olim consultò facta.* 292.

Vniti beneficij onera, vt ante, explenda. 286.

Res transeunt cum suo onere. 286. *Onera vt ante, ita post vnionem explenda.* 286. *Vnio vt alijs prodesse, ita alijs nocere non debet.* 286. *Sed imprimis cultus diuinus nullatenus per eam minui debet.* 286. *Ad hunc pertinet solitus vnitorum numerus.* 286. *Eo non minuendus.* 287. *In eoque clara clausula non destrahenda.* 287. *Cõgrua onerum supportatio, extra taxatum numerum arbitraria.* 287. *Adiecta in gratiam vnitorum.* 287. *Quid congruum?* 287. *Ex arbitrio boni viri.* 287. *Proportione prouentuum.* 287. *Quarta pauperum fabricæ, &c.* 287. *Onere imprimis hospitalitatis ex sacris literis, & iure.* 287. *Regula S. Benedicti.* 287. *Concilio Tridentino.* 287. *Const. Clem. VIII.* 287.

Si prouentus pro oneribus vniti, & cui vnitur non sufficiunt, potior est causa vniti. 288.

Votum solemne & simplex natura rei an differant? 169.

Votum solemne vt ante approbationes Apostolicas fuerit.

Voti effectus an extra intentionem voventis? 183.

Vox religiosi in ampliori sua significatione quæ comprehendat? 141.

Vocis acceptio. 171. *In ambiguo.* 179.

de Vsuris. 171.

De vsuris ex forma chirographi & reiecta iudicandis, & in sortem imputandis. 259. *Quod animam aliter aliquando de his, quam in foro iudicandum.* 259. *Imputanda in sortem, si chirographum, aut res, vt gesta est, vsura sit.* 260. *Etiam data attigue?* 260. *Iudex secus iudicans aut statuens excommunicatur.* 260. *Vsura quid?* 260. *Exceptiones quando liceat accipere vltra quam datum sit.* 260. *In eiusmodi exceptione se fundans, debet probare.* 260. *Contractus societatis, assecuratio sortis, & redemtio incerti maioris lucri pro certo sed minori, à Sixto V. damnata.* 260. *Constitutione hic publicata.* 261. *Statuta pro vsuris ex libris vsurum eradenda.* 261. *Nec interpretatione transformantur vsurarij contractus in reditus.* 261. *Quando de origine constat* 261. *Vt est prorogatio mutui in certum tempus, cum lucro dati.* 261. *An excusetur specie eius, quod interest, quasi lucro cessante? Vere ob mutuationem lucrum abesse oportet.* 262. *An excusetur quasi non sit mordax, cum mutuatarius lucrũ facit?* 262. *An quia mercatori datur?* 262. *Si dicatur societas, partes eadem damni quæ lucri præstande sunt.* 262. *An pecunia mercatori data, sub triplici contractu implicite data sit censenda?* 262. *Vsurarios contractus non excusat præsumpta donationis, quia non est ea iuris.* 263.

Vxorem præcisè ducere vim, metum, raptum faciens, tenetur. 240.

FINIS.

APPROBATIO.

Responsa de Iure Canonico Clarissimi & adm. Reuerendi Domini FRANCISCI ZYPÆI I.C. *Protonot. Apost. Archidiaconi & Vicarij generalis Antuerpiensis, ad resolutionem plurium casuum & difficultatum passim occurrentium vtilia & oportuna, magno Respub. bono in lucem emittenda censeo.* 10. *Februarij* 1643.

P. COENS S. T. L. Canonicus & Lib. Cens. Ant.

Summa Priuilegij Philippi IV. Regis.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, Belgarum Princeps facultatem fecit Hieronymo Verdussio Typographo imprimendi librum cui titulus, *Consultationes Canonicæ pleræque ex iure tuissimo Concilij Tridentini recentiorumq; Pontificiarum constitutionum depromptæ*, auctore FRANCISCO ZYPÆO I.C. Protonot. Apost. Canonico, Officiali, & Archidiacono Antuerpiensi, sanxitque ne quis illum, citra eiusdem Verdussij voluntatem, in Belgio imprimat, aut alibi impressum eò inferat, venalémue exponat, intra proximum nouennium: qui secus faxit, confiscatione librorum, ac aliàs mulctabitur; vt in litteris datis Bruxellis in Concilio Brabantiæ. 10. Martij 1643.

Signat.
Steenhuyse.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN




KRIMER
Th
442a


KRUPELII
in Lib. 4.
Decretalium
et
ZYPÆI
Resp. Canon.